


757969




1162.

Th. II. 82

57
H

Pro Cella prima. Vauenzi d'ori
Anno 1769 de 9 Martii



Vac: Th. II. 82

~~Dr. M. ...~~
~~...~~
Dec 1779





Benedictus Kiski, Episcopus Agri-
ensis, Fundator Universitatis
Cassoviensis Societatis
JESU. M. DC. LVII. XXVI. Febr.
Obiit M. DC. LX. XXII. Junii.

INSTITUTIO

Th. II. 82

ELOQUENTIÆ

Pro SACRÆ Cella

GENERATI M.

PP.

USUI TIRONUM.

Concion?

EX VETERUM, AC RECENTIORUM
PRÆCEPTIONIBUS CONCINNATA.

Convent. OPERA Vazien

STEPHANI KAPRINAI

De Societate JESU Sacerdotis, & Eloquentiæ

Ord.

Sacra Publici Professoris.

Minol.

M. DCC. LVII.

A. 17 TOMULUS PRIOR 50.



Die

18 Aug.

TYPIS

UNIVERSIT. CASSOV. SOC. JESU

M. DCC. L VIII.

Cella

Convent

Verisim

Verisim

Verisim

Verisim

Verisim

Verisim

Verisim

Verisim





OPTIMI PRÆSULIS
BENEDICTI KISDI

OLIM

AGRIENSIS EPISCOPI, UNIVERSI-
TATIS CASSOVIENSIS SOCIETA-
TIS JESU FUNDATORIS
SÆCULARI MEMORIÆ.



Centesimus inde, quo prima A-
cademiæ nostræ jecerat (a)
fundamenta, nuper exactus
est annus *Optime Præsul.* Æ-
quum erat, ut tanti beneficii memoriam, ad-
jecta recens studiorum Universitatibus E-

) 2

lo-

a) Fundata est 1657. 26. Febr. Bulla aurea donata
a Leopoldo I. Imperatore 1660. 7. Augusti.

D E D I C A T I O.

loquentia Sacra, grata coleret recordatione: quæ sibi, cum Sacra sit, Sacrorum Antistitum laudes celebrare jure quodam vendicare videtur. Fecisti profecto rem grandem, non privato solum Societatis nostræ commodo, sed publico etiam Regni, & Ecclesiæ Hungariæ bono maxime profuturam; ac idcirco fecisti rem Eloquentia Sacra dignissimam, in qua, laudibus extollenda, primum illa se occuparet, atque suas institutiones *TUÆ*, velut Parentis Optimi, memoriæ dedicaret.

Fuerat jam à primo Societatis exortu benevolentissimus semper Cleri Hungarici in nos animus, non uno amplissimi beneficii genere comprobatus. *Nicolai enim Olabi*, Strigoniensis Archi-Episcopi, opera primum in Hungaria *Tyrnaviæ* nati sumus: dissoluto haud diu post ob temporum calamitatem collegio, rursus à Cardinale *Forgachio* revocati, per Antistitem *Paxmannum* stabiliori sede firmati fueramus; unde per varias Hungariæ plagas diffusi, piissimorum Præfulum *Lippaii*, *Szelepcsénii*, *Pálffii*, *Dallosii*, *Draskovitsii*, *Jakusitsii*, *Kolonicsii*, *Tarnoczii*, *Mattyasovskii*, *Okolicsanii*, ac, ne aliquem ingratus præteream, haud ita pridem *Acsadii*, *Barbacsii*, ac *Polentarii*, cæterorumve insigni

gni beneficentia, in hanc, quam cernimus, virilem usque ætatem pervenimus: ut merito ob hæc ingentia de nobis merita Clerum Hungaricum, ceu filii Parentem, pio, submissoque cultu grati semper veneremur. Hæc autem beneficia eo nobis visa sunt potiora, quo præter insignem, in nos, & comoda nostra benevolentia significationem, amplius insuper conferunt ad Societatis institutum, ejusve finem, ad quem à Deo Optimo Maximo singulari munere vocati sumus, opere exequendum.

Cujus *TU Optime Præsul* memoria incitatus, ut præclara Sociorum Antistitum in nobis ornandis studia non augeres modo, sed etiam cumulares; voluisti hac *TUA* beneficentia studiosum boni nostri amorem expromere, ac præprimis eximiam de Societatis instituto existimationem attestari: dum condita ad publicum Patriæ bonum, ac Religionis incrementum Academia, nobis tanquam paratissimis ad provehenda tua consilia instrumentis, utendum judicasti. Erat quidem Petro (*b*) Pazmano, liberalissimo in bonas artes, & rem Catholicam Principi, animus, post constitutam *Tyrnaviensem* Academiam afflictis superio-

D E D I C A T I O

ris Hungariæ rebus erecta aliqua studio-
rum universitate succurendi. At cum ei per
fata integrum non esset, illius consilium ef-
fecisti tuum, non sine maximo optimarum
Artium cultu, &, quod inde consequitur,
Regni, & Ecclesiæ Hungariæ emolu-
mento. Quod ego lubens hic singillatim per-
censerem, si mei foret (c) instituti: neque
tam illustri positum esset loco, ut cuivis pa-
teat aspectanti.

Æquissimum igitur erat, ut Eloquen-
tia recens Academiis adscripta hoc primo
suo opere sæcularem *TUI* memoriam cele-
braret, qui sæculis profuturum beneficium
præstitisti, in animis, & annalibus nostris,
pro Societatis more, nunquam interitura re-
cordatione celebrandum. *TU* vero *Præsul*
Optime beatis, ut confidimus, sedibus dudum
recepte, *TUUM* de Cælo opus tuere; ut
exaëto primo feliciter sæculo plura porro
vivat, ad Dei Optimi Maximi gloriam, bo-
narum Artium, ac Religionis in Hungaria
majus decus, & incrementum.

c) *Erit tempus, & locus oportunior uberiores dan-
di notitiam rerum memorabilium Academiæ, illiusve actorum,
Scriptorum, Virorum illustrium &c.*



AD
ELOQUENTIÆ SACRÆ
CANDIDATOS.



Eloquentiam Sacram pri-
dem à Vobis expetitam, si-
sto tandem Domini Can-
didati. Vestra causa labo-
rem suscepi; par erat, ut
primum vobis offeratur.
At prius, quam intimiora
illius adita subeatis, pauca in ipso statim vesti-
bulo, de suscepti operis occasione, ratione, &
usu exponenda judicavi.

PRÆFATIO
OPERIS.

AD CANDIDATOS

PRÆFATIO
OPERIS

I. De operis occasione. *Amplius triennium est (ut vos ipsimet nostis) cum Eloquentia Sacra publico Augustæ imperio hac etiam in Academia cepit (d) explanari. Reperi plerosque vestrum non animis, sed libris ad discendum opportunis destitui. Nam qui suas de arte Rhetorica præceptiones hæcenus ediderunt, sunt equidem non pauci: ac veteres inter è Græcis incla-
ruerunt: Aristoteles, Demetrius Phalereus, Aristides, Hermogenes, Aphthonius, Cassius Longinus, cæterique. E latinis: Marcus Cicero, princeps Oratorum, Cornificius, sive Author ad Herennium, Marius Victorinus, Fronto Cornelius, Sulpitius Victoris, & qui primo commemorandus erat loco M. Fabius Quintilianus, Calagura, Urbe Hispaniæ, oriundus, viginti ipsos annos publico in Gymnasio, accepto à fisco stipendio, primum Romæ Rhetoricam professus, ac subinde post institutos Domitiani Augusti ex Sorore nepotes consularibus ornamentis insignitus (e). Hunc, ad præcepta quod attinet, reliquis omnibus, ipsi etiam Ciceroni (Campano (f) & Juventio testibus) merito quidam anteponunt. Antiquorum vestigiis postea institerunt: Nicolaus Vernulæus, Gerardus Vossius, Marcus Boxhornius, Emanuel Thesaurus, ac de Societate nostra: Jacobus Hautinus, Joannes Voellus, Martinus*

d) Anno 1754. 14. Nov. e) Dodwellus in Annalibus Quintilianicis. f) In Præfat. Quintiliani ad Muretum apud Petroni Burmannum.

tinus Du Cygnius, Jacobus Masenius, Bohuslaus Balbinus, Franciscus Pomæus, Josephus Juventius, Dominicus de Colonia, Gabriel Le-jajus, denique *Rhetores, sive Galli, Sive Moguntini in suo, quod dixere*, Reginae Eloquentiæ Palatio; at quoniam *Civilem solummodo tradunt Eloquentiam, ad propositum nostrum non admodum facere videbantur. Reliqui, ut Nicolaus Caufinus, Carolus Regius, Paulus Josephus Arriaga, Josephus Moinius, de nostra Societate viri, Sacram Profanæ sparsim sociarunt quidem; immo Ludovicus Granatensis, Didacus Stella, Augustinus Valerius, Natalis Alexander, Ludovicus* item Janingus, Casimirus Wijukkoialowiczus, Tobias Lohnerus, nostræ Societatis homines, sacram tantummodo Eloquentiam sunt complexi; non tamen ad sæculi præsentis morem, & ingenium. Unus itaque omnium (quod sciam) è latinis superet at Disertissimus Amadæus (g) Bajocensis, qui suo Paulo Ecclesiaste, sive Eloquentia Christiana omnes præstantissimi Præceptoris numeros, mea sententia, videtur explevisse. Valerianus etiam (h) Zellnerus suam nuper edidit Rhetoricam Sacram, satis opportunam, si quepiam in eo ad publicos Scholæ usus non fuissent desiderata. Cum igitur præsto esse non poterat Amadæus, ac plerosque vestrum ab eo comparan-*

)(5

do-

g) Ex ordine Capucinorum. b) Ordinis Eremitarum S. Augustini, Provinciæ Baviaræ, typis Ratisbonensibus 1749.

PRÆFATIO
OPERIS.

do sumptus absterrent; sumpsi laborem ex nominatis, & aliis Præceptoribus, quæpiam excerpenti, ut hoc qualicumque subsidio inopiam vestram levarem, adjuvare n. industriam, usum denique redderem faciliorem. Quod operis consilium, & occasio erat.

II. De Operis ratione. *Fam quod atinet ad operis rationem: consulto illud cum Fabio Quinctiliano Eloquentiæ Sacræ institutionem inscripsi. Nec enim diffiteor, sed gratus semper agnoscam, me plurina è Fabio hausisse; æquum erat, ut cui rem multa parte in acceptis habere debeo: ejus etiam in fronte libri nomen præfigam. Initio animus erat uno omnia volumine complecti; at quoniam urceum paranti (sicut Horatii verba convertere licet) amphora exiit, sive longius, quam putabam, opus procurrit, duos in tomus, sive partes, placuit illud cum Amadæo dispertiri. Prior, quem nunc edimus, continet Eloquentiam Sacram generatim; posterior, quem juvantibus Superis propediem daturi sumus, continebit Institutionem Eloquentiæ Sacræ speciatim. Illo exponuntur, quæ ad Orationem Sacram universe construendam spectare videntur; isto unamquamque Concionis speciem, in triplici causarum genere, singillatim persequemur, additis (i) ad singula*

i) Quod ante nos præstitit Joannes Christophorus Gottsched, in sua Civili Eloquentia duabus partibus comprehensa.

ELOQUENTIÆ SACRÆ

PRÆFATIO
 QUERIS.

la genera pro majori discentium commodo integrarum Orationum exemplis, vel Marte nostro confectis, vel certe ex celebriorum Oratorum operibus depromptis, ut sic Augustæ, Sacros prælegi Oratores jubentis, imperio fiat satis; discipuli vero Authoribus plerumque destituti in ipsas, quæ prælegentur, ideas possint intueri. Cum vero omnia ad Eloquentiam generatim pertinentia ad tria potissimum capita revocari queant: ad res nimirum vel ante structuram, vel in ipsa structura, vel denique post structuram necessarias, totidem libris tomulum primum definivi. Alteri autem, cum in triplici causarum genere omnis Orator sacer versari queat: Didactico nempe, cum docet; Panegyrico, cum laudat; Morali denique, cum virtutes amplectendas, aut vitia fugienda suadet, tres pariter libros præstituiam. Primo Orationem Catechetica, Paraphrasticam, & Polemicam exequare. Altero Panegyrim in duplici genere, puro, & mixto, cum Orationibus Eucharisticis, Epiniciis, & Funebribus exponam. Tertio Moralem in genere suasorio, & dissuasorio complectar. Ubique sua præceptionibus paradigmata adjicio, vel ex præstantioribus, qui latine redditi extant, ævi nostri Oratoribus in rem accomodata, ut Segneri, Bourdaloue, Casini, Vieira, Calini &c. vel nostras, discipulorum plerumque labore in Scholis confectas, exercitationes: Gabrielem (k) Le-jajum

in

(k) In Bibliotheca Rhetorum typis nuper Claudiopolitanis rursus edita.

AD CANDIDATOS

PRÆFATIO
OPERIS.

*in eo imitatus, & Anonymum Gallum, pau-
cos abhinc annos Parisiis (1) editum, qui è celsi-
berrimis Galliæ Oratoribus: Flechier, Bossuet,
Mascaron, Mafillon, Du Jarri, Fonte-
nelle, De la Motte, Montesquion, Fro-
mentieres, Henaut, Quinaut, Tallemant,
Charpentier, La Rue &c. depromptis e-
xemplis suam Eloquentiam multum illustravit;
quem postea in idiomate Teutonico secutus est
Joannes Traugott Schultz, in opere (m) Li-
psix nuper edito. Fuere quidem, qui, ne o-
pus excurreret, paradigmata omnittenda cen-
sebant; fontes solum, ubi quæri exempla de-
beant, indicandos suadebant. At usu comper-
tum*

*l) Cum hoc titulo, quem hic adscribere placet :
Modeles d' Eloquence, ou les traits brillans des
Orateurs François les plus celebres. Espece de
Rhetorique, moins en preceptes, qu' en Exem-
ples, où l' on voit l' application, qu' ont faites
des Regles de l' Art Oratoire ceux, qui l' ont
possédé dans le plus haut degré. Ouvrage pro-
pre aux jeunes Rhetoriciens, & à tous ceux, qui se
veulent former à l' Eloquence de la chaire.*

*m) Muster der Beredsamkeit, aus den besten
Geistlichen, und Weltlichen Rednern der Deut-
schen Gesammelt . . . Heraus gegeben von M. Jo-
hann Traugott Schulzen, der Herzogl. Deut-
schen Gesellschaft zu Jena, und der Gesellschaft
der Fr. Künste zu Leipzig Mitglied. Leipzig . . .
1755.*

tum habeo, nulla re fortius, & efficacius præcepta, quam exemplis, inculcari: fontes vero non semper, nec cuilibet (Tironibus præsertim librorum inopia plerumque laborantibus) ad manum adesse posse, ut indicata exempla inspicere queant, idcirco ea amici etiam adjicienda suasere. Posset quidem, non diffiteor, hæc penuria à Professore exempla è fontibus prælecturo facile sublevari; at mihi propositum est, non solum Candidatis Eloquentiæ Sacræ in schola operam navantibus prodesse; sed maxime extra scholam Tironum, privato labore discere volentium, industriam adjuvare. Exempla igitur addenda judicavi; tametsi opus in molem paulo majorem excresceret, non utique inani aere (ut amici dicebant) sed rebus ad rem maxime pertinentibus prolixius futurum. Quid autem singulis quibusque libris, quæ ratione, ordine, modo progrediar, cujuslibet prooemio indicabo.

III. De usu operis. In usu autem operis hujus hanc mihi methodum usurpandam putavi. Primum ea, quæ libro primo adferuntur, privatae discipulorum diligentiae commisi; instituto tamen examine singulos periclitatus, an ea legissent. Prælectiones à tertia statim libri secundi parte exorsus, ut præmissa elocutionis, ac ejus styli, figurarum, & amplificationis notitia, facilius Tirones in cæteris partibus valeant exerceri. Post aggressus sum partem ejusdem libri primam, seu Ora-

AD CANDIDATOS

PRÆFATIO
OPERIS.

tionis inventionem, quam exceptit singularum partium dispositio, ut totius Orationis Sacrae structura generatim tomulum primum terminaret. Quod sex circiter mensum spatio commode confici posse, mea me docuit experientia. Inde progressus eram ad tomulum alterum, sive Eloquentiam Sacram speciatim, reliquo anni tempore facillime explanandam. Præter singulares quot hebdomadis exercitationes, datum est sub anni finem unicuique discipulorum thema Concionis, privata jam industria, sine Professoris adjumento, publici speciminis gratia elaborandum. Quæ autem tertio primi tomuli libro adferuntur, possunt Sabbato pertractari, atque una in exercitationibus ea hebdomada confectis, qui è memoria rite pronunciari debeant, exerceri. Hæc si cui methodus tradendæ, vel discendæ privatim, arriserit Eloquentiæ, poterit eam confectari.

IV. Duo hic adhuc appendicis instar habeo adjicienda. Primum: cum Eloquentia Sacra vernacula potissimum soleat in pulpitis tractari, in scribendis his præceptionibus, earumve exemplis non magnam admodum in sectanda styli latini venustate, & elegantia operam adhibui; consulto voces, & loquendi modos, tametsi non tersos, modo tamen Ecclesiasticæ Eloquentiæ usitatos, cum Edmundo (n) Campia-

n) In Tractatu de Imitatione Rhetorica Cap. 5. Apud Ciceronem *perpassio*, non *passio*, invenitur:

piano usurpavi: ne affectata styli diligentia Sacra Oratio in profanum, vel Academicum sermonem deflecteret. In eo tamen princeps mihi cura fuit, ut pro mei tenuitate iudicii, è memoratis ante præceptoribus optima quaque, favi instar, deligerem. Ac, ne ingratus eorum nomina silentio premam, ex veteribus magno mihi adjumento fuere libri Rhetorici Ciceronis, & , qui Tullio passim adscribitur, Author ad Herennium, quem Cornificium fuisse memoriæ nostræ prodiait Quintilianus. Plures, ut jam prius memineram, suppetias attulit Fabius Quintilianus. Nec è recentioribus defuerat: Causinus, Moinius, Natalis Alexander, Juventius, Houdrius, Lejajus, Neumayrus, De Colonia, Zellnerus, Gottschedus, Schultzius, & , quem principe commemorare loco oportebat, Amadæus Bajocensis. Nec præterire possum Sigismundum Callesium, ac Stephanum Ga-

num propterea Christiani non audebimus Christi Passionem totidem literis, & syllabis enunciare? Per me quidem potius in Tiberim omnia Ciceronis opera projiciantur, quam hujus unius dictiunculæ jactura fiat. Quare? Sic enim increbuit jam significatio rei Sanctissimæ, & maximæ, ut non sit tutum abolere. Idem existimo de Penitentia, quæ fortius, & valentius Ecclesiæ Catholicæ sensum loquitur, quam *resipiscencia*; quæ mihi videtur non solum re infirmior, sed sono etiam durior &c.

AD CANDIDATOS

PRÆFATIO
OPERIS

Gafonem, utrumque de literis politioribus optime meritum Provinciæ nostræ Virum, quorum egregia Artis Oratoriæ manuscripta non parum lucis affuderunt; præter meas plurium annorum concionandi usu collectas observationes. Quorum omnium eo gratiori animo recordationem facio; quo firmiorem teneo veteris patriæ memoriæ: aquam hauris, puteum corona. Alterum est, tametsi omnem in eo diligentiam posuerim, ut editionem, quam maxime accurarem, multa tamen in eam menda obrepere, partim vitio typorum rite exprimi non valentium, partim Typothetarum, & ipsius Censoris non sat emendate corrigentis oscitantia, quod æquus boni Lector consulat, velim.

Atque hæc sunt Domini Candidati, quæ principio statim operis indicanda habebam. Fruimini jam hoc meo tenui conatu ad Dei immortalis gloriam, multarumque salutem animarum. Quod unicum suscepto labori consilium, & finem præposueram, ardentè precatus, ut à nobis vel post fata in terris laudetur Christus. Dabam Cassoviæ ex Academico Collegio xviii. Kal. Augusti

M. DCC. LVIII.





INSTITUTIO
ELOQUENTIÆ
SACRÆ
GENERATIVÆ.



Loquentiam univēse,
quam vulgus *Rhetoricam*
appellat, *Fabius* (a) *bene-*
dicendi Scientiam vocat.

INSTITUTIO-
NIS PROE-
MIUM.

Duplex habet materiæ
genus : hinc duplex enascitur Eloquentiæ
Ars : *Sacra* nempe, & *Profana*. Illa res ad
DEUM, illiusque Religionem pertinentes
tractat. Ista profanas, ac civiles complecti-

A tur,

a) *Instit. Orator. L. 2, C. 15*

INSTITUTIO- tur, ac idcirco *Civilis* etiam nomine com-
NIS PROOE- pellatur.
MIUM.

Utriusque eadem pene est forma: immo hodiernæ Orationis Sacræ ars ex antiquæ præceptis (b) ortum trahit. Unde non sine Divina Numinis providentia factum putato, ut *Civilis Eloquentia* non longe ante nascentis Christi, & Ecclesiæ tempora in summum apicem, & fastigium fuerit elevata; ut subinde à foro in Ecclesiæ usum traducta, maximum fieret provehendæ Religionis Christianæ & adjumentum, & præsidium.

Olim apud veteres non idem, ac nunc est, construendæ Concionis Sacræ modus erat. Plerumque *Homilias* (c), vel (ut postea dixerunt) *Postillas* (d), paraphrasticum dicendi genus, Sancti Ecclesiæ Patres
usur-

b) *Vincent. Houdri de Hodier. Concion. ratione proleg. 1. in Bibliot. Concion.*

c) Quod Latinis Sermo est ad populum, id esse Græcis Homiliam. Hoc ita se habere Beati Augustini locus in Proœmio enarrationis in Psalmum 118. aperte declarat, in quo ita est: statui autem per sermones id agere, qui proferuntur in populis, quos Græci Homilias vocant. Ita Bern. Ferarius de ritu Sacrarum Vet. Ecclesiæ Concionum. L. 1. C. 5. ὁμιλία enim cœtum, turbam, plebem, vulgum significat; ὁμιλέω autem, vel ὁμιλῶ idem est: ac in cœtu versor, colloquor, sermonem ad populum habeo. Unde ὁμιλία congressus, conversatio, ad populum sermo. Est autem Homilia mera Evangelii explicatio, non alium ordinem, nexumque secuta, quam factorum, & dog-

ufurparunt. Quanquam Orationes etiam ad-^{INSTITUTIO-}
 hibitæ fuere, sæculo præfertim quarto, ac^{NIS PROE-}
 quinto, quibus Eloquentia, in foro filere ^{MIUM.}
 juffa, maxime tonabat (ut ait (e) *Mufan-*
tius) in templis: quamvis nec tunc ita ad
 artis regulas fuerant exactæ; quemadmo-
 dum his jam temporibus exigi confueve-
 runt. *Vincentius Houdri* Celebris de Socie-
 tate noſtra Orator *Gallus* teſtatur (f): ſin-
 gulis propemodum sæculis prædicandi ra-
 tionem aliam fuiſſe, atque aliam, & quæ
 proximis hiſce temporibus, in *Gallia* præ-
 fertim, invaluit, in omnibus fere ab ea di-
 ſcrepat, quæ elapſi sæculi (XVII) initio
 obtinuerat, & quinquaginta circiter ante
 hunc annis omnino ferme obſolevit. At-
 que ſic per varias quodammodo ætates tra-
 ducta, ad eum perfectionis gradum quoad

A 2

for-

marum, quæ in ipſo continentur Evangelio, additis bre-
zibus ad recitata verba obſervationibus. Latini Tra-
ctatum etiam dixere, teſte S. Victore Uvicenſi L. I. de
Perſecut. Wandal. Auguſtinus uſque ad illud tempus
 ducentos jam, triginta, & duos confecerat libros, ex-
 ceptis innumerabilibus epiſtolis, -- atque Tractatibus
 popularibus, quas Græci Homilias vocant.

d) Poſtilla dicitur explicatio marginalis alicujus
 verbi in textu obſcuro, & ſonat: *poſt illa*, nempe
 poſt illa verba textus. Poſtillator autem eſt, qui Po-
 ſtillam interpunxit, quorum primus Hugo Cardina-
 lis, qui floruit anno 1240. Ita *Domin. Macri* in
Hierolexico. Cæterum Poſtillæ nomen obtinuerunt e-
tiam Conciones in Homiliæ formam dictæ; quia poſt

INSTITUTIO- formam pervenit, quem jam admiramur, &
 NIS PROOE- à nobis pro virili tuendus est.
 MIUM.

De hac igitur Sacræ Eloquentiæ arte, jam ad usum hodierni temporis comparata, hoc ordine agere constitui. Primo libro res ante Structuram Orationis Sacræ cognitu utiles complectar. Altero res in ipsa structura Orationis generatim acceptæ servatu necessarias exequar; res autem in Structura Orationis Sacræ speciatim sumptæ Tomulo posteriore exponam. Tertio demum libro res post Structuram Orationis Sacræ ad rite pronunciandum opportunas explanabo.

singulos Evangelii textus animadversiones, totidem quasi explicaciones, subjungi solent.

e) *Musantius in Tabulis, ætatis septimæ tabula 35. Quas auxit Joan. Bapt. Fauere Soc. JESU Presbyter, & in Collegio Romano etiamnum Professor, in editione anno 1651. Romæ adornata.*

f) *In Præfat. & Proleg. 1. Biblior. Concion.*





INSTITUTIONIS
ELOQUENTIÆ SACRÆ
GENERATIM
LIBER I.
DE REBUS ANTE STRUCTURAM
ORATIONIS SACRÆ.



Es ante Structuram scitu ne-
cessarias ad ELOQUENTIÆ
SACRÆ apparatus revocat
Amadeus (g), quod iis, ceu
quibusdam adjunctis, ad
construendam Orationis mo-

LIBRI I.
PROLEGOME-
NON.

lem apparetur Orator Sacer. Prolego-
mena appellant alii, quæ à *Cicerone*, & reli-
quis Eloquentiæ Magistris præterita, tri-
bus pene libris primum explicuit *Fabius*
Quintilianus, ut inde quasi ab incunabulis
formaret Oratorem. Nos ea totidem ca-
pitibus suos in Articulos distributis expo-

A 3 nemus.

g) In *Paulo Ecclesiaste*, sive *Eloq. Christiana*.

LIBRI PRIM
PROLEGOME
NON.

nemus. Ac primum de rebus ipsius Artis Eloquentiæ Sacræ agemus. Postea: Orationis, sive ipsius artificis, res prosequemur. Demum res ad comparandæ Eloquentiæ Sacræ adjuncta pertinentes explicabimus.

C A P U T I.

DE REBUS IPSIUS ARTIS ELOQUENTIÆ SACRÆ.

INter res ad ipsam Eloquentiæ Sacræ Artem spectantes tria veniunt exponenda. Primum illius natura, & artificii in ea consecrandi cura. Postea finis, & officium. Denique materia, & partes, quæ totidem Articulis explicaturi sumus.

A R T I C U L U S I.

DE NATURA ELOQUENTIÆ SACRÆ, ET ARTIFICIO IN EA CONSECTANDO.

§. I.

De Natura Eloquentiæ Sacræ.

CUm *Fabius* Rhetoricam benedicendi Scientiam definierit, nemo ullus Eloquentiæ Sacræ naturam, quid ea sit, describet verius; quam si *artem* dixerit *benedicendi de rebus sacris, sive ad Dei Religionem pertinentibus.*

I. Dicitur: *ars benedicendi*, ut fortuitus, ac temerarius, nec ad artis regulas appositus dicendi habitus ab Eloquentia Sacra excludatur. Si uspiam, hic certe, cavendum quam maxime, ne quid prave,
aut

aut temere, vel inconsulto, falsove dictum de rebus ad DEUM, illiusve cultum, ac hominum salutem pertinentibus ab Oratore proficiscatur.

CAPUT I.

ARTICUL. I.

§ 1.

II. Dicitur *de rebus sacris*, ut hoc discrimine Sacra Eloquentia à profana discernatur. Additur postea: *Sive ad DEI Religionem pertinentibus*, ut clara rei sacrae notio habeatur, quid illius nomine intelligatur. Quidquid enim materiae Sacrae ad Eloquentiam pertinentis est, aut esse potest, hoc totum Religionis nomine comprehenditur. Religio enim duo complectitur, Fidei nempe mysteria, & dogmata: morum postea disciplinam, & praecepta: quibus duplex hominis facultas, intellectus nimirum, & voluntas DEI obsequio consecratur. Intellectus; ut fidei mysteria, & dogmata sciat, & credat: voluntas verò, ut DEI praeceptis, ac disciplinae, vel ejus consiliis vitam, & mores conformet, quorum laudes Sanctorum, totidem velut exempla, imitationi per Orationem proposita, multum conferre possunt.

§. II.

De Artificio in Eloquentia Sacra consecrando.

CUM Eloquentiam Sacram *benedicendi artem* esse dixerimus, perspicuum est, opus, & partem ejus dici debere solam dictionem ex arte institutam. At sunt non pauci,

A 4

qui

CAPUT I. qui omne ab Eloquentia Sacra in habendis
 ARTICUL. I. Concionibus artificium remotum volunt,
 § II. quatuor potissimum de causis, quas ad eximendum in re gravissima errorem refellamus, oportet.

I. Quia ars Divinæ Gratiæ, qua dictio sacra unice niti debet, officere videtur. At si natura non adversatur Gratiæ, qui ars eidem poterit obesse? non aliunde, quam ex ipsius naturæ observationibus ortum trahens. *Verum quidem est, (h) ait Vincentius Houdri, quod DEUS ille sit, qui magnos in animabus operatur effectus, & gratia ejusdem eam imprimit vim, quam omnes simul Rhetorum canones, & penitiora artis arcana producere nequeunt; - - - attamen docet experientia non semper concedere DEUM peccatorum convertendorum gratiam illis, qui artem omnino contemnunt, & non præcepta, non ordinem, in Concionibus habendis servant. Deus enim studium, & laborem nostrum exigit, quem plurimum adjuvat ars, & imperito reddit difficillimum ejusdem ignoratio ad rite dicendum.*

II. Scriptura (ajunt) Divina, unde sua Orationi Sacræ petuntur momenta, nullis Rhetoricæ pollet ornamentis. Falleris. Quis enim (teste (i) Amadæo) dilucidius narrat Moysè? Quis acrius hortatur Prophetis?
 Quis

h) In Biblior. Concion. de hodierna concionandi ratione proleg. 1.

i) In Eloq. Christ. L. 1. C. 3. Art. 3. Sect. 2.

Quis felicius scribit, ac *Paulus*, univ-
 sum fere dicendi genus suis in Epistolis
 complexus? Cæterum, etsi Sacræ literæ
 parum haberent dicti artificii, nihil tamen
 vetat, quo minus artis studium in Eloquen-
 tia Sacra consecremur; Scriptura enim
 non est Oratio Sacra; sed Orationis solum
 argumentum, & materia ab Oratore, ut
 eam Auditori persuadeat, ex arte pertra-
 ctanda.

CAPUT I.
 ARTICUL. I.
 § II.

III. At inquires: *Paulus* tametsi Sa-
 cræ Princeps sit Eloquentiæ; non tamen in
sublimitate sermonis se venisse scribit (k) ad Co-
 rinthios, & *annunciassè testamentum Christi*:
nec sermo, & prædicatio ejus erat in persuasivi-
libus humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensio-
ne spiritus, & virtutis. Verum hic Apосто-
 lus haud excludit Sacræ artem Eloquentiæ,
 sed solum ait: Corinthiorum conversio-
 nem non fuisse factam *humanæ sapientiæ*, id
 est: Philosophiæ adminiculis, nec *sublimi-*
tate sermonis, id est: profanæ Eloquentiæ
 lenociniis, quibus Oratores, & Philosophi
 multum in Græcia valebant; sed *ostensione*
spiritus, Pauli ore loquentis, & *virtutis*, sive
 miraculorum, quæ operatus est ad ea, quæ
 prædicabat, confirmanda. *Paulus* enim,
 ut acta illius, & epistolæ probant, admo-
 dum eloquens erat, ac eruditus, multaque
 ratiocinationis vi, ac vehementia polle-
 bat;

A 5

bat;

k) 1. ad Cor. 2. v. 4.

CAPUT. I.
ARTIC. I.
§ II.

bat; licet haud ita Philosophica, quam Theologica (1). Secus Lycaonii non eum dixissent Mercurium cælo delapsum, nec Sancti *Augustinus & Chrysostomus* concionantem Paulum audire, ac videre tantopere exoptassent.

IV. Nec Sancti obsunt Ecclesiæ Patres. Nam licet eorum sermones ab hodierna dicendi ratione non parum differant; nec tamen omnia omnino Rhetorices ornamenta neglexerunt, Græci præfertim. Lege, si placet, Divum *Basilium*, utrumque *Gregorium*: *Nyssenum*, & *Nazianzenum*, præcipue autem Divum *Chrysostomum*, quantam illic, oro, vim, & eloquentiam reperies? quam solida, & naturalia, id est: rebus ipsis insita, argumenta, ut plurimum ex Scripturis scite deprompta, belle explanata? quam graves sententias, quam venustas amplificationes, & figuras? quibus etiam inter Latinos excellit *Hieronymus*, legendi *Ciceronis* per quam studiosus; quamquam nec *Cypriano*, *Ambrosio*, *Augustino*, *Leoni*, *Chrysologo*, *Salviano* sui lepores desint.

V. Quisquis igitur Sacræ Eloquentiæ laude ad Dei gloriam, multarumque salutem animarum florere cupit, in habendis Concionibus arti studeat, oportet; sed cuperem hodiernæ, quam præsens ætas in apicem

1) Vide *Calmez. Comment. in epist. Pauli 1. ad Cor. 2. Du-Hamel in Instit. Biblicis Dissert 4. C. 1.*

cem videtur perduxisse. Ea enim edidit Eloquentiæ Sacræ opera, quæ veteribus Romanæ facundiæ Principum operibus, si- ve argumenta, quæ pertractantur: siue dis- positionem, & ordinem, qui servatur: siue finem, qui consideratur, spectes, multo sunt præhabenda. Quæ res potissimum *Gal- lis*, & *Ital*is accepta haberi debet, à qui- bus in *Germaniam* est propagata, utinam nostram etiam *Hungariam* (quod futurum spero) latius pervaderet. Nec tamen id vitio vertere ausit ullus, quod profanos imitati eorum methodum, & formam ad probandas fidei nostræ veritates traduxeri- mus; quemadmodum nemo sana mente cri- mini dat, quod veterum templa, gentili- um Numinibus dicata, Christianos in usus sint conversa. (m)

CAPUT I.

ARTIC. II.

§ I.

ARTICULUS II.

DE FINE, ET OFFICIO ELOQUENTIÆ SACRÆ.

§ I.

De fine Eloquentiæ Sacræ.

QUI profanæ, idem Sacræ Eloquentiæ fi- nis præstitutus est, nimirum rem di- ctione persuadere. Persuadere porro est: ad id, quod Orator intendit, animum au- ditoris dicendo inflectere. Ut si quoddam fidei nostræ mysterium, & dogma proban- dum, aut explicandum sumat, vel virtutem aliquam

m) *Lege Houdri Biblior. Concion. proleg. 1. & 2.*

CAPUT I.

ARTICUL. II.

§. I.

aliquam Viri cuiuspiam Sancti collaudet, aut divino præcepto, vel consilio amplectendam suadeat; vitium vero dissuadeat, non mentem modo Auditoris ad ea credenda impellat; sed præterea voluntatem ad hæc exequenda, vel fugienda re ipsa inducat.

II. Hunc Eloquentiæ Sacræ finem non semper obtinet Orator Sacer; licet morfos ad ungues bene limatam adferat concionem. Sicut enim in potestate Medici, quamvis arte sua præcellentis, non est positum, relevetur ut æger; ita neque in Oratoris arbitrio stat, ut auditor persuadeatur. Idcirco tamen perfecti non perdet laudem Oratoris, modo fini (ut Rhetores ajunt) intrinseco, id est: officio non desit suo. Nec *Paulus* eapropter *Athenis* Gentium Apostoli magnum amisit nomen, quod irridentibus aliis uni fere *Damari*, ac *Dionysio*, cum paucis aliis, persuaserit Christi fidem.

III. Id vero triplici potissimum de causa evenire solet. Prima est *auditor*: cum audiendæ Concioni animum adfert imparatum, id est: indocilem, non salutis; sed pascendæ curiositatis studiosum, aut distractum, vel denique pervicacem, ac vitiis obduratum. Alteram præbet *Orator*: si magis suam, quam DEI gloriam spectet. Deus enim consulto vim, & efficaciam adimit laudem propriam appetentium verbis. Dein

si vo-

si voce aliud, aliud vitæ exemplis probet. Validius semper opere docetur, quam sermone. Rectam postea habeat mentis intentionem. Non plausum, aut acclamationem (n); sed populi fructum quærat, *Chrysostrum* imitatus, qui toties domi suæ ingemuit (o), quoties in Ecclesia Concionis plausum tulit. Tertia est *DEUS*, optatum persæpe Orationis Sacræ fructum in pœnam peccati juste negans. Quapropter Orator Sacer tametsi semper, habendæ tamen Concionis tempore, cum rem fecerit Divinam, futuræ dictionis fructum Deo, quam potest maxime, commendet. Spiritus est Deus, ubi vult, spirat; nec tamen semper adspirat.

§ II.

De officio Eloquentiæ Sacræ.

Artis cujusque officium est apposita ad finem obtinendum media adhibere. Finem porro Eloquentiæ Sacræ in persuadendo

n) *Plausus olim, & acclamationes fiebant concionantibus à populo: nunc Orthodoxi, jam tertii decimi Apostoli, vel aliis etiam laudibus, Oratorem celebrantes. Crebro manibus, pedibus, immo jactatis etiam Orariis, seu amiculis, & fasciis plausus dabant, ea de causa, ut testarentur se penitus assecutos esse, quæ dicta sunt, vel, ut res præclare dictas faustis vocibus, ac signis prosequerentur. Bern. Ferar. de ritu Sacr. Conc. L. 2. C. 23. 24. 26.*

o) *Chrysostr. hom. 30. in Acta Apost. Credite mihi, vera dico: dum mihi applauditur dicenti, per ipsum quidem tempus humanum aliquid patior (cur*

CAPUT I.
ARTIC. II.
§ II.

do Auditore constituimus, perspicuum igitur est, officium illius non aliud esse, quam apposite dicere ad persuadendum. Persuadere autem non est modo mentem ignorantis docendo collustrare, & ne distrahatur, vel fastidiat, animum delectare; sed etiam pervicaciam voluntatis motu frangere. Idcirco è triplici hoc Auditoris statu tres officii partes confurgunt Oratori Sacro: *docere, delectare, movere.*

I. *Docere* est rem pro Concionis themate assumptam *validis, perspicuis, & ordinatis* argumentis probare. 1. *Validis*; nam si ea fuerint debilia, fidem non obtinebunt: si inutilia, docilitatem non parient: si curiosa, parum ponderis, nihil fructus habebunt. 2. *Perspicuis*; ne sublimitate auditoris captum excedant. Vitetur præterea ambiguitas in verbis, obscuritas in sententiis, denique tollatur difficultas in rebus intelligendis. Ubi claritas, ibi veritas. 3. *Ordinatis*; ut cuncta suis ordine locis procedant, prout vel rei natura, vel artis ratio deposcit. Unde firmiora initio, debiliora medio, firmissima ultimo statuuntur loco. Vel si aliqua naturâ fuerint priora, præ-

enim non verum farear) & gestio, & exulto. Postquam domum ingressus, plausores nihil adjutos esse cogitavero, & siquidem profecisse debebant, per plausum, & laudes amisisse, doleo, gemo, & lugeo, & tanquam omnia temere dixerim, sic afficior.

præmittantur : si media consequantur : si postrema, postremo loco reponantur.

CAPUT I.

ARTIC. II.

§ II.

II. *Delectare* est : Auditorem cæterò futurum distractum, vel fastidientem, ita attentum tenere, ut sine molestia, immo cum voluptate audiat Oratorem. Quod pluribus obtinetur modis. 1. Novitate materiæ, sive exquisito (naturali tamen) themate, illiusve partitione Evangelio, tempori, personæ, loco, cæterisve rerum circumstantiis accommodata. 2. Styli elegantia tam in verbis, quam in sententiis, haud tamen affectata. 3. Ornatu figurarum, & transitionum. 4. Concinnioribus Scripturæ locis, & exemplis ingeniose exquisitis, materiæ prudenter, ac doctè aptatis. 5. Rerum dicendarum ordine, claritate, ac varietate : nec sapidum placent cibi sæpius recocti. Denique eximia pronunciandi ratione : si gestu, voce, vultu materiæ conformato submissa submisse : iracunda irate : gravia graviter : læta hilariter : tristia dolenter enuncientur. Absit, ut Orator Sacer flosculis Rhetoricis, verbis ampullatis, eruditionibus Poëticis, vilioribus allegoriis, metaphoris longe petitis gratiam aucupetur. Vel certe (quod multo cavendum magis est) anilibus fabellis, jocis infulsis, gestibus inconcinnis rudioris plebeculæ risum provocantibus Sacræ Orationis majestatem profanet.

IV.

CAPUT I.

ARTIC. II.

§ II.

III. *Movere* est voluntatem ad propositum re ipsa credendum, aut amplectendum, vel fugiendum inclinare. Quod duplici præstabitur ratione: 1. *Amplificatione* non inani verborum; sed gravi rerum, ac sententiarum, de qua prolixius alibi. 2. *Affectu*, qui labantibus animis, velut aries muro nutanti, incutitur, in complexionibus præsertim, & epilogo, vel assumptione, ut affectui locus esse potest. Non igitur motus animorum consistit in sola Oratorum clamosa vociferatione, qua plerumque aërem, non animos verberant artis imperiti.

ARTICULUS III.

DE MATERIA, ET PARTIBUS ELOQUENTIÆ SACRÆ.

§ I.

De Materia Eloquentiæ Sacræ.

MAteria Eloquentiæ Sacræ est omne argumentum, quod de rebus ad DEI religionem spectantibus dictione sacra tractari potest. Apud veteres in Civili Eloquentia, potissimum in causis dicendis versata, *cause*, item *controversiæ* nomen habebat. Cum vero controversiæ quæstionis in morem in foro fuerint agitatae, verbi causa: *an Cicero in accusando Verre sit Cæcilio præferendus?* materia Orationis apud eos *quæstio* fuit vocitata. Quod nunc etiam retinetur, licet tractanda ab Oratoribus

Sacris

Sacris argumenta non jam *quæstionis* in modum; sed absolutæ instar propositionis proferantur. Sunt enim pleraque ejusmodi, de quibus nefas est litem movere, ea in iudicium, ac controversiam vocare.

II. Hæc *quæstio* alia est *Generalis*, alia *Particularis*. *Generalis* (quæ etiam *materia remotior* dici potest) nullis temporum, loci, personarum, rerumque cæterarum adiunctis definitur: ac propterea à *Latinis* quæstio *infinita*; à *Græcis* (*ἑκείνη*) *Thesis* appellatur. Verbi causa: *an Eucharistia sit adenda?* si autem ad certas circumstantias revocetur, quæstio evadet *particularis*, sive finita, Græcè (*ὑπόθεσις*) *hypothesis* dicta, v. g. *an Eucharistia uno quovis die à profanis hominibus sit adenda?* Atque hæc, *proxima materia*, item *propositio*, *scopus*, *thema*, *propositum* Orationis Sacræ vocari potest.

III. Utraque dividitur in *præcticam*, & *speculativam*, sive *actionis*, & *cognitionis*. Ista in sola rei notitia sistit, ut: (p) *nec Pater æternus Christo, nec Christus hominibus majus aliquid facere poterat; quam ut resurgat.* Illa ad hominum mores, & actiones refertur, ut: *inimicis est benefaciendum, pro illis*
B oran-

p) Hoc thema doctissime pertractat Steph. Csete Soc. JESU Presbyter, annos plures Tyrnaviæ Cathedralis Ecclesiastes in M. SS. Concionibus, quarum sex, & triginta volumina à morte reliquit Bibliothecæ Collegii nostri Academici Claudiopolitani,

CAPUT I. *orandum. Christi resurrectio est nostræ resurrectionis spiritalis ratio.*

ARTIC. III.

§. II.

IV. Quamvis generalia themata tyronum exercitio permitti queant; Sacrum tamen Oratorem in Ecclesia *hypotheses* decent, quæ rejectis subtilioribus quæstionibus vel fidei dogmata credenda proponunt, vel virtutis amorem, aut vitii alicujus fugam suadent, vel Sanctorum laudes imitandas enarrant.

§ II.

De Partibus Eloquentiæ Sacræ.

IN arte Eloquentiæ Sacræ duo sunt, quæ primum, ac præcipue spectari queunt: *materia* videlicet, sive causa; *forma* dein, sive præcepta. Utrunque duplices Eloquentiæ Sacræ confurgunt partes.

I. *Ratione Materiæ.* Triplex ista causarum genus olim in Eloquentia Civili obtinebat: *Judiciale*, *Exornativum*, ac *Deliberativum*. Judicialis usus (*q*) jam pridem exolevit; imò tota reliqua profanæ Eloquentiæ

q) *Varia fuere Eloquentiæ fata.* Primum floruit apud Græcos, postea apud Romanos, ubi ante Christi ortum, Ciceronis ætate, velut in gloriæ apice constituisse videtur. Post eversam populi libertatem, Cesaribus rerum Romæ potentibus, cepit paulatim deficere, dum Sæculo II. primum à Rostris, mox & à foro pene repulsa langvebat. Sæculo IV. aliquantum restrorescere visa, in templis Christianorum, per Constantinum Magnum toto orbe apertis, maxime zonabatur. Tandem Sæculo VII. omnis omnino Ele-

quentiæ ars à foro, & curia ad moderandam religionem, nobiliorem Reipublicæ partem, in templum est traducta. Hæc autem in triplici plerumque genere Sacri Oratores versari solent: in *Didactico*, cum docent: in *Panegyrico*, cum laudant: in *Morali* denique, cum hominum mores ad virtutis studium, ac vitiorum horrorem informant. Unde è tribus his Causarum generibus tres Eloquentiæ Sacræ partes, sive species, exoriuntur. Prima est *Didactica*, altera *Panegyrica*, tertia *Moralis*. Quarum singulas speciatim alibi complectemur.

II. Si vero artis Eloquentiæ *forma*, sive præceptiones considerentur, cum præterque de quinque capitibus, de rerum videlicet *inventione*, de partium *dispositione*, de totius Orationis *elocutione*, de *memoria* item, ac *pronunciatione* tractent, tota Eloquentiæ Sacræ ars ratione formæ, quinque enumeratis partibus continetur, quas secuturis libris persequemur.

B 2

CA-

quentia defecit in Italia, jacuitque in renebris ad usque Francisci Petrarchæ tempora (Sæculi nempe decimi quinti prope initia) quibus neglectos veterum codices, excussis Italiæ Bibliothecis, in medium proculis legendos, ac cum iis antiquam Eloquentia laudem restituere cepit. Quam postea Sæculo XVII, ac XVIII. Galli præcipuè plurimum provexere, veteri profanæ Eloquentiæ forma in templum traducta. Musanzius in *Tabulis ætatis septimæ tabula 35.*

CAPUT II.

DE REBUS SACRIORATORIS.

CAPUT. II.

ARTICUL. 1.

§ I.

EXpeditis, quæ ad ipsam *Eloquentiæ Sacræ* artem pertinuisse videbantur, prolegomenis, nunc artifex (ut (r) Fabius ait) qui percipit hanc artem, idest Orator, cujus est summa benedicere, formandus venit. Agit de eo Cicero libris tribus, ad Q. Fratrem, alio item ad M. Brutum, sed (ut Fabius advertit) non mores conatur dare, & assignat Officia; sed de ipso demum dicendi genere, quo sit usus perfectus Orator, satis habet dicere. Primus Forensium Rhetorum Fabius Quintilianus profani Oratoris mores, & officia præscribere cepit, quo nomine (s) Turnebo est magnopere commendandus, quia partem ab omnibus dicendi Magistris prætermittam pertractavit. Hujus vestigia secuti primum agemus de munere Oratoris Sacri, eccui illud conveniat? tum de dotibus, quibus instructus esse debeat? postea de vitiis, quæ in scribenda Oratione vitare oporteat.

ARTICULUS I.

DE MUNERE ORATORIS SACRI, ECCUI
CONVENIAT?

§ I.

Munus Oratoris Sacri præcipuum est Episcoporum.

AD Concionem Sacram publice dicere non unicuique hominum generi est con-

r) *Quinct. de Instit. Orat. L. 2. C. 14.* (s) *Apud*

concessum. Mulieres jam pridem vetuit (t) & Apostolus, & Synodus IV. (v) *Carthaginensis*. Laicis vero idoneis, cum pauci forent Presbyteri, aut sæviente persecutione haud ita facile ad prædicandum oportuni reperirentur, vel alia etiam de causa Sacri Antistites concionandi potestatem dedere: ut *Origeni* nondum Presbytero (x) ab Episcopis *Palestinæ* concessa est, legatione ad eum missa. Quod postea *Demetrius Origeni* infensus multum quidem improbavit; *Alexander tamen Hierosolymitanus*, & *Theoctistus Cæsariensis* acriter tuiti fuere: id offensionem haud esse posse arbitrati: cum idem antea (verba sunt *Nicephori*) apud *Sarandos Evelpis à Neone*: *Iconii Paulinus à Celso*, *Synadæ Theodorus ab Attico*, omnibus illis *Beatis Fratribus*, invitati fecerunt. Hoc tamen universe vetitum fuisse à Divo discimus (y) *Leone*: præter eos (ait ille) qui sunt *Domini Sacerdotes nullus sibi jus docendi, aut prædicandi audeat vendicare, sive sit ille Monachus (z), sive sit Laicus, qui alicujus scientiæ nomine gloriatur*. Merito igitur di-

B 3

spici-

Petrum Burmannum in notis ad præmium libri 12. de Justit. Oratoriæ Quintilianæ.

t) Docere autem Mulieres non permitto. i. ad *Timoth. 2.* v) *Cap. 99. apud Bernard. Ferarium de ritu Sacr. Conc. L. 2. C. 12.* x) *Niceph. Callist. Hist. Eccles. L. 5. Cap. 14.* y) *S. Leo epist. 62. ad Maximum.* z) *Monachos ejusmodi intellige, qui intra Legatorum ordinem censentur.*

CAPUT. II. spiciendum venit, eccui munus Oratoris
 ARTICUL. I. Sacri præcipuum esse debeat?

§ 1.

II. Nascente Ecclesia prædicandi verbi DEI cura primum Apostolis est commissa, ea de causa electis, ut *euntes in mundum universum prædicarent Evangelium omni creaturæ*. Ab Apostolis jam inde à primordio, præ cæteris omnibus, convenit Episcopis Sanctissimis Apostolorum Successoribus. Confirmant hoc innumera & (a) Patrum, & Conciliorum testimonia. *Tridentini* (b) certe decreto: *nullus contradicente Episcopo prædicare præsumit*. Hi enim sunt, quibus per Apostolum (c) dictum est: *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit Sangvine suo*. Quod etiam quam sancte, ac religiose admodum explere studuerint integerrimi Ecclesiarum Præsules, testantur innumera tot *Homiliarum, Tractatumum, ac sermonum* ad populos habitorum omni propemodum ætate pronuntiata monumenta. At quoniam gravissimis (ut sæpe fit) utriusque Reipublicæ negotiis à prædicandi munere eos prohiberi contingat, jam à primis Ecclesiæ Sæculis vicariam aliorum, nunc *Presbyterorum, sæpe Diaconorum, interdum Notariorum, ac Inter-*

a) *Adducit de hoc complura Patrum, & Conciliorum testimonia Bernard. Ferarius de ritu Sacr. Conc. L. 2. C. 1 & 2.*

b) *Seff. 24. C. 4. de Refor. c) Act. 20. v. 28.*

CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§ II.

positus corpore abesset, spiritu tamen aderat, in eodemque cum his, qui pugnabant, certamine versabatur, & quibus lingua opitulari non poterat, iisdem per literas succurrebat, -- cohortatoris orationes conscribens. -- Ac plures prope modum solus ipse per epistolas ad subeundum Martyrium inducit; quam ceteri per se omnes, qui cum dimicantibus præsto erant.

§ II.

Est etiam Presbyterorum.

Presbyteros etiam id operis habuisse perspicuum est ex Leonis Papæ verbis jam ante allatis: ut præter eos, qui sunt Domini Sacerdotes nullus sibi jus docendi, & prædicandi audeat vendicare. Concilium quoque Vasense II. (h) sancivit: pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi placuit nobis, ut non solum in Civitatibus; sed etiam in omnibus Parochiis, verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem.

II. In Alexandrina quidem, & Africae olim Ecclesiis nemini ulli Presbyterorum fas erat præsentibus Episcopis assurgere pro concione. Hinc nonnullos Africae Antistites moleste admodum tulisse memorat (i) Possidius: datam esse Augustino, adhuc Presbytero, potestatem à Valerio Hipponensium Episcopo coram se in Ecclesia Evangelium prædicandi, contra usum & consue-

h) Can. 2. anno Domini 529. i) In vita Augustini C. 5.

consuetudinem *Africanarum Ecclesiarum*, licet ipse homo Græcus ob Latini sermonis imperitiam hoc munere defungi neutiquam rite posset. Sed mos hic ab *Hieronymo* vehementer (k) improbatus, in *Alexandrina* Ecclesia initium habuit *Arii* solum tempore, cum accepta docendi provincia novis rebus Ecclesiam perturbare cepisset. De *Africanis* vero Episcopis constat (l) ex *Possidio*: complures Presbyteris copiam tribuisse tractandi verbi DEI, postquam *Augustinus* ingenti fructu, & fama concionatus tota *Affrica* percrebuisset.

§ III.

Concessum est Diaconis.

PRO concione dicere olim concessum fuisse *Diaconis* ex Apostolorum actis compertum habemus. *Stephanus* Princeps *Diaconorum* magno Spiritu, & fructu (m) legitur prædicasse verbum DEI. *Philippus* etiam, de septem nascentis Ecclesiæ *Diaconis* unus, *Evangelistæ* (n) nomine ornatur, quod *Samariæ* Evangelium annunciarit. *Divus Ignatius* Martyr sua ad *Philadelphenses* epistola, non laudibus modo *Philonem* Diaconum effert ob verbi ministerium sibi præclare commodatum; sed eos præterea hortatur, ut Episcopo, Presbyteris, ac *Diaconis* DEI verbum tractaturis aures fide-

B 5.

ter

k) *Epist. ad Nepos.* 1) *Loco jam citato.*m) *Actor. 6.* n) *Actor. 21. v. 8.*

ter præbeant. Sanctissimos quoque Viros
 CAPUT. II. *Vincentium* (o) Martyrem, ac *Gregorium* (p)
 ARTICUL. I. Pontificem, *Diaconatus* ordine solum infi-
 § IV. gnitos, novimus Evangelii munere fuisse
 perfunctos.

II. Id autem præcipue expleverunt
 urgente persecutione, dum Christianos
 carceribus detentos ad mortem pro Chri-
 sto fortiter subeundam fuerant adhortati.
 Atque istud est fortasse, cur *Diaconi* à Ty-
 rannis præ cæteris fuere vexati. *Beniamin*
 Persam à prædicatione desistere nolentem
 exquisitis affectum suppliciis prodidit (q)
Theodoretus.

III. *Nec hodie Diaconus debet probiberi*
 (r) *exercere onus prædicandi, nisi ob justam*
aliquam causam. Imo plerisque etiam Reli-
 giosis, prima licet solum tonsura ornatis,
 Pontifices Maximi potestatem dedere pu-
 blice concionandi. (s)

§. IV.

Incumbit Sacris Curionibus.

AUcto fidelium numero, cum Sacri An-
 tistites tantæ haud sufficere possent
 multitudini, instituti sunt *Chorepiscopi* (t);
 idcir-

o) *Aug. Serm. 1. de S. Vincent.* p) *Joan.*
Diaconus in vita Gregorii L. 1. C. 41. q) *Theodor.*
Hist. Eccl. L. 5. C. 38. r) *Declar. in C. 4. Sess. 24.*
de Ref. s) *Bern. Ferar. de ritu Sacr. Conc. L. 2. C. 10.*

t) *Alii aliam Chorepiscoporum originem ferunt,*
at de hac, cæterisque Chorepiscoporum rebus disputa-

idcirco hoc nomine compellati: quoniam (ut *Damasus* ait) *Villarum quasi Episcopi* fuere, vel certe (ut *Concilium Neo-Cæsareense* loquitur) ruri minoribusve locis *Episcoporum Vicarii* extitere, quorum vice animarum curam (ut nunc fere Sacri faciunt *Curiones*) illic exercebant. Sublatis *Chor-episcopis* solum *Curiones*, sive (ut dicimus) *Parochi* remansere. Horum (v) institutionem ad *Dionysium Papam* referunt non pauci; quanquam *Baronius* asserat: *Parochias* jam ante à *Dionysii* decessoribus certis limitibus distinctas, *Presbyterisque* divisas fuisse; cum persecutio *Valeriani* turbasset, iterum divisisse, ac pro ratione distribuuisse, cœmeteriaque singulis consignasse (x).

II. At utcunque hæc sint, illud certum: quemadmodum *Paulum*, ad munus prædicandi divinitus electum *Evangelizandi* necessitas tenebat (*necessitas enim mihi*, ut ipse (y) ait, *incumbit, vœ mihi est si non Evangelizavero*) ita *Sacris Curionibus Pasto-rali*

re, non est nostri instituti. Qui plura volet, legat Natalis Alexandri Hist. Eccl. Sac. IV. appendicem ad Dissert. 44. Item Dominicum Macri in Hierolexico.

v) *Parochus*, πᾶροχος, idest distributor, (scilicet *ve præbitor à παρέχω, idest præbeo*) quia distribuere, ac conferre *Sacramenta* subditis tenetur, pro quibus aliquando *Sacrificium* applicare debet. *Domin. Macri in Hierolex. Dicitur etiam Plebanus à plebe, cujus curam habet.*

x) *Sandin. in Vitis Pontif. y) I. ad Cor. 9. v. 16.*

CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§ IV.

CAPUT II. *rali animarum cura obstrictis spargendi ver-*
 ARTIC II. *bi DEI maxime incumbit onus. Pridem hoc*
 § I. *Sacra agnovere Concilia. Tridentinum (2)*
novo rursus decreto ita constituit: Archi-
presbyteri quoque, Plebani, & quicumque Pa-
rochiales, vel alias curam animarum habentes
Ecclesias quocumque modo obtinent per se, vel
alios idoneos, si legitime impediti fuerint, die-
bus saltem Dominicis, & Festis Solemnibus ple-
bes sibi commissas pro sua, & earum capacitate
pascant salutaribus verbis docendo, quæ scire om-
nibus est necessarium ad salutem, annunciando-
que eis cum brevitare, & facilitate sermonis vi-
tia, quæ eos declinare, & virtutes, quas con-
sectari oporteat ut pœnam æternam evadere, &
cœlestem gloriam consequi valeant.

III. Quare (Lemovicensis (a) Concilii
 verbis utor) omnes Sacerdotes, quibus Paro-
 chia commissa est, omnibus Dominicis, & Festis
 diebus admonere prædicando populum debent se-
 cundum illud: argue, obsecra, increpa: quia Sa-
 cerdos si sine prædicationis sonitu incedit, inter-
 minatione divina mortis reus est.

ARTICULUS II.

DE DOTIBUS ORATORIS SACRI,

§ I

De Dotibus Naturæ.

Naturam vocamus: vim, ac indolem
 unicuique hominum à Natura paren-
 te, & autore DEO præstitutam. Hæc si
 in

2) Sess. 5. C. 2. de Reformat. a) An. 1031. paulo ante finem.

in Oratore Sacro fuerit præcellens, accedente cultura multum fructus feret. CAPUT. II. ARTIC. II. Duae illa partibus constat: *mente*, ac *corpore*, utriusque dotibus Sacer Ecclesiastes instruat, oportet. § I.

I. In *Corpore* necessum est: 1. Ut habeat *pectus*, & *latera* laboris contentioni paria. 2. *Respiratio* non sit ei brevis, nec difficilior, aut debilior. 3. *Lingua* polleat volubili, & soluta, haud tamen præcipiti, ne voces forbeantur; sed nec balba, aut gravi, & impedita, quæ audientis aures, mentemve fatiget. 4. *Vox* sit solida, flexibilis, & canora. *Solida*: ne dicentis contentione facile frangi queat. *Flexibilis*: ut Orator suo arbitrato, quocunque voluerit, eo confestim ducat, ac reducat. Si spiritum suspendere debeat, possit. Si vocem submittere, aut erigere, vel quocunque flexu: lentius, celerius, concitatius, lenius quidpiam oporteat enunciare, continuo sine ulla præstet difficultate: nec enim in dictione deterius quidquam esse solet *ὁμοτονία*, sive æquali vocis, ac spiritus intentione. *Canora*; ut ab omnibus percipi, ac intelligi queat; non autem stentorea, quæ aures obtundat; sed, ut *Cicero* desiderat, sit *Tragædorum*. 5. Habeat *manuum* ac corporis agilitatem, ut gestu sit prompto, ac libero; non tamen audaci, aut scenico. 6. Tota denique *oris*, ac reliqua *corporis* conformatio virilem quamdam præse-

CAPUT. II. præferat venustatem, ut ipse aspectus in
 ARTICUL. II. animos audientium influat, & dicenti pa-
 § 1. riat dignitatem.

II. Quod ad *mentem* attinet: tres il-
 lius præcipuas memorat dotes (b) *Amadaeus*: ingenium, iudicium, & memoriam.
 I. Valeat Orator præstanti *ingenio*, cui
 sua infit celeritas, acumen, perspicuitas,
 flumen. *Celeritas* ad prompte inveniendâ
 Orationis sive themata, sive argumenta.
Perspicuitas ad explicandam, quæ in rebus
 esse solet, difficultatem, & obscuritatem.
Acumen ad confirmandum, ac refutandum.
 Denique *flumen* ad rite eloquendum. 2.
 Polleat *iudicio* in ordine, ac rerum dele-
 ctu, ut è pluribus materiis, & argumen-
 tis ea deligat, quæ fuerint Evangelio,
 tempori, loco, cæterisque circumstantiis
 oportuniora; in ordine autem, ut rem
 unamquamque suo noverit constituere lo-
 co. 3. *Memoriam*, habeat celerem ac fide-
 lem: ut dicenda facile menti imprimat,
 & impressâ fideliter retineat. Nihil tur-
 pius in Oratore Sacro, quam memoria cre-
 brius vacillare, vel penitus falli. 4. *Au-
 daciam* præterea verecundiæ admixtam,
 quam *Fabius animi præstantiam* vocat, in
 Oratore requirunt alii, ut eum nec metus
 frangat, nec acclamatio terreat, nec audientium
 autoritas ultra debitam reverentiam tardet.

III.

b) *Amadaeus* in Eloqu. Christi. L. 1. C. 3. Art. 2.

III. Hæ autem dotes non perinde in-
 sunt unicuique. Vix ullum, imo ne vix
 quidem reperies, in quem omnia hæc or-
 namenta mater natura plena manu contu-
 lisset. Plerumque mediocritate instruimur;
 nec tamen propterea animo cadendum:
 multa labore, & artis studio in altum pro-
 vehuntur; quin teste *Cypriano Soario*: *in*
re præstantissima vel mediocritas commendari
meretur.

CAPUT. II.

ARTICUL. II.

§ II.

§ II.

De Dotibus Scientiæ.

SANCTI Apostoli nascentis Ecclesiæ prin-
 cipio, parum ab arte, & scientia in-
 structi, omnem rerum dicendarum notiti-
 am à Divino Spiritu acceperunt. At his tem-
 poribus, Religione Christiana altiores jam
 radices agente, neququam ab hujusmodi
 portentis futura sibi præsidia polliceatur
 Orator Sacer. Grandis profecto temerita-
 tas, ne dicam vesania, foret, quempiam
 in arte, & scientia rudem in pulpitem fa-
 crum semet inferre audere. Sit igitur O-
 rator Sacer à doctrina tanto muneri ido-
 nea, & necessaria egregie comparatus. Du-
 plici vero (ut diximus) parte Sacra quævis
 constat Oratio: *materia*, & *arte*: utriusque
 igitur cognitionem habere debet.

I. Calleat *artificium*, sive *præcepta*,
 quibus nempe de fontibus themata eruan-
 tur, eruta apte proponantur, proposita
 elegan-

CAPUT. II.

ARTICUL. II.

§ II.

eleganter dividantur, divisa solidis, & ex ipsa re natis argumentis confirmantur, confirmata exornentur. Sciat præterea unde petenda sint exordia? qua ratione diducenda confirmatio? confutatio tractanda? digrediendum ad mores? Quomodo instituendæ transitiones? amplificationes faciendæ? affectus excitandi? denique tota Oratio quali epilogo, ubi maxima vis esse debet, concludenda. Nec satis est Eloquentiam generatim novisse; sciendum est insuper unumquodque Orationis genus ex arte pertractare, sive illud fuerit *Didacticum*, sive *Panegyricum*, sive *Morale*. Nolim tamen, cum artis studium commendo, ut quis in Oratione Sacra artificium affectet. Plerumque nimia hujus cura haud parum imminuit Oratoris autoritatem, elevat dictionis fidem, aridam veluti, & exanguem reddit Orationem. Summa ars est concionem ita struere, quasi sine arte structa esse videretur.

II. Quod ad *materiam* spectat: Omni propemodum sacrae eruditionis genere perpolitus sit Ecclesiastes. Cum primis autem egregiam sanioris *Theologiæ* non *scholasticæ* modo, ac *Dogmaticæ*; sed etiam *Polemicae*, ac *Moralis* habeat cognitionem, sine quibus nemo ullus solidi, doctique, quocunque in genere, Oratoris nomen obtinebit. Sit præterea instructus notitia *Scripturæ Divinæ*, *Sacrorum Conciliorum*, *Historiæ Ecclesiæ*.

clesiasticæ, ac præcipue Sanctorum Ecclesiæ Patrum assidua lectione, quibus, ceu totidem fundamentis, & sanior *Theologia* niti debet, & verus, germanusque Sacrarum Literarum sensus peti solet, & amplissimus ad dicendum campus haberi potest. Non tamen (ut multis Oratorum usuvenit) ad captandam doctrinæ famam, omnem, quam potest, eo congerat eruditionem. Farrago hæc farciat verius, quam ornabit concionem: magnam pariet sermonis prolixitatem: denique Oratoris memoriæ non parvam adferet difficultatem.

§. III.

De Dotibus Virtutum.

Vetus Fabii (c) ex mente *Catonis* dictum est: *eum qui sit Orator, virum bonum, dicendi que peritum esse oportere, sed nec futurum quidem Oratorem, nisi virum bonum.* Cum autem vir bonus (d) citra virtutem intelligi non possit, ante omnia mores Oratori virtutum studiis erunt excolendi, atque omnis honesti, justique disciplina pertractanda, sine qua nec vir bonus, nec dicendi peritus esse potest. Hæc si in profano Oratore requirunt Forensis Eloquentiæ Magistri *Fabius*, & *Cato*, suntne in DEI Ministris, Divini verbi prædicatoribus prætereunda? Imo vero in montem excelsum, id est: Evangelicæ perfectionis culmen, ascende tu, qui evangelizas *Sion*, inquit (e) *Isaias*.

C

Dua-

c) *Quint.* L. 12. C. 1. d) *Ibidem* C. 2.e) *Isa.* 40. v. 9.

CAPUT. II. Duabus autem præcipue virtutibus, totidem veluti gradibus, ex mente (f) *Amadæi* eo conmittantur Oratores: *Puritate, & Zelo.*
 ARTICUL. II.
 § III.

I. *Puritate*, eaque *interna, externa, & intentionis*. 1. *Interna*; ne ullo graviore crimine mentem habeant inquinatam. Peccatori (g) dixit DEUS, *quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* 2. *Externa morum*, ut sint (h) exemplum fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in fide, in castitate. Nemini (i) dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Princeps, (ut dixi) Sacri Oratoris officium est, apposita dictione persuadere: quæ, oro, persuaserit? si iisdem, quæ concione perstringit, avaritiæ, ebrietatis, luxuriæ, superbiæ, iræ, cæterisque sceleribus notatum ipsum etiam Oratorem noverit auditor. Imo nec ea, qua oporteret, vi Spiritus interna, vitia potest infectari, si eorundem vitæ male actæ criminum conscientia, & religione urgeatur. 3. Denique habeat *puritatem intentionis*. Non quærat, quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi. Prædicet DEI verbum; sed nudum. Appetat gloriam; sed Divinam. Studeat fructui; sed animarum. Si laborem optatus destituat successus, nec populi excipiat frequentia, non idcirco tristitia

f) *In Eloq. Christ. L. 1. C. 4. Art. 2. Sect. 3. & 4.*

g) *Psal. 49. v. 16.* h) *1. ad Tim. 4. v. 12.* i) *2. ad Cor. 6. v. 3.*

stitia afficiatur; at nec multitudine, vel CAPUT I.
 plausu concurrentium hominum efferatur; ARTICUL. II.
 minus circumpedis instar Urbem obeat, ut § III.
 gloriolam, præclaræ prædicationis inane stipendium, aucupetur. Cuncta attribuat uni, qui dat incrementum, DEO.

II. *Zelo* instruatur Ecclesiastes, idest: eo animi ardore, ut quæcunque ad DEI gloriam, hominumque salutem profutura censerit, edicat *ardenter*, *intrepide*, *prudenter*.
 1. *Ardenter*, ne dicentis Oratio languescat. Id vero fiet, si interius sincero Divini amoris spiritu, Gloriæ DEI, hominumque salutis desiderio agatur, quem exterius præferat vultus, gestus, vox, cæteraque morum conformatio, ut ex ipso Oratoris aspectu haud ita hominem dicere; quam ipsum DEI Spiritum loqui, intueantur. Hunc autem ardorem, velut ignem, continenter alat, & fuscitet assiduum meditationis, ac orationis studium. *Meditationis*: qua in dies memoria repetat infinitam DEI Optimi bonitatem summa gloria, & amore dignam: atque infelicissimam tot animarum quotidie pereuntium conditionem. *Orationis* postea: qua ardentissimis precibus DEUM perpetuo interpellat, ut hunc Divini Spiritus fervorem Oratori benignus præbeat, & conservet. 2. *Fidenter*; Sacer enim Orator pro Christo fungitur legatione: Legati munus est causam Principis *fidenter* agere. Proferat igitur Evangelicus

CAPUT. II. Precor omnem veritatem, quam vel occasio dicendam prudenter suaserit, vel officii ratio exegerit, vel Evangelium suggerit. Nemini cuiquam blandiatur, vel assentationis studio placitura loquatur: sed nec minis, aut convitiis, vel autoritate terreatur. Prædicet verbum magna animi libertate, arguat errores, increpet vitia, hortetur ad virtutem, neglecti admoneat officii, *instet oportune, importune*; cum omnium tamen *patientia, & doctrina*: sed maxime *prudencia*, quæ zeli ardorem, & fortitudinem temperet, libertatem moderetur. 3. *Prudenter* vero dicit: si concionem ad omnes rerum circumstantium leges exigat diligenter. *Sacro enim Oratori* (inquit (f) *Natalis Alexander*) attendenda sunt omnia: non solum scilicet auditorum status, sed etiam locus, tempus, res, de qua dicitur, & personæ suæ autoritas, & vitæ genus (addo etiam modus) ut apte, decore, & cum dignitate concionetur. Libet singula seorsim ad mentem *Amadæi* (g) explicare.

III. Sacro igitur Oratori, ut prudenter dicat: I. Advertendum est ad statum auditorum, ad quos dicit. *Aliter* namque, (h) teste Gregorio, admonendi sunt viri, aliter fœminæ. *Aliter* juvenes, aliter senes. *Aliter* inopes, aliter locupletes. *Aliter* subditi, aliter Prælati. *Aliter* servi, aliter domini. *Aliter* mundi

f) *Natal. Alexand. Instit. Conc. C. 2.* g) *Loco jam citato.* h) *Curæ Pastoralis p. 3.*

mundi sapientes, aliter bebetes. &c. Non enim una, eademque exhortatio cunctis congruit; quia nec cunctos par morum qualitas adstringit. Sæpe namque aliis officium, quæ aliis profunt. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo Doctorum, ut & ad sua singulis congruat, & tamen à communi ædificatione nunquam recedat.

2. Advertendum est *ad locum*, ubi dicitur. Non omnia apta sunt omni loco. Multis privatim multa dici queunt: imo non dici modo; sed acrius etiam ob ea perstringi, de quibus ne verbo palam admoneri sustinerent.

3. Advertendum est *ad tempus*, quo dicitur. Arbores, & vites suis tantum temporibus putatæ fructum ferunt: nec ulcera, nisi tempore, maturescunt. Sæpe Evangelico Oratori expectandum, sæpe connivendum: mora sanat, quod interimit temeritas.

4. Advertendum est *ad rem*, de qua dicitur. Multa sæpe dicere liceret; sed non decet: multa deceret; sed non expedit. Caveat igitur Ecclesiastes ea pertractare argumenta, è quibus non DEI gloriam, & animarum salutem, sed ignominiam potius, aut sacrorum contemptum, vel majorem pervicaciam, aut aliud detrimentum providerit secuturum. Nec vitia, præsertim luxuriæ, minutius; quam par sit, explicet, vel reprehendat; utilius est ea nescisse; quam cognita perpetrasse.

5. Advertendum est *ad personæ autoritatem*, quæ dicit. Non quælibet conveniunt cuilibet

CAPUT. II.
 ARTICUL. II.
 § III.

CAPUT. II.

ARTICUL. II.

§ III.

personæ Oratoris. Aliter dicendum est juveni, quam seni, quem ætas ratio, doctrina, usus plerumque amplius commendant. Nec Religiosis stipe corrogata viventibus suaserim crebriorem de eleemosynarum sermonem; ne forsitan sua potius quærere, quam Christum videantur. 6. Denique advertendum est *ad modum*. Absit! ut Evangelicus Orator forensibus, vel securilibus, aut asperis, & durioribus utatur verbis. Nec quidquam ejusmodi proferat, unde amore, vel odio, ira, vel invidia, aut quocunque proprii commodi studio concitatus loqui videatur. Nunquam singularia ullius acta ita perstringat, ut digito, quis fit, intendi queat: minus certos hominum, ut *Causidicorum*, vel *Opificum*, aut aliorum status, & conditiones acerbe traducat, & irrideat: minime vero Principum Virorum, vel publici Magistratus, aut Prælatorum mores, & vitia castiget; hæc enim plerumque nihil utilitatis, plurimum detrimenti afferre solent.

ARTICULUS III.

DE VITIIS SACRORUM ORATORUM IN
SCRIBENDA ORATIONE.

Complura sunt, nec omnium eadem, vitia Oratorum, quæ in scribenda Oratione tam veteres olim, quam recentiores modo, peccare consueverunt. Alii errant in *delectu thematis*, & *materiæ*: in rerum
dedu-

deductione alii : complures *in elocutione*. Singula placuit seorsim tyronibus sub aspectum ponere, potissimum ex (i) *Houdrio*, *Juventio* (k), & *Amadæo* (l), ut ea ab incubulis vitare condiscant.

CAPUT. II.
ARTIC. III.
§ 1.

§. I.

De Vittis in Delectu Materiae.

IN delectu materiae, sive thematis multis modis peccari solet. Primum, cum themata deliguntur *allegorica*, nimium *generalia*, dein *multiplicia*, admodum *particularia*, *theoretica*, *subtilia*, *inutilia*, denique *tempori*, & *personis auditorum* nequaquam *accomodata*.

I. Erratur *allegoricis* : ut enim novitate dicendi laudem sibi compararent, diu mos obtinuit apud veteres, praesertim posterioris aevi, Oratores, in *Panegyricis* usurpandi *themata allegorica*, non ex Evangelio, & Scripturis Sacris (quod laudandum foret) belle deprompta ; sed aliunde à *rebus naturalibus*, vel ex *fabellis Poëticis* aut *historiis profanis*. Item ex *anagrammatibus*, vel *nominum notatione*, aut *conjugatis* putide accersita, adeo, ut allegoria non partem unam ; sed ipsum Orationis corpus effecerit. Hujusmodi sunt : 1. A *rebus naturalibus* :
S. *Franciscus Borgias est pbaenix ex Isabelle cineribus*

C 4

i) *De Hodiern. Concion. rari. Proleg.* 1. k) *De Ration. discend. & docend.* C. 2. Art. 1. § 7. 1) *In Elog. Christ.* L. 1. C. 3. Art. 3. Sect. 3. Item ex M. SS. *Oratoris.* Sigism. Calles, & Steph. Gasó Soc. JESU.

CAPUT. II.
ARTIC. III.
§. I.

neribus redivivus. S. Joannes Evangelista est aquila mystica altum volans. S. Thomas Aquinas est sol orbem Theologicum illustrans. S. Emericus est lilium in Regio Hungariæ horto enatum. S. Catharina est fortunæ rota. S. Vincentius Fererius est bos Cherubicus prædicatione boans in Europa. Pentecoste est æstas amoris. Nativitas byems vitiorum. Denique S. Ignatius (quod ipse non sine risu, verius indignatione audivi) est cervus claudus altum saliens. Quinta in curru Ezechielis rota. &c. 2. Ex Fabulis Poëticis: S. Xaverius novi orbis Atlas. S. Ignatius mundi Prometheus. Christus Perseus. Natura humana Andromeda, Danaë Beata Virgo. Peccatum bydra. 3. Ex anagrammatibus: S. Aloisius via solis. Ursula laurus. Prudentia tarde puni, & aliæ hujusmodi (ut candidè loquar) Sacræ Eloquentiæ fordes, & quisquiliæ. 4. A notatione, & conjugatis: S. Stephanus est corona. Agnes agna. Ignatius ignis. Ambrosius ambrosia. Corpus denique est pus. 5. Fuit etiam ætas, quæ Sanctorum Ecclesiæ Virorum (quod multis jam modo non probatur) cum veteris Testamenti Patriarchis, aut Viris illustribus v. g. S. Stephani Hungariæ Regis cum Moyse: Ladislai cum Josue: Ignatii cum Gedeone: Thomæ Aquinatis cum Salamone comparationes instituebat. At quemadmodum ista scite, ac prudenter pertractata prorsus reprobare non ausim; præsertim, cum in Sacris Literis, & Sanctis Patribus, hujusmodi comparatio-

ratio-

rationes factas esse sciam ; ita nec omnem omnino allegoriam , præcipue ex Evangelio , aut Scriptura desumptam , si ex arte , cum dignitate , graviter , & ad mentem SS. Patrum convenienter fiat , censeo esse rejiciendam. Nam ipse etiam orbis Servator Christus , ut populorum Orientalium mori se conformaret , in parabolis fere loquebatur.

CAPUT. II.
ARTIC. III.
§ I.

II. Peccatur argumentis *nimum genericis*. Cum pro Concione *Morali* non *hypotheses*, idest particularia (ut dixi) ac determinata themata ; sed *theses*, sive generales quædam propositiones usurpantur : quæ per omnia, vel saltem pleraque, rerum genera vagantur, nullam certam, & distinctam virtutis, ac vitii idæam exhibent. Ut: *dicam de officiis hominis Christiani* : quin addat, quo in statu, vel occasione. *De lingue vitis*, quæ plurima sunt. *De charitate proximi*, aut *viis ad salutem deducentibus*, quæ libri potius, vel cujusdam (ut ajunt) tractatus ; quam sermonis propiora sunt argumenta. Pro concione igitur probanda veritas sit simplex, ac determinata. Simplex, non quod porro dividi nequeat: ordinatæ enim Concionis corpus efficere debet, suis ergo partibus, ac membris constare debet : sed simplex, idest, ejusmodi una particularis veritas, quæ tot partes, seu puncta inter se connexa suppeditet, quot ad justæ Orationis materiam sufficiant. Ut ;

CAPUT. II.

ARTIC. III.

§ 1.

pro inimicis est orandum : quia I. id Christus docuit verbo : 2. Fecit exemplo : 3. Urget præmio. Beata Virgo immaculata conceptione I. multum discessit ab hominibus : 2. plurimum accessit Deo.

III. Committitur error argumenti multiplicitate : sive , dum ejusmodi themata sumuntur , quæ tot in se alias complectuntur conciones , quot pene habent partes. Ut : si quis ad concionem diceret *de reparatione triplicis injuriæ : I De reparatione injuriæ in bonis fortunæ per injustam usurpationem illatæ : 2. De reparatione injuriæ in bonis famæ per obreçtationes causatæ : 3. De reparatione injuriæ in bono conscientie per scandalum proximo illatæ.* Vide : singula hæc membra æquam Orationi separatim instituendæ materiam præbent.

IV. Contra non minus errant etiam ii , qui argumenti simplicitatem , & unitatem religiosius servaturi ; multipliciter vero devitaturi , in aliud oppositum extremum ruunt : *particularibus* quibusdam argumentis adeo arctos sibi cancellos præstituant , ut ea nec debite probare , nec latius queant amplificare sine aliorum ope argumentorum. Quod plerumque contingit Oratoribus ad aliquas parabolæ Evangelicæ , aut actionis circumstantias se nimium adstringentibus. Ut : *calix frigide dandus pauperi sitienti.* Vel certe percurrunt occasiones , & *praxes* magis obvias exercendæ

cedæ virtutis, ut si *pietatem in Virginem DEI Matrem Sabbati jejunio exercendam* suaderes. Aut denique suggerunt media ad vitium quoddam fugiendum nimium specialia, quæ licet ad aliquam Moralis Concionis partem distinctius inductionibus tractandam deservire queant, omnem attamen concionem explere minime possunt.

V. Peccant nonnulli pro Concionibus Moralibus themata pertractantes *theoretica*, in sola rerum cognitione posita, ad usum, & formandos hominum mores non admodum profectura, verbi causa: *Christus quantum passus corpore, tantum animo: imo acerbiora fuisse illius animi; quam corporis vulnera.* Sacer igitur Orator animi incertus, quod potissimum deligat è pluribus, quæ se offerunt, argumentis, semper *præcticas*, ac præcipuas Religionis Christianæ veritates cæteris anteferat. Ejusmodi sunt pleraque Sermonum S. Chrysostrami ad populum Antiochenum themata. Ut: *modico vino utendum. Mors non est timenda. Utilis est Principum timor. Christianum oportet vitam rectam habere. Eleemosyna est ars omnium artium quæstuosissima. Magnum bonum est propria peccata agnoscere. Omni supplicio pejus est DEI regno privari. In virtute positum ledere nihil potest. Communicare nolens nec orationi dignus est interesse. Ob amorem Christi omnem oportet tribulationem sufferre. Maximum in tribulationibus lucrum gratiarum actio. Regnum*

CAPUT. II.

ARTIC. III

§. I.

gnum cœleste absque tribulationibus, & laboribus acquiri non potest. Nihil prodest jejunium, si reliqua desint merita. Melius est injuriam pati, quam inferre. Nemo læditur nisi à se ipso. Et his similia; tum Auditori utiliora, qui iisdem magis movetur, cum Oratori faciliora, cui ad has egregie tractandas amplior suppellex suppetere potest.

VI. Sunt etiam Oratores tunc se pulchros ac beatos arbitrati, cum sublimiores è difficilioribus Scripturæ, aut Theologiæ locis quæstiones pertractant, inde varios (ut ajunt) conceptus formant: de scientia DEI, de hominum prædestinatione, de gratia, vel libero arbitrio, & his similibus. Licet non negem Oratorem Sacrum, doctiorem apud Auditorem, posse interdum thematis sublimitate altius assurgere; ista tamen prudenter, nec promiscue, sed condimenti instar parcius sunt usurpanda. Vel siquid hujusmodi in Concionibus præsertim Polemicis adversum sectarios examinandum fuerit, quam commodissime, ad vulgi captum, atque intelligentiam, omiſſis Scholarum vocibus, ac formulis, perficiendum erit.

VII. Alii res dicunt inutiles. Verbi causa: quod pomi genus erat, cujus esu lapsi sunt primi Parentes? Tribusne an quatuor clavibus fuerit Christus cruci affixus? An Nabuchodonozor Rex re ipsa in brutum sit mutatus? Ex qua arbore avulsa fuerit miraculorum effectrix
Moyſis

Moyſis virga? &c. Quibus jure igni, & aqua interdixere recentiores Oratores.

CAPUT. II.
ARTIC. III.
§ 1.

VIII. Denique haud parum erratur concionem argumentis nec *tempori*, nec auditorum *perſonæ* accomodatis. 1. *Tempori*: cum ſolennioribus ſacrorum dierum celebritatibus, quibus maximorum Religio- nis noſtræ myſteriorum memoria recolitur, v. g. feſto *Dominicæ Nativitatis*, aut *Reſur- rectionis* die, pauca de his verba in exordio dicunt, reliquum ſermonem de pœnitentia, vel de morte in peccato, ad morum diſciplinam ſtatim convertunt. Licet hæc alia occaſione utiliter tractarentur; his tamen temporibus ſacra illorum dierum myſteria exiſtimo explicanda: ne populus hæc audiendi cupidus ſua fraudetur expectatione: tantorumque beneficiorum major æſtimatio concilietur. 2. Nec eorum conſuetudinem probo, qui omnia argumentorum genera ad quodlibet Evangelium trahunt, vel longis verborum ambagibus, vel ope violentæ cujuſpiam SS. Patrum, aut Scripturæ interpretum explicationis. Naturalia, & rebus inſita ſint oportet Sacræ Orationis argumenta. 3. Non deſunt etiam, qui ad magna ſe exemplaria com- poſituri, ea dicunt, quæ Principum, aut Nobilium aulis, vel doctiorum frequentia forent digniora: quaſi omne hominum genus iisdem ſcleribus, vel eadem doctrinæ præſtantia præditum foret. Potiſſimum Sa-
cri

CAPUT. II.

ARTIC. III

§ II.

cri Oratoris sit officium thema suum captui Auditorum conformare. Quod fecisse Divum *Chrysostrum* memorat *Simeon Metaphrastes*. Nam ad unius mulierculæ, sermonis sublimitatem assequi non valentis, murmur, priorem dicendi formam in simplicem ita commutavit, ut postea semper intellectu faciliorem, & apertiolem composuerit Orationem.

§. II.

De Vitiis in rerum deductione.

UT in delectu; ita in ipsa etiam argumenti deductione non unus error admitti solet. Primum peccatur in *argumenti divisione*: postea in *probationibus*: demum in *modo componendi*. Ordiamur ab ultimo.

I. Erratur *componendi ratione*. Multi cæco velut impetu aggrediuntur ad scribendum. Quodcunque congruere videtur proposito, statim arripiunt, in eoque defudant, sæpe frustra. Facerent commodius, si materiam Concionis ante suas in partes digererent, dein probationes inveni-
rent, ex quibus σκελετον, sive osseam quamdam compagem formarent, ac postea sua velut carne vestire occiperent. Sicut autem in corpore humano ossa suis juncturis, quasi vinculis, membra vero nexibus sunt juncta, & connexa, quin nexus ratio appareat; ita probationes, ac reliqua Orationis membra aptis transitionibus, totidem

dem veluti vinculis, sunt inter se conjungenda, quin artis quæsitæ studium pateat.

CAPUT. II.
ARTIC. III.
§ II.

II. Non leves admittuntur errores in *divisione*. 1. Diu in more positum erat, nullam (ut dixi) in Oratione Sacra divisionem usurpandi, quam tamen præstantissimi Græcorum æque, ac Latinorum in suis de arte Rhetorica præceptionibus, tanquam rem maxime necessariam, commendarunt.

2. Alii contra tametsi adhibuerint, haud tamen liquido, palam, ac distincte proposuerunt, sed nescio quo consilio, quibusve involucris ita celarunt, ut vix, ac ne vix quidem, vel à *Lynceo* structura illa, & partitio percipiatur. Quod in Oratione Sacra merito correxerunt recentiores.

3. Quidam vero hujusmodi partitionum studiosiores in tot iterum partes dividunt, ac iterum, iterumque subdividunt suas propositiones, ut satius foret nullam divisionem attulisse. Nam hac ratione non sat amplius Eloquentiæ Sacræ campus aperitur; cum singulæ probationes pro sua dignitate, ac justa magnitudine nequeant debite pertractari, nisi Orationem in immensum opus excrecere velimus. Quare hæ subdivisiones in concionibus, præsertim brevioribus, & vulgaribus, nisi vel materia sponte offerat, vel illius dilatandæ ratio deposcat, utilius omittentur. 4. Similiter abstinendum censeo à partitionibus nimium exquisitis, ac nitentibus, quæ

CAPUT. II.

ARTIC. III.

§ II.

quæ caliginem plerumque argumento of-
fundunt, & perſæpe plus, quam poſtea
Orationis decurfu probari queat, polli-
centur.

III. Infunt etiam probationibus ſua,
haud levia, peccata: ſi rationes ad confir-
mandum ſumantur *ineptæ, otioſæ, infirmæ,*
nimum congeſtæ, abſconditæ, denique *longius*
petitæ. Juvat ſingula explicare.

IV. *Ineptæ,* quæ non nituntur pro-
priis Eloquentiæ Sacræ locis: nimirum au-
toritate Scripturarum, fide Conciliorum,
teſtimonio Sanctorum Patrum, & Hiſtoria
Eccleſiaſtica; ſed potiffimum ex floſculis
Civilium Hiſtoriarum, Philoſophorum, ac
Profanorum autorum ſententiis, populo-
rum legibus, ac conſuetudinibus, ſcitis
rerum naturalium, ac phyſicarum obser-
vationibus depromuntur. Quibus ſuperi-
orum temporum Oratores Sacras Concio-
nes farcire verius, quam ornare, ſolebant,
adeo, ut fuerit tempus, quo *Plinium,* vel
Plutarchum didiciſſe, idem erat, ac ſummam
Oratoris gloriam occupari. Hæc licet
prudenter delibata, parcius, ac breviter
aſperſa, non parum gratiæ habere poſſint
(nec enim iſta magis Sacram Orationem
dedecere puto, quam elegantem ſimilitu-
dinem adferre, diſertam allegoriam con-
cinnare) putide tamen, ac frequenter in-
culcata non mediocriter Sacræ Orationis
decus obſcurant.

V. In.

V. *Infirmæ*, & *otiosæ*, quæ tametsi è locis *Theologicis*, Sacræ Eloquentiæ propriis, desumuntur, ad firmandum tamen propositum parum, aut nihil omnino conferre possunt. Talia sunt: applicationes verborum Spiritus Sancti sine ulla auctoritate: Scripturæ loca in alium sensum male detorta: Biblici conceptus non ad rem pertinentes: locutiones emphatice prolatae ex authoribus, quos sæculi barbaries male loqui coegit: varii mystici verborum nihil significantium sensus: historiæ, & Sanctorum exempla minus probata. Item cum diversæ Sacrarum literarum lectiones, ut: *Latinae Hebraicæ, Græcæ*, nonnunquam etiam *Arabicae, Syriacæ, Chaldaicæ*, item *Theodotionis, Aquilæ, Symachi* versiones longe, lateque cum fastidio Auditorum, vulgarium præsertim, commemorantur: imo ex *Cabalistis* etiam promuntur quædam, velut *Oraculis* similia.

VI. *Congestæ*: cum argumenta agglomerantur, quin aliquod eorum debita cum amplificatione exornetur. Quod certe obruit, non erudit Auditorem. Similiter congerunt alia super alia Scripturæ, & Patrum testimonia, Sanctorum exempla, ut eorum locorum, & exemplorum fiat insulsa congeries, non jugis Oratio. Nec ii placent, qui probationes suas ita commutant, ut Orationis propositionem primum Scripturæ auctoritate, dein sententiis Patrum, validis

D

demum

CAPUT. II.

ARTIC. III.

§. III

demum rationibus confirmet. Nam hæc concionandi ratio, licet solida foret, semper tamen usurpata haud leve tædium gigneret Auditori: non crebris citationibus modo, sed æquabili etiam forma. Nec enim, quantacunque cura adhiberetur, ita disponi, variari, ornari possent, quin locorum idem affirmantium molesta farrago nauseam tandem, & fastidium crearet.

VII. *Absconditæ*. Est in more quorundam, Gallorum præsertim, Oratorum, qui ne filum Orationis abrumpant, consulto Scripturæ loca, maxime Patrum sententias, abscondunt: cum tamen usu quotidiano doceamur, Divini Spiritus verba, & Patrum dicta majorem vim, ac pondus ad persuadendum habere, quam marte nostro, quamcunque eleganter, & Scripturæ, Sanctorumque Doctorum sensibus convenienter elaborata.

VIII. *Longius petitæ*. Displicent etiam magnopere probationes, quæ non sunt simplices, & argumento propriæ; sed aliunde longius petitæ. Dixi: *simplices*, quæ sensato Viro confestim se objiciunt, nec opus est multa meditatione, ut excogitentur. *Proprias* autem appello, quæ directe argumentum probant: nec remotius ex generalioribus quibusdam principiis inferuntur. v. g. Siquis *carnem esse domandam, jejunium vero amplectendum* suaderet, ducto inde argumento: *quia id ad majorem DEI gloriam*

gloriam foret : certe hæc ratio nec *simplex*, nec *propria* esset ; cum proximior sit ista : quod caro Spiritui repugnet, ac idcirco illius legi subjici debeat ; jejunium autem *vi* sit maxime salutaris ad eam rationi subjiciendam.

CAPUT. II.

ARTIC. III.

§ II.

IX. *Theoreticæ*. Cavendum etiam, ne soliditatis specie, & obtentu rationes nimium theoreticæ, & abstractæ, atque ex reconditoris Theologiæ penu depromptæ adferantur, in Concionibus præcipue Moralibus : sicut enim argumentum est morale, ita illius pertractandi ratio moralis sit, oportet : idest, facilis, & auditorum captui conformata. Quod si Theologica miscenda sunt, prudentiæ Oratoris intererit, ita explanare, ut, quid iis velit, diu quærendum non sit.

X. Denique (cujus pene oblitum amicus admonerat) sunt, qui se in *thesi*, vel certe in argumenti parte, ad rem haud multum factura, totos occupant ; in *hypothesi* vero, vel ubi vis Orationis, quam Græci *κρίνόμενον* vocant, consistit, negligentius versantur. Unde Tyroni diligenter pervidendum, quod sit dictionis *κρίνόμενον*, ut eo omnes postea probationum, & amplificationum nervos conferre queat. Alii Orationis proposito fideliter non insistent : longe alia, quam promiserant, Concionis decursu tractant, extra oleas (ut ajunt) vagantur, omnia permiscent, à cælo incipiunt, in inferno desinunt. Satagat

CAPUT. II.

ARTIC. III.

§ III.

igitur Eloquentiæ Tyro, ut arreptum di-
ctionis thema presse, ac fideliter probet.

§. III.

De Vitiis in Elocutione.

Elocutionis vitia ad quatuor capita re-
vocari queunt. Alii dicunt *splendide* :
contra alii *sicce* : quidam *duriter* : non pau-
ci *sine affectu*, *jejune*.

I. *Splendide* : qui splendor sæpe est
tantum in *verbis*, aliquando in *sententiis*,
plerumque consistit in *flosculis*. 1. *In ver-
bis* : cum Oratio exquisitis, & magnificis a-
bundat verbis, rebus autem, ac sententiis ca-
ret: quæ tamen dextre, ac dissimulanter pro-
bationibus inspergi deberent. 2. Alii con-
tra toti sunt in gravioribus ejusmodi *sen-
sibus*, omnia ingeniose, ac subtiliter dicere
gestiunt, affectant ubique (magna sint li-
cet, vel parva, quæ dicunt) styli genus
concisum, & sublime; ut quot verba, to-
tidem de cælo oracula fuisse videantur.
Verum hujusmodi tornata elocutio, ta-
met si mulcendis auribus sit oppertuna, ani-
mis tamen permovendis minus apta : nam
Auditor, dum splendidis his verbis inten-
dit, abstrahit quasi mentem ab attentione,
rebus ipsis impendenda. Accedit, cum
omnia niteant, & magna sint, nihil est,
quod majorem præ cæteris excitet admira-
tionem : cui postea hominis animus pecu-
liariter adhæreret. Quare Oratio Sacra
sit

fit quidem nitido, & eleganti stylo, ac, CAPUT. II.
 dum materia deposcit, etiam magnifico e- ARTIC. III.
 laborata; naturali tamen, imaginis in- § III.
 star; quæ non eosdem ubique colores, sed
 aliquando umbras habet, ut ea, quæ sunt
 majoris momenti, potius elucescant. 3.
 Quidam haud ita graviore sensus, quam
 floridum styli genus affectant: adhibent
 descriptiones luxuriante calamo factas:
 ludunt acuminibus: antitheses studiose
 quærunt: allegorias, & similiter cadentia
 crebrius usurpant: denique compto, &
 phalerato dicendi genere adulterant ver-
 bum DEI. Dixi: *adulterant*: *adulter* enim
 (inquit (m) S. Gregorius) *non prolem, sed*
voluptatem quærit: ita vanæ gloriæ serviens
prædicator recte adulterare verbum dicitur; quia
per sacrum eloquium non DEI filios generare;
sed suam scientiam desiderat ostentare.

II. Alii dicunt *sicce*: idest, anguste,
 & exiliter. Audendum aliquando (ut ait
 (n) *Juventius*) nec semper littus legendum.
 Succus, vigor, dignitas Orationi concili-
 anda, tum rerum copia, tum præcipue va-
 rietate figurarum, & splendore. Veteres,
 si lubet, vide Oratores: ut rem eandem
 multis versant modis; nunc interrogando
 urgent: nunc quasi adversario quærenti
 respondent: alias addubitant: quid e mul-
 tis unum, aut quo pacto dicant: sæpe cum

D 3

iis,

m) *Moral. L. 8. C. 6.* n) *In Candid. Rbet.*
C. 5. Art. 6.

CAPUT. II.

ARTIC. III.

§ III.

iis, qui audiunt, sæpe cum adversariis, aliquando secum ipsis deliberant: hominum sermones, consilia, mores pingunt: adducunt personas fictas: exclamant, jocantur, irascuntur, deprecantur.

III. Quidam agunt omnia duriter, & acerbe: ac tunc se operæ pretium ingens fecisse arbitrantur, cum scelera, & sceleratos diris omnibus devovent, in infanda capita congerunt, quidquid felis, & acerbatis vel indoles, vel artificium suggere potest: particulares hominum mores, status, & officia describunt, adeo, ut integri sermones meræ sint ejusmodi *Philippicæ*, & *Hypothiposes*. Fateor in Moralibus Concionibus ingens vitium foret, de moribus, & Christiana disciplina generatim disserere, ad causam particulatim vix unquam delabi; istud enim necessarium puto, ut se auditor, quis sit, velut in speculo, intueatur. Hæ tamen descriptiones modestius, nec prius adhibendæ, quam veritas solidis probetur argumentis. Præterquam quod ejusmodi frequentes, ac prolixæ, per omnia scelerum genera, hominum mores, status, conditiones, institutæ descriptiones inutiles sint; cum plerumque ad paucos præsentium Auditorum pertineant; facile etiam fastidium pariunt: cum mutatis vocabulis idem recitare, eandem semper crambem recoquere, incudem tundere videantur. Accedit

cedit, quod malignis interpretibus anſa præbeatur has infectationes jam huic, jam illi, nunc præſentibus, nunc abſentibus attribuenti. Quæ res & offenſam, & negotium, iſtis etiam Oratoribus, perſæpe moleſtum faceſſere conſuevit. Utilius igitur agent, ſi morbi cauſam validis ante rationibus detegant, poſt medicinam proponant, ac demum ad eam amplectendam adhortationem, calcar veluti, ac ſtimulum, adhibeant.

CAPUT. II.
ARTIC. III.
§ III.

IV. Aſt alii, hunc errorem evitaturi, in oppoſitum pene prolabuntur. Dicunt acute, (ut *Juventii* verbis utar), ſubtiliter diſſerunt, ornate, ac eleganter loquuntur: plaudit Auditor, ac miratur, ſed (ut *Auguſtinus* loquitur) non convertitur: hæret in cœno vitiorum: idem, qui venerat, abit iterum. Cujus mali cauſa eſt, quod Oratores in tanto verborum, ac ſententiarum ambitu in motibus ciendis, & affectibus, quibus voluntas concuti deberet, parci ſint admodum, ac jejuni. Plerumque in theſibus verſantur, vix unquam ad ſingularia descendunt, quæ tamen auditoris ſenſum, comminuti inſtar grani piperis (ut ait (o) *Segneri*) intimius afficere ſolent.

D 5

CA-

o) In *Inſtit. Parochi* C. 7.

DE REBUS AD ELOQUENTIÆ SACRÆ AD-
JUMENTA SPECTANTIBUS.

Sicut artes, & scientiæ reliquæ, ita Elo-
quentia Sacra rebus quibusdam, ceu
adjumentis, parari debet. Multum qui-
dem natura, & indoles eo conferre potest;
at hæc tenuia sunt tantummodo semina, ut
excrescant, subsidiis adjuvanda. Hæc au-
tèm ad quinque potissimum capita revocan-
tur: ad *lectionem librorum*, ad *rationem ex-
cerpendi ex libris*, ad *scriptionem*, ad *auditionem*,
& *dictionem*, denique ad *imitationem*. Sit.

ARTICULUS I.

DE LECTIONE LIBRORUM.

PRimum Eloquentiæ Sacræ adjumentum
ponimus: *lectionem librorum*, Sacro O-
ratori perquam necessariam. Sicut enim vi-
res humani corporis, nisi cibo repares, tan-
dem acciduntur: ita Oratori in tanta re-
rum pertractandarum varietate haud sem-
per suppetet, quo propositam materiam a-
pte confirmet, ac illustret, nisi mentem per-
petua excolat lectione. Ut autem ratio le-
gendi recte instituat, tria sunt cognitu
necessaria. 1. *Numerus legendorum*, sive
pluresne, an pauciores sint, legendi? 2.
Delectus legendorum, sive qui è pluribus,
vel paucioribus legi debeant? 3. *Modus
legendi*. Singula totidem numeris explica-
bo.

§ I.

De numero legendorum.

CAPUT. III.

ARTICUL. I.

§ I.

Longa jam pridem est disceptatio de numero legendorum. Si meo statueretur arbitrio, ita rem puto esse definiendam: spectata materia, & Oratoris eruditione, plures stylo autem, pauciores esse legendos.

I. *Ratione styli pauciores*: Tyronum enim ingenia plerumque sunt infirmiora, nec iudicio pollent sufficienti ad faciendam styli discrimina. Ne fortasse imprudenti variorum authorum lectione vitia combabant, à principe potius Oratore germanum Eloquentiæ Spiritum hauriant. Postquam autem salubriori (ut ita dicam) succo fuerint imbuti, nihil vetat, quo minus plures legant; ut ab aliorum virtutibus aliquid trahant, quod suis adstruant fundamentis: ac etiam ex ipsis, quos animadverterint, styli erroribus reddantur cautiores. Ita tamen ad plures divertant, ut semper ad principem redeant, quem initio sumptum confectandum. Quod præstantissimi fecere Oratorum. Sic Cicero Demosthenem, Cyprianus Tertulianum (quem Magistrum vocabat, da, inquit, Magistrum), Ambrosius Origenem, Chrysostomus Paulum assiduoolvebat.

II. Si autem materiam, & Oratoris eruditionem spectemus; quemadmodum cælum diversis sideribus, sertum floribus, ima-

CAPUT. III.

ARTIC. II.

§. II.

go coloribus constat; ita eruditio Oratoris variorum lectione librorum comparari debet: nec enim omnes omnia complectuntur libri: nec pari claritate, aut ordine tractant. Plerumque qua in re proficit unus, deficit alter, ac vicissim. Sacro autem Oratori, quis nescit? pro multiplici rerum dicendarum varietate multiplicem necessariam esse materiæ cognitionem, è multis non nisi libris hauriendam.

§. II.

De Delectu Legendorum.

Quid de *delectu* sentiam? aperio. Ingens est in uno quovis genere copia librorum. At quoniam non omnium idem est pretium, ac præstantia, nec pervolvendis omnibus ullius hominis ætas sufficere potest, eapropter ne inutilium lectione tempus conteratur, legendi sunt cum delectu. Ad hoc autem multum refert scire, quos legas. *Probatos semper lege*, inquit *Seneca*, idest, in una quavis classe, qui habentur, optimos. Qui autem è pluribus meliores, ac probatiores sint, sapientum judicio definiri debet. Ungaro Tyroni, nullius exteri idioma-*tis, Gallici, vel Italici, aut etiam Germanici* perito, Latini solum restant volvendi. Hos melioris ordinis gratia in duplici classe constituo. Primum pono eos, qui ad *artem Oratoriam* quoquo modo pertinent: postea, qui ad *eruditionem* Oratoris spectant (*p*).

*Libri**p) Brevis hic, qui additur, Catalogus prætermiſſis*

*Libri ad Artem Oratoriam quoquo modo
spectantes.*

CAPUT. III.
ARTICUL. I.
§ II.

I. Ex libris ad artem Oratoriam spectantibus ad condiscenda facilius *præcepta* legat: 1. *Amadæi Bajocensis* Paulum Ecclesiasten, sive Eloquentiam Christianam typis *Venetis, Augustanis, ac Viennensibus* nuper editam. 2. *Josèphi Moine Soc. JESU* Tyrocinium artis Oratoriæ Sacræ, & Profanæ. 3. *Francisci Neunayr Soc. JESU* Ideam Rhetoricæ. Item Viri Apostolici partem III. Cap. I. 4. *Valeriani Zellner* Ordinis Eremitarum S. Augustini Rhetoricam Sacram, publicæ luci nuper datam. 5. *Don Pii Manzador* Clerici Regularis S. Pauli, Prooemium in utrumque tomum Concionum, ubi de inventionem, amplificationem, & structuram agit Orationis. 6. *Abbatis de Bretteville* Galli Tractatum de Eloquentia Ecclesiastica, & Forensi. 7. *Patris Sciripepoli* Soc. JESU Itali Instructionem Ecclesiasticam, & Missionarii. &c.

II. Ad comparandum *Stylum Hungaricum* assidua manu terat opera *Petri Pazmanni Cardinalis*, præsertim Concionum, qui, mea sententia, primis Oratorum esset conferendus, si ad argumentorum soliditatem, ad eximiam, qua pollet, styli elegantiam, & copiam, affectus præterea, in quibus aspergendis par-
cior

plurimis confectus est ex fusiore Notitia Librorum Ecclesiasticorum, quam privato usui confecimus, Et ad operis calcem appendicis instar addiduri sumus, ut moles prohiberit.

CAPUT. III. cior est, ac temporis hodierni plenius artificium adjecisset, quod tamen in eo tolerandum esse videtur, cum id commune ætatis illius vitium fuerit.

ARTICUL. I.

§ II.

III. Inter *veteres Oratores* ex Sanctis Ecclesiæ Patribus gravitate, & suavitate pollet *Divus Basilius*: vi, & robusta facundia *Athanasius*: acumine, & vehementia *Gregorius Nazianzenus*: Orationis flumine *Gregorius Nyssenus*: eloquentia seria, & compta *Cyprianus*: sententiarum amœnitate *Ambrosius*: pugna, & argutia *Augustinus*: vi, & impetu *Salvianus*: majestate *Leo*: morum doctrina *Gregorius Magnus*: mellea quadam facundia *Bernardus*: diserta brevitate *Petrus Chrysologus*. Et quid de *Chrysostomo*? Hic ille est omnium veterum princeps Oratorum, cui ob aureum, quod in Græco habet, Eloquentiæ flumen, *Chrysostomi* nomen indidere. Quem Tyroni Sacræ Eloquentiæ nocturna, diurnaquæ manu versandum suadent.

IV. Ex *Recentioribus*, qui veteres arte multo præcellunt, studiosius legat *Gallos*, & *Italos*, quibus (ut ante dixeram) ad normam Civilium Oratorum restitutæ superiore sæculo Sacræ Eloquentiæ gloria merito debetur: ut in iis observet artificium, ac præcepta, quam sint in usum præclare ducta. *Galli* pollent ingenio, & ratiocinio, *Itali* affectu, & miro Scripturam, ac Patrum authoritatem tractandi artificio. Expertus sum gentem nostram multo amplius affici

arti

arti *Italorum*, quam *Gallorum*: utrumque ta-
men conjungendum est Ungaro Oratori; at
hic labor, hoc opus!

CAPUT. III.

ARTIC. I.

§ II.

V. Ex *Gallis* (q) *Vincentius* * *Houdri*,
(celebris ipse etiam Orator) præ ceteris
commendat à vi, & vehementia detonandi
Patrem Deligendes: à suavitate in animos ob-
rependi *Patrem Castillon*: à Majestate Sarla-
tensem primum, mox vero Matisconensem
Antistitem *Deligendes*: ab eloquenti fluidita-
te Petrogoriensem Episcopum *Le Bôux*: à
patheticis motibus Præsulem Aginensem
Claudium * *Foli*: à soliditate *Jacobum* * *Biroat*:
ab elegantia, & pietate *Patrem* * *Chemnais*
Societatis nostræ Virum. In panegyricis ce-
lebratur *Spiritus* (r) *Flecbier* * Episcopus Ne-
mausiensis, & *Franciscus* * *Senault* Congrega-
tionis Oratorii JESU Præpositus Generalis.
Sunt etiam alii tam in Morali, quam in De-
monstrativo genere, non sine laude alibi
(s) infra referendi. Id dolendum, hos omnes,
cæterosque *Ungaro* Tyroni ob *Gallici* fer-
monis, quo scripti sunt, imperitiam usui
haud esse posse. Feliciores sunt *Teutones*,
quorum laudabilis industria plerosque cele-
bri-

q) Quos hic, & alibi asterisco notatos legeris, no-
veris: idiomate etiam Germanico (quod sciam) esse red-
ditos. r) Principem in Panegyricis nominat *Gortsche-*
den in sua Eloquentia Teutonice scripta. Edidit etiam
Conciones funebres, quibus *Illustrium Virorum*, ac Mu-
lierum laudes posthumas prosequitur. s) L. 1. C. 3.
Art. 5. § 1.

CAPUT III
ARTICUL I.
§ II.

briorum Oratorum tam Gallorum, quam Italorum, suorum adjumento Tyronum reddit Germanice. Extant tamen Latine redditæ Conciones aliquot per Quadragesimam, & adventum Ludovici* Bourdalove Societatis JESU Presbyteri, Ludovici XIV. Christianissimi Regis quondam Oratoris celeberrimi. Item Sermones Patris Texier, & Anonymi Scientia universalis concionandi, sive Dictionarium Morale. Zacharias Lafêlve è Provincia Tolosana ordinis Recollectorum S. Francisci in Anno Apostolico tam Dominicis, quam festis diebus elegantes suggerit quidem partitiones; sed in iis deducendis ipsa Oratio admodum langvet, ac deficit.

VI. Ex *Ital*is, longius alibi (t) memorandis, latinitate donata sunt: 1. Opera Concionum Cardinalis Mariæ Cassini ex Ordine Capucinorum Pontificii quondam Oratoris. 2. Pauli* Segneri (u) Societatis JESU Presbyteri, in Aula Pontificia olim Ecclesiasticis, ac celeberrimi tota Italia Missionarii, quem alterum velut *Italiae* Ciceronem ferunt miro DEI Spiritu plenum. 3. Sunt etiam latine conversa opera Joannis Pauli Olivæ Societatis nostræ Præpositi Generalis. 4. Thomæ Reina ex eadem Societate Quadragesimales;

t) Loco jam citato. v) Inter opera P. Segneri recensentur: 1. Sermones Quadragesimales. 2. Panegyrici Sacri. 3. Sermones in Palatio Apostolico. 4. Homo Christianus, opus Concionatori utilissimum. 5. Manna anima. 6. Psalmus miserere explicatus &c.

les, facile Dominicis diebus accomodandi. CAPUT. III.
 6. *Cæsar* * *Calini* Læctiones in Samuelem. ARTIC. I.
Ignatii Chiaberge Panegyres, ac funebres O- § II.
 rationes, quas ab arte magnopere commen-
 dant Eruditi *Trivoltiensis*.

VII. Præter *Italos*, & *Gallos*, ex *Lusita-
 nis* latine extantibus memoratur à rerum di-
 cendarum subtilitate, ac profunditate *Anto-
 nius Vieira* nostræ Presbyter Societatis: à ve-
 hementia, & pathetico dicendi genere *Jo-
 sephus de * Barzia* Episcopus Gaditanus in
 Excitatore Christiano, & Manuductione.
 Ex *Germanis* Latine scripsit propius jam
 ad nostri genium sæculi *Josephus Ignatius
 Claus* Parochus in *Oberdorff* in spicilegio
 Concionatorio duobus tomis distincto.
 Item in Spicilegio Catechetico Conciona-
 torio. Edidit etiam Honorarias Concio-
 nes, sed Lingva Teutonica, in festa Do-
 mini, Beatæ Virginis, & Sanctorum. Sunt
 etiam *Petri Carlii* Sermones Latini in singulas
 totius anni Dominicas. Denique *Franciscus
 Xaverius Dorn* Decanus Fridbergensis in Ba-
 varia, edidit quinque tomulis *Diurnale Con-
 cionatorium*, usui Parochorum ruri degen-
 tium profuturum (x).

VIII. Pro rerum apparatu ad constru-
 endas facilius conciones proderit: i. Ex
 Polyantheis (y) *Josephi Langii* Florilegium
 Magnum

x) Reliquos vide infra L. 1. C. 3. Art. 5. §. 1.

y) Sunt & aliæ Polyantheæ L. 1. C. 3. Art. 5. §. 2.
 referendæ.

CAPUT. III.

ARTIC. III.

§. II.

Magnum, *Andreae Spanner* Polyanthea Sacra, præcipue: *Tobiae Lobner*, & *Vincentii Houdri*, Bibliotheca Concionatoria, ubi amplissima partitionum, ac probationum supellex præbetur. *Francisci Heger* Soc. JESU Sylva cogitationum Sacrarum pro cathedra. *Natalis Alexandri* Institutio Concionatoria, Theologiæ suæ Dogmaticæ accomodata, uberem in singulos Dominicos, & Festos dies materiam datura. *Jacobi Tiran* Soc. JESU Missionarius Apostolicus. Anonymi *Breviarium Scripturificum* recens Tyrnaviæ procursum. *Abbatis de* Bretteville* Specimina Sermonum Moralium per Quadragesimam, ac totius anni Dominicas Gallice primum scripta, postea Germanice reddita, ubi pulcherrimæ Concionum ideæ proponuntur, subjunctis, quæ ad propositam materiam facere possunt, scripturæ, & Patrum testimoniis. Dantur etiam *Specimina Sermonum Panegyricorum* Gallico idiomate facta. Denique Panegyrum usui erit *Durandi* Libellus Gallicus de Characteribus Sanctorum &c.

IX. Pro eodem apparatu ex antiquioribus posterioris ævi Oratoribus non parum subsidii adferent Tyroni artis perito S. *Vincentii Fererii* Sermones. *Michaelis Vivien* Ordinis Recollectorum S. *Francisci Tertulianus* Prædicans. *Petri Bessæi* Regis Christianissimi Ecclesiastis Sermones. *Mathiæ Fabri* (z) Soc. JESU Presbyteri Opus tripartitum
Con-

z) Antea Parochus Neofori in Palatinatu superie-

Concionum, item Auctarium. *Henrici Engelgrave* Lux Evangelica, Cælum Empyreum, & Cœleste Pantheon. *Philippi Hartung*, Philippicæ. *Michaelis Pexenfelder* Florus Biblicus, & Concionator Historicus. *Michaëlis Garau* Sapiens à Divina Gratia instructus, ubi exquisitos conceptus reperies (a)

CAPUT. III.
ARTICUL. I.
§ II.

X. Multum etiam proderit legisse pro apparatu opera *Ascetica*, verbi gratia: *S. Laurentii Justiniani*, *S. Francisci* Salesii*, *Dionysii Carthusiani*, *Ludovici Granatensis*, *Cardinalis Bellarmini*, *Ludovici* de Ponte*, *Cardinalis Bona*, *Hieremie* Drexelii*, *Alphonfi* Rodriguez*, *Jacobi Alvarez*, *Nicolai* Causini*, *Nicolai Lancicii*, *Eusebii* Nierembergii*, *Leonardi Lessii*, *Francisci Senault*. Item *Cardinalis de Richelieu* Librum de Christiana perfectione*. *Suffren* Annum Christianum*. *Surin* Dialogos Asceticos*. *Santjure* de Cognitione*, & *Amore Domini Nostri*. *Corderii Familiam*

re, post ad S. Mauritium Ingolstadii: ubi una Professor, & Universitatis Procancelarius erat, demum Presbyter Societatis. Obiit Tyrnaviæ in Hungaria, in Academico Societatis Templo tumulo conditus.

a) *Ungaro Tyroni, si peritus sit artificii, amplissimam non unius dictionis materiam dabunt domestici Oratores, ut: Pelbartus de Temesvár ex Ordine S. Francisci, Mathia Corvini Ungariæ Regis celeberrimus quondam Orator, Stephanus Csete, Steph. Landovics, Viszocsáuyi, Paulus Baranyi, Georgius Kaldi, maxime Conciones Petri Pazmanni Cardinalis. Tenta! experieris,*

CAPUT. III.

ARTIC. I.

§. II.

liam Sanctam. *Dozenne* Moralem JESU Christi
&c. (b)

XI. Denique eò deservient, qui Sa-
cra (ut dicimus) exercitia pro solitudine
conscripserunt, ut: * *Columbiere*, * *Bourdalove*,
De Belingan, *Martel*, *Delmas*, * *Nouet*, * *Cat-
taneo*, * *Rogacci*, * *Rosignoli*, * *Pinamonti*, *An-
tonius Cito*, Augustæ Viduæ Imperat. *Amaliæ* à
Confessionibus. Vel, qui meditationes in sin-
gulos anni dies ediderunt, ut: * *Crasset*, *
Croisset, * *Boisieu*, * *Nepveu*, * *Chappuis*, * *De-
la Neuville*, * *Cimaroli*, * *Grossiecz* (redditus e-
tiam Ungarice à Patre *Paulo Baranyi* Soc.
JESU.) * *Segneri* in Manna animæ. Aut Lecti-
ones Sacras luci publicæ dederunt, ut * *No-
vet*, * *Croisset*, * *Cataneo*. Maxime *Cæsaris* *
Calini duodecim menses, cæteraque doctif-
fimi Viri opera uberrimam eruditissimis Con-
cionibus materiam præbitura.

*Libri ad Oratoris Sacri eruditionem
pertinentes.*

I. Ex libris ad materiam, & Oratoris
Sacri eruditionem pertinentibus primus sit
Scriptura Sacra, quæ fons est inexhaustus
non tantum ad vitia profliganda, ac DEI ho-
stes debellandos; sed etiam formam præbet
pro

b) *Ex Ungaris inter ceteros ex Societate nostra
Asceticis operibus inclaruerunt. 1. Joann. Nádas primus
pro Germania Substituti munere Romæ perfunctus, po-
stea Eleonora Augustæ à Confessionibus. 2. Gabriel He-
venesi Provincia Austria Præpositus Provincialis, cujus
Quadragesimam Sanctam Latine Scriptam Germanice*

pro omni fere dicendi Characterum varietate. Et quidem ad Spiritum erigendum, legat *Isaiam*: Ad cor pathetico, animatoque dicendi genere aggrediendum, *Jeremiam*: ad terrorem inferendum, *Ezechielem*: ad amorem, ac devotionem inspirandam, *Danielem*. Universim: omnes Prophetæ habent vim, granditatem, ac naturalem quamdam eloquentiam, quam in profanis Oratoribus frustra perquires. Si pios sensus quæris? invenies in *Psalnis David*. Si exempla? innumera dabunt libri historici: *Moyſis*, *Judicum*, *Regum*, *Machabæorum*, cæterique: Si morum vis doctrinam? nemo eam enucleatius tradet *Ecclesiastico*, & *Salomone*, ac libris ethicis *Sapientie*, *Proverbiorum*, *Ecclesiasticis*. Si figuras, & argumentationes desideras? pulcherrimas suggeret *Paulus in epistolis*. Denique si fidei nostræ dogmata confirmare velis? solidissimum ad ea fundamentum præbebunt *Evangelia*, ac *Novi Testamenti Scriptores*. Verbo: Scriptura sit proprius Sacri Oratoris liber, quem statim ab incunabulis terat, ac perditum diem putet, quo unum, aut alterum non legerit caput, quod à pluribus magno proventu factitari scio. Memini etiam me audisse, ut quis eloquens, & pathetico sit Orator, nocte, diuque versandos ei esse *Prophetas*, *Psalms David*, ac *Pauli*.

E 2

li

reddidit Anonymus: Gallicè P. Perrus Miel in Belgio: Hungaricè Joan. Taxoni, ipse etiam scriptis idiomate Hungarico Asceticis libris clarus.

CAPUT III. *li epistolas, quas cum Chrystomo è memoria*
 ARTICUL. I *noverit recitare.*

§ II.

II. At quoniam Scriptura sæpe perquam est obscura, *interpretibus* eget. Clariorem illius sensum ex Sanctis Patribus dabunt: *Origenes, Hieronymus, Chrystomus, Augustinus, Gregorius.* Item *Theodoretus, Theophilactus, Nicolaus de Lyra* Ordinis S. Francisci, *Cardinalis Hugo, Alphonsus Tostatus*, vulgo *Abulensis*: de quo dictum est: *Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.* Denique *Dionysius Cartusianus*, ac utraque *Glossa.* Ex recentioribus universæ Scripturæ, vel faltem potissimæ, sensum literalem explicuerunt: *Thomas de Vio* Cardinalis, Ordinis S. Dominici, ab urbe *Cajeta*, cui Episcopus præerat, dictus *Cajetanus.* Ex Societate nostra: *Emanuel Sa, Joannes Mariana, Jacobus Tirinus, Stephanus Menochius.* *Augustinus Calmet* Ordinis S. *Benedicti* edidit *Commentarium Literalem* cum eruditis *Dissertationibus* in universam Scripturam. Præterea *Dictionarium Historico Criticum Generale Sacræ Scripturæ.* Denique *Cornelius à Lapide*, quem consulto ultimum nominavi, ut primum intelligerem, unus omnium *Concionatori* utilissimus. Particulatim vero ad usum *Sacrorum Oratorum* Evangelia interpretatus est: *Alphonsus Salmeron, Joannes Maldonatus, Cornelius Fansenius, Sebastianus Barradius, Baeza, Sylveira, Rota, Natalis Alexander.* *Psalms* explanavit: *Card. Bellarmi-*

nus

mus. Thomas Le Blanc Soc. JESU. In Jonam Prophetam scripsit *Paciucheli*. Ethicas Commentationes in Genesim, & Cantica Cantorum dedit *Joan Paulus Oliva. &c.* Denique *Cæsar Calini* acta Biblica veteris, ac novi testamenti edidit *Italice* cum Historicis, Theologicis, ac Scripturificis declarationibus, Sacro Oratori utilissimis. Extat hoc opus etiam Germanice, utinam redderetur Latine!

CAPUT. III.
ARTICUL. I.
§ II.

III. *Traditiones Divinas* ediscat è Sanctis Ecclesiæ Patribus, qui primis sæculis floruerunt, quorum plerosque eruditissimis notis, ac dissertationibus illustratos ediderunt *Monachi Benedictini* Congregationis Sancti *Mauri*, immortalis memoria digni, quos lubens recenserem, si operis brevitatis admitteret. *Ecclesiasticas* vero ex antiquioribus scripserunt: *Amalarius* Metensis Ecclesiæ Diaconus: *Walfridus Strabo* de rebus Ecclesiasticis: *Durandus* Mimatensis Episcopus in Rationali divinorum officiorum. Ex recentioribus *Cardinalis Bona* de rebus Liturgicis: *Joannes Morinus* de Sacris Ecclesiæ ordinationibus: *Ludovicus Elias Dupinus* in Dissertationibus de antiqua Ecclesiæ disciplina. *Prosper Cardinalis de Lambertinis*, nunc Pontifex *Benedictus XIV.* in suis Operibus. *Ludovicus Thomassinus* de veteri, & nova Ecclesiæ Disciplina. Denique *Edmundus Martenne* Congr. S. *Mauri* de antiquis Ecclesiæ ritibus. Item *Cardinalis Thomastus, Grancolas,*

CAPUT. III. *Cajetanus Merati, Petrus Le Brun, Josephus Renaudotius &c.*

ARTIC. I.

§ II.

IV. *Sacra Ecclesiae Concilia* longe, lateque complectitur *Collectio Regia Maxima Harduino-Labbeana*, edita Venetiis à *Nicolao Coletti*, quam auxit *Cl. Pater Mansi*. Brevius habet *Ludovicus Bail* in *Summa Conciliorum* duobus tomis distincta, quorum altero Generalia; particularia altero profequitur ex *Merlini, Foverii, Baronii, Binii, Cariolani, Sirmondi*, aliorumque collectionibus cum annotationibus Dogmaticis, ac Historicis edita. Brevissime *Bartholomæus Caranza, Joannes Cabassut*, ac *Petrus Annatus*. (c)

V. *Criticam* de operibus Sanctorum Patrum, ac *Historicam* de Scriptoribus notitiam dabunt: *Cardinalis Bellarminus* de Scriptoribus Ecclesiasticis: cujus supplementum edidit *Casimirus Oudinus* Belga Canonicus Regularis S. Augustini. *Aubertus Miræus* in Bibliotheca Ecclesiastica. *Antonius Possevinus* Soc. JESU in Apparatu ad Historiam. *Elias Dupinus* Presbyter Gallus in nova Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum. *Gulielmus Cave* Anglus in *Historia Literaria*. Legendum etiam suadeo *P. Delaubrussel* Soc. JESU Tractatum de abusibus Critices disciplinæ in iis, quæ attinent Religionem. Item *Honorati à S. Maria Carmelitæ* observationes super regulis, & usu Critices disciplinæ circa

c) *Hungaria Concilia* duobus voluminibus collegit, ac illustravit *Carolus Péterfi* Soc. JESU Presbyter.

ca opera SS. Patrum, acta antiquorum Martyrum, & vitas SS.

CAPUT. III.

ARTICUL. I.

§ II.

VI. *Historiam Ecclesiasticam* Veteris Testamenti scripsit *Flavius Josephus* libris viginti Antiquitatum Judaicarum. Item de Bello Judaico, cui intererat, libros septem, ob quos in Flaviam gentem adoptatus aurea statua Romæ donatus erat. *Augustinus Tornellus* Clericus Regularis S. Pauli duobus tomis. *Jacobus Salianus* sex tomis, cujus etiam epitome habetur. Brevius *Natalis Alexander*, & *Ignatius Amat de Graveson* Ordinis Sancti Dominici. Novi Testamenti Historiam ex veteribus Græcis scripsit *Eusebius Pamphili* Episcopus Cæsariensis, quem cum *Socrate*, *Sozomeno*, *Theodoreto*, *Evagrius*, *Philostorgio*, ac *Theodoro Lectore* Bisantino egregiis animadversionibus, ac dissertationibus illustratum Græce, ac Latine edidit *Henricus Valesius*. *Nicephorus Callistus* Scriptor Sæculi XIV. Libris octodecim, quem ex Bibliotheca *Matthie Corvini Hungariæ Regis* à Turcis abreptum, ac postea redemptum, ex *Vindobonensi* Cæsarea Bibliotheca Græce, ac Latine, ex recognitione sua, edidit *Fronto Duceus* Societatis JESU. Ex veteribus Latinis *Severus Sulpitius*, *Marcus Aurelius Cassiodorus*, *Paulus Orosius* Presbyter Hispanus, editus cum notis *Fabricii*, & *Lausii* ex recensione *Andræ Schotti*.

VII. *Inter Recentiores*: *Annalium Ecclesiasticorum* parens est *Cardinalis Cæsar Baronius*,

CAPUT. III.
ARTIC. I
§ II.

nium, quem continuavit *Abrahamus Bzovius*, postea *Henricus Spondanus*, qui etiam Baronii epitomen dedit, dein *Odoricus Rajnaldus*, ac novissime *Jacobus de Laderchio* Presbyter Philippi Nerii. Criticam in *Baronium* scripsit *Antonius Pagi* Ordinis Minorum Conventualium. *Emanuel Schelstrate* dedit antiquitatem Ecclesiæ illustratam. *Sebastianus Tillemont* Gallus Historiam primorum sex sæculorum. *Natalis Alexander* cum notis Constantini Roncaglia. *Ignatius Amat de Graveson*. Denique *Ludovicus Du Mesnil* Soc. JESU in Doctrina, & Disciplina Ecclesiæ ipsis veterum monumentorum verbis (d)

VIII. Notitiam Hæresum ex veteribus dabit *Epiphanius*, item *Augustinus* de Hæresibus. Ex recentioribus *Maimbourg* Gallus de Bellis Sacris, quem latinitate donavit *Vietrovski* Soc. JESU Bohemus, *Florimundus Remondus*, *Benignus Bossuet* in Historia variationis Protestantium, opus lectu dignissimum. Brevisime: *Danes*, & *Petrus Annatus*. Vitas Pontificum post *Alphonsum Ciaconium*, *Platinam*,

c) *Annales Hungaricæ Ecclesiasticæ*, edito jam uno volumine, scribere cepit *Melchior Inchoffer* Soc. JESU, Romæ ad S. Petrum Hungarus (ut ajunt) Penitentiararius. Memini etiam me vidisse *Francisci Foris Otrokotfi* Historiam Hungariæ Ecclesiasticam tomulis aliquot conscriptam. *Gabriel* vero *Hevenesi* Soc. JESU, à morte reliquit centum, & amplius manuscriptorum volumina ad Hungariæ Historiam Sacram æque, ac profanam pertinencia.

nam, *Onuphrium Panvinium* &c. complexus est *Georgius Eggs* in Pontificio docto. *Franciscus Pagi* in Breviario. Denique *Sandinus* in *Vitis Pontificum*. Brevissime: *Burius*, & *Gregorius Kolb* Societatis *JESU*. *Gesta Sanctorum* fusissime complectuntur de Societate nostra *Hagiographi Belgæ*, vulgo *Bollandiani*. Item *Simeon Metaphrastes*, *Surius*, *Rosveidus*, *Ribadeneira*, *Bonnesons Gallus* &c. (d)

CAPUT. III.

ARTIC. I.

§ II.

IX. *Scholasticæ Theologiæ Princeps* est *S. Thomas Aquinas*, cui addi possunt *Franciscus Suarez*, & *Gabriel Vasquez*, ac reliqui veteres, æque ac recentiores *Scholastici* (e). *Dogmaticam* complures pertractarunt, & quidem è Clero *Gallicano*: *Honoratus Tournelli* in *Prælectionibus Theologicis*. *Joan. Bapt. Du Hamel* in *Theologia Speculatrice*, & *Dogmatica*. *Ludovicus Habert* in

E 5

Theo-

d) *Vitas SS. Ungarice scripsit Stroph. Illyés* *Canonicus Strigoniensis*. *Gabriel Hevenesi* in *Cælo Pannonico M. SS. Martinus Czeles Soc. JESU* in *Indiciis Sanctitatis Hungaricæ*. *Joan. Bapt. Prileszki* ex actis *Bollandianis* collegit acta *SS. Hungariæ notis Historicis*, criticis illustrata. *Martinus Szentiványi* in *miscellaneis multa complectitur ad Historiam Sacram, & Sanctos Hungariæ pertinentia*. *Joan. Stiltingus Bollandianus* dedit *Commentarium in vitam S. Scephani Regis Hungarorum*, adversus *Svartzium Hungarum, Hallensem Historiarum Professorem*. Denique novissime *Daniel Farlati Italus Soc. JESU* edidit jam duos tomos *Illyrici Sacri*, daturus reliquos, quibus *Sacra Hungariæ, & Sanctorum Historia* multum illustratur.

e) Ex recentioribus *Universam Scholasticam Theologiam breviter, perspicue, ac solide complexus Antonius Erber Soc. JESU Universitatis Gracensis Cancellarius*.

CAPUT. III.

ARTIC. I.

§. II.

Theologia Dogmatica, & Morali &c. Ex Ordine S. Dominici: *Alexander Natalis* in Theologia Dogmatica, & Morali, *Carolus Renatus Billuart* in Summa S. Thomæ hodiernis moribus accomodata. *Vincentius Cardinalis de Gotti* in Theologia Scholastica Dogmatica. *Hyacinthus Serri*: cui addendus *Author de re Sacramentaria Dominicanus*, &c. Ex Scotistis: *Cardinalis Laurent. Brancatius*, *Claudius Frassen* in Scoto Academico, *Antonius Boucat*, *Joan. Gabriel Boyvin* &c. Ex Societate nostra: *Dyonysius Petavius*, *Edmundus Simonet*, *Gabriel (f) Antoine*, *Balthasar Franolini*, *Antonius Myr* &c. *Casparus Fuenin* Oratorii JESU in Instit. Theologicis. *Laurentius Berti* Ordinis Eremitarum S. Augustini. Denique omnium brevissime: *Ludovicus Abelli*, & *Ludovicus Danes* Præsbyteri.

X. Theologiam Moralem explicuerunt *Paulus Layman*, *Claudius La Croix*, *Anacletus Reinsensstuel*, *Sporer*, *Joannes Pontas*, *Franciscus Genetus*, *Felix Potestas*, *Constantinus Roncaglia*, *Beniaminus Elbl*, *Gabriel Antoine* &c. *Thomas Sanchez* quidquid pene de Matrimonio cogitari potest, totum fere complexus est.

Dogmatico Scholasticam his temporibus ex Ungaris scripserunt, in Universitate Viennensi Nicolaus Muszka: in Gracensi Franciscus Pejacevich Academia Cancellarius: in Tyrnaviensi Joannes Bapt. Prileszki Cancellarius, ac Nicolaus Schmitt Theol. Professor.

f) Hunc ab innumeris mendis, quibus scater editio Vexeta, imo etiam Parisina, repurgarunt, & Tractatu de Beatitudine auxerunt Theologi Cassovienses.

est (g). *Polemicam* pertractarunt ex Cardinalibus: *Bellarminus, Jacobus David Perronius, Armandus Plessæus Dux Richelius, Vincentius Gotti, Petrus Pazmannus (h)*, Item *Jacobus Gretserus, Martinus Becanus, Adamus Burghaber, Vitus Pichler, Petrus Cottonus, Augustinus Matheucci, Weislinger &c.* Denique huc pertinent *P. Seedorf* epistolæ ad Comitem Rheni Palatinum. *Jus Pontificium* illustrarunt ex recentioribus: *Augustinus Barbosa, Jacobus Pignatelli; Van Espen, Bartoli, Petrus Leurenius, Anacletus Reinsenfstuel, Franciscus Schmaltzgrueber, Vitus Pichler, cæterique*, quos longum foret percerere.

CAPUT. III.
ARTICUL. 2.
§ II.

XI. Denique *Christianam fidei doctrinam* explanarunt: *Cathechismus Romanus* jussu Concilii Tridentini editus, *Robertus Bellarminus, Franciscus Amat Pouget, Ludovicus Lipsin, Claudius Fleury, Mauritius Geiger, Mathias Heimbach, Nicolaus Turlott, Casparus Witsfelt, Petrus Marchantius, Antonius Ardia, D' Otreuman* in Pædagogo. Denique *Ignatius Parbamer* Missionarius per Archidiœcesim Viennensem &c. (i)

§ III.

g) *Laurentius Tapolesani Univ. Tyrnaviensis Rector, & Cancellarius præter opera Scholastica Theologica edidit Centuriam casuum eruditam sane.*

h) In Hodægo, cæterisque doctissimis suis operibus. Præterea scripserunt *Polemicè ex Societate nostra, Ambrosius Penalosa adversus Enyedinum Socinianum, Mart. Szentiványi, Mart. Zámbar, Joan. Rajcsani, Joan. Barna, Joan. Berzeviczi &c.* i) *Doctrinam Christianam ex patriis Scriptoribus explanarunt: Illyes Canonicus Scri-*

CAPUT. III.

ARTIC. I.

§ III.

§. III.

De Modo legendi.

NE lectio librorum sua careat utilitate, modus in ea servari debet. Hic autem duo complectitur: *ordinem, & attentionem.*

I. *Ordo* in eo positus est: 1. Ut librum quem sumpserit Tyro legendum, orationem præsertim, non tam à carcere (ut ajunt) ad metam decurrat; quam à capite ad calcem diligenter pervolvat: idest, ab exordio ad epilogum rimetur; adeo, ut ne ipsam quidem dedicationis epistolam, vel præfationem lectori inscribi solitam prætereat; hæc enim plerumque ad plenioram & auctoris, & libri faciunt cognitionem. 2. Si fieri potest, triplici semper lectione legat, sacram præcipue (ut jam monui) Orationem: nec enim uno, eodemque intuitu omnia statim ab omnibus perspici possunt. Primâ rerum inventionem observet: quis nimirum sit libri, vel Orationis Scopus? quæ illius partitio? qualia argumenta? Postea dispositionem: unde videlicet petitum sit exordium? quibus de fontibus divisio? ex quo loco ductæ argumentationes? qua ratione facta confutatio? qui sint affectus? quæ

gonien. qui etiam Alphonsi Rodericii opus de perfectione, Item Avancini Meditationes, & suarum opera Concionum Hungarico idiomate dedit. Ex Societate nostra: Gabriel Kapi in Institutionibus Doctrinæ Christianæ eruditissime. Joannes Barna in Schola Christi. Paulus Kolosvári in Carechismo Claudiopoli anonymi nomine edito &c.

quæ amplificatio? quomodo institutus epilogus? Demum observet elocutionem: quæ sit puritas, vel elegantia in verbis, ac in sententiis? quales figuræ? quæ transitiones?

CAPUT. III.

ARTIC. I.

§ III.

3. Non multa legat una lectione. Vitiosum est, quidquid nimium est. Onerat verius, quam reficit stomachum cibus copiose sumptus. Per partes scrutanda omnia; usu enim constat unam paginam mature discussam amplius prodesse, quam multa deproperasse.

II. *Attentio* autem in hoc consistit: I. Ne legat cursim, & festinato, canem è Nilo bibentem imitatus: nec quasi per transennam, sed meditato; singula ad trutinam, ac pondus revocando, cibi instar, quem mandere solemus, non glutire. 2. Si tamen nulla styli, vel artis, sed rerum tantummodo ratio habeatur, paulo celerius legi potest: non item, si cum rebus verba sint etiam excerptenda. 3. Si difficilius quid occurrat, cujus intelligentia sit utilis, ac necessaria, consistendum est, ac lectio iteranda; examinanda res, & verba, priora cum posterioribus conferenda. Si ne tum quidem libri mentem, ac sensum assequatur, progrediendum ultra. Sæpe posteriora illustrant priora. 4. Cum lectionem finierit, tacitus secum dispiciat: quid legerit? Ita enim fiet, ut lecta memoriæ firmiter insigantur, hærent tenacius.

ARTI-

ARTICULUS II.

CAPUT. III.

ARTIC. II.

§ 1.

DE RATIONE EXCERPENDI EX LIBRIS.

Non fatis est autores legisse, sed præterea opus est notatu digniora excerptisse, apum instar, quæ flores ad mel faciendum idoneos carpunt, ac postea per favos distribuunt. Hoc summi præstitere *Viri: Plinius Senior* vel inter cœnandum libros prælegi, & dignum memoria excerpti curabat. *Junior* vero non ad mensam modo, sed in ipsa terræ motu sub dio *Livium* in adversaria referebat. Nec *Augustinum, Hieronymum, Bernardum, Thomam Aquinatem, Tostatum, Salmeronem* ac *Franciscum Suarem*, celeberrimos doctrina, ac virtute Viros, tanta scribere potuisse affirmat (k) *Drexelius* sine adjumento excerptorum. Primum igitur excerptendi *utilitatem*, deinde *leges*, postea *methodos* explicabo.

§. I.

Utilitas excerptendi.

Multiplex est excerptorum *utilitas*: Libet eas recensere, ut Sacræ Eloquentiæ Tyrones ad studium, & solertiam excerptendi stimulentur.

I. Juvant lectionis *attentionem*, & *intelligentiam*. Sæpe multa cursim legeremus, at dum excerptimus, festinationi mora injicitur, ut lecta attentius, non temere in adversaria conjiciantur. Adjuvant etiam *intelli-*

k) *Aurifod. p. 1. C. 7.*

telligentiam : excerptendo enim pedem figere, lectis immorari, omnia scrutari, ac profundius expendere cogimur.

CAUPT. III.
ARTIC. II.
§ 1.

II. Prodest *memoriæ*. Semper enim altius menti infiguntur excerptis inscripta, duplici: attentæ nimirum lectionis, & meditatae scriptionis subsidio impressa. *Demosthenes Thucydidem* oëties descriptum ad verbum noverat recitare. Nec imprimuntur modo, sed etiam fidelius mente retinentur. Licet accidat, ut quis cum *Theodecete Cilice* Oratore quæcunque legerit, statim sciat, ac constanter retineat; id tamen paucissimis usuvenit: plerorumque memoria se vasis instar habet, quod multarum capax est rerum, plenum tamen rimarum. Vis malo mederi? adhibe excerpta: efficient, ut licet aliqua fuerint elapsa, relectis tamen brevi tempore adversariis, facile menti restituantur.

III. Excerpta sunt *Bibliothecæ* instar in omnem locum ingenti commodo asportandæ, quæ amplissimam ubicunque cuilibet, libris etiam destituto, vel saltem non perinde, & iisdem ubique locorum instructo, in annos plures & concionandi, & scribendi supellectilem præbebunt. *Candidissime dico* (inquit (1) Drexelius) *da mihi centum annos, & acriores oculos, & ego in annum quemlibet duos manuum libros polliceor, diversæ materiæ, quam liberaliter sat, scio, mea mihi ministr-*

1) *Aurifodina* p. 1. C. 8.

CAPUT. III. *strabunt excerpta.* Hæc notarum utilitas!
 ARTIC. II. hoc lucrum!
 § II.

§. II.

Leges excerptendi.

UT ratio excerptendi recte instituat, certas ei leges Drexelius (m) præstituit. 1. Ut fiat *matyre*: 2. *Cum iudicio*: 3. *Affidue*. 4. *Ordinate*. 5. Denique ut excerpta *sepius relegantur*. Singula paucis explico.

I. Excerptendum est *matyre*, idest: Si commodum fieri possit à prima statim adolescentia: eo enim copiosior erit supellex, quo studium istud ceperit temporius, ac diutius fuerit continuatum. Nec tamen obstat, quin serius ætate grandior ordiaris, quod tempestive junior neglexisti. Præstat tardius, ac nunquam cepisse.

II. *Cum iudicio*. Nec enim omnia statim in notas sunt referenda. Si obvia, si quotidiana, si millies fuerint decantata, sine damno poterunt præteriri. Qamvis sæpe etiam in communioribus hallucinamur: rem scimus; sed autorem, librum, ac libri caput, cæteraque attributa ignoramus. Malim tamen te in hoc vitium incidisse; quam nullis excerptis studuisse.

III. *Affidue*. Ut omnem lectionem consequatur adnotatio. Nullum esse librum tam malum, ut non aliqua ex parte prodesse possit, inquit *Plinius*. Nec tantum lecta, sed

m) *Aurifod. p. 2. C. 2,*

sed etiam audita, visa, imo ipsa etiam cogitata in notas sunt referenda. *Paulus Sengeri* celeberrimus Italiae Orator, siquid præclari luminis meditati occurrerat, confestim adnotare solebat, quod ad extremum pene diem usurpasse dicitur *Ignatius Vice-Comes* Societatis nostræ Præpositus Generalis nuper vita functus. Scio ipsemet Virum, eruditum certe, egregias, quæ sibi quibuscunque de rebus interdiu obveniunt, cogitationes destinatis confestim chartis inscribentem, testatus: sæpe eas sibi, aliisve, multum profuisse. Utinam imitareris!

CAPUT III.
ARTIC. III.
§. II.

IV. *Excerpta sæpius resumantur*, ne otiose in adversariis, velut in blattarum forulis, delitescant, & facile (nisi relegeris) in oblivionem adducantur. Denique ratio excerptendi sit *ordinata*, idest, methodum habeat suam, de qua speciatim agemus.

§ III.

Methodi excerptendi.

Variæ sunt excerptorum methodi. Quinque refert *Amadæus* (n) plures *Drexelius* (o): sed eæ ad duas contrahi possunt: *Generalem* nimirum, & *Specialem*.

I. In *Generali Methodo* prima est *Miscelanea*, sive fortuita, quam refert *Amadæus*, cum omnia confuse, & permiste, ut fors legendo, vel audiendo tulerit, excerptorum codici inscribuntur. Fit hoc modo:

F

I. Pa-

n) In *Eloq. Christ.* L. 2. C. 7. o) In *Aurifodina* p. 2.

CAPUT. III.

ARTIC. II.

§ III.

1. Paretur *ternio*, vel *quaternio* (quem si conscripseris, excipiat alius ex alio) duplici *limbo*, sive *marginē*, majori, ac minori instructus. 2. Singularum paginarum vertici inscribantur *numeri*, unam ab altera distincturi. 3. *Limbo majori* summa ex aduerso excerptorum apponatur, in qua dictio sensum præcipuum complexa *litteris majusculis*, vel saltem *subtractis*, pingatur, v. g. *ELEEMOSYNA est ars ditescendi*; in *minori* autem addantur *numeri*, res excerptas, & adnotatas indicantes, ac inter se discriminantes: nisi eos in *medio pagine* ipsis excerptis, vel etiam *summæ* in *limbo majori* præponendos judicares. 4. Ne aucti terniones multitudine, confusionem pariant, majusculis alphabeti characteribus A. B. C. typhotetarum more distingvantur. 5. Denique conficiatur index generalis excerptorum summas alphabeti ordine complexus, cui addatur numerus pagine, item marginis, si vis, etiam character *ternionis*, ut quæsitæ adnotatio facilius inveniatur.

II. Alia generalis methodus est *Codicum*, vel *Classium* à *Drexelio* (p) relata, quod in ea ratio excerpenti in certos *codices*, sive *classes* generales distribuatur. Instituitur hoc modo. Tres sunt *codices* excerptorum: primo *lemmata*, alteri *aduersaria*, tertio *historica* inscribuntur. *Lemmata* appellat *Drexelius*, quidquid historia non est, nec fusc exci-

p) *Aurifodina* p. 2. C. 3.

scribitur; sed tantum libri *autor*, *caput*, *paragrapus*, *pagina* &c. adnotatur: additis *vo-* CAPUT III.
ARTIC. II.
§ III.
culis: *hic breviter*, *iste fuse*, *ille optime*, ut inde scias; quis qua scripserit ratione. Eo spectant *virtutes*, *vitia*, cæteraque in sermonem familiarem adduci solita, ut: *cælum*, *sydera*, *pisces*, *arbores* &c. In *adversaria*, sic à *Drexelio* vocata, refertur quidquid historia non est; attamen (nota discrimen à priore) paulo uberius describitur, addito iterum *autore*, *libro*, *capite*, *pagina* &c. Huc pertinent *ritus prisca*, *epitaphia*, *descriptiones insigniores*, *sententiæ*, *themata*, *partitiones*, *argumentationes*. &c. *Historica* sunt, quidquid historia est, vel, ut dicimus, *exemplum*, *adscripto autore*, *libro*, *capite*, & *pagina*, *breviter*, vel *fuse* adnotatum. Tria hac in *methodo* notanda: 1. Ne *codices* *confuantur*, ut expleto uno *ternione* alter, ac tertius *adjici* queat, post tamen, dum *accreverint*, *consuendi*. 2. Inter *lemma* unum, ac alterum, *spatium* rebus pluribus *adscribendis* *relinquendum* monet *Drexelius*; quo expleto, si *titulus* *rederit*, *illic colloca*, ubi post *ultimum lemma* *locum* *repereris*: *index dispersa* *colliget*. 3. *Singuli codices* *suos* *habeant* *indices generales*, *dicto jam ante modo confectos*. Vide *Drexelium* de hoc (*q*) *fusius differentem*.

III. Ex *methodis specialibus*, quas *Drexelius* *singulares excerpenti industrias* *vocat*, *prima est* (ut *ajunt*) *alphabetica*, cum *paginæ*

E 2

varius

q) In *aurifodina* *loco citato*.

CAPUT. III.

ARTIC. II.

§ III.

variis titulis, *alphabeti* ordine dispositis, *Polyanthææ* instar, distinguuntur, ut: *Adolescentia*, *Abstinencia*, *Baptismus*, *Beatitudo*, *Christianus*, &c. Altera est *locorum communium*; cum excerptorum codex, nullo *alphabeti* ordine servato, in certos *communes locos* distribuitur, ut: *DEUS*, quo pertinent: *templa*, *religiones*, *sacrificia*, &c. 2. *Homo*, cujus duæ sunt partes: *corpus*, & *anima*. 3. *Rex*, *imperium*, *leges*, &c. 4. *Vita civilis*, ad quam spectant: *lites*, *ludi*, *amici*, &c. At utrique hoc accidit incommodi, quod *paginae* diu maneant *vacuæ*, dum fortunâ repleantur.

IV. Methodus est *epitome*; cum lectus liber in breve *compendium* redigitur. Ita *Drexelius*, *Livii*, *Salustii*, *Cæsaris*, *Taciti*, *Svetonii*, *Curtii*, *Senecæ*, *Lipsii*, imo *Baronii* epitomen à se factam scribit, quam uno, alterove die facile relegere, ac pleraque *memoriæ* mandare queat. Quidam, dum *istiusmodi compendia* faciunt, una eorundem *criticen* instituunt, sive *vitia*, *virtutesque* breviter adnotant. Ita egit *Photius* in sua *Bibliotheca*. Ita agunt hodierni *Eruditi Lipsienses*, ac è *Societate* nostra *Galli Trivoltienteses*, magno certe *Reipublicæ Literatæ* bono.

V. Methodum voco *Oratoriam*, in duplici classe: *materiæ* nimirum, & *artificii* constitutam. Ad classem *materiæ* pertinent res ad *Sacri Oratoris* eruditionem, & rerum *dicendarum supellectilem* pertinentes. Ejusmodi sunt: *adversaria* confecta ex *lectione*

Scri-

Scripturæ Divinæ, Conciliorum, SS. Patrum, Historiæ Ecclesiasticæ, ac Theologiæ. Artificii sunt: ad artem spectantia Oratoriam, & quidem 1. Ad *inventionem*, ubi adnotantur varia *concionum themata, partitiones, argumenta & argumentationes.* 2. Ad *Dispositionem*, qua nimirum forma ducta sint *exordia? facta confirmatio? confutatio? epilogus?* qualis *amplificatio* adhibita? *quis affectus?* Dein ad *elocutionem*: *quis sit stylus?* quæ *puritas in verbis?* *elegantia in sententiis?* *quales figuræ?* *transitiones?* &c. Atque hic excerpenti modus fortasse non esset inutilis Tyroni. Displicet? en! adjungo aliam.

VI. Methodum nominat (r) *Drexelius Symbolarum* in omnes *Dominicos, ac Festos* dies, quæ propria est *Concionatorum.* En! illius conficiendæ modum: 1. Sume *quaterniones* centum circiter, tot enim *Dominici, ac Festi* dies anni decursu in *Hungaria.* Si rem ordiri placet ab *Adventu Domini,* primo *ternioni* inscribe: *Dominica I.* alteri *Dominica II.* tertio *tertia,* &c. Idem intellige de *Festis.* 2. Habe *Evangelia* totius anni, quid rerum contineant, bene perspecta, ut si inter legendum quidpiam occurrerit, *confestim* suum in locum referre queas. 3. Refer autem (ut ante dixi) non ea solum, quæ *legeris;* sed etiam quæ *audieris, cogitaveris, videris,* si pro *concione* convenienter dici queant: idest, *concionum themata, partitiones,*

F 3

argu.

r) *Aurifodina* p. 3. C. 11.

CAPUT. III. *argumenta, sententias scripturæ, Patrum dicta,*
 ARTIC. III *loca Biblica, exempla historica, figuras, transitio-*
 § 1. *nes, illustriores (ut dicimus) conceptus, & reli-*
qua, ut res tulerit. Hanc sibi methodum u-
tilissimam fuisse multorum usu annorum di-
dicit Drexelius. Utere! si libet. At quocun-
que utaris, probabo, modo excerpas. Qui
plura de ratione excerpendi scire volet, le-
gat memoratam toties Drexelii Aurifodinam,
& Alexandrum Fichetum de modo excerpendi.

ARTICULUS III.

DE DESCRIPTIONE.

ALtera exercitationis pars est *Scriptio*,
 sive frequentior compositio, sine qua
 nemo ullus ad dicendi absolutionem perve-
 nit. Sacræ igitur Eloquentiæ tyro ante, quam
 publico committatur, privatim se crebri-
 ori *scriptione* exerceat, oportet. Verissimum
 cujusdam in *arte Rhetorica Magistri (s)* dictum
 est: *plus una Oratione scribenda addisci, quam de-*
cem legendo. Tria autem in *scriptione* servan-
 da: 1. *Ut sit meditata.* 2. *Emendata.* 3. *Or-*
dinata. Juvat singula explicare.

§. I.

Scriptio sit meditata.

Siquid, Oratio certe Sacra, ne quid in ea
 temere dicatur, diligenter *præmeditanda.*

Unde

s) Franciscus Wagner in *notis ad Cap. X. Rhet.*
Cypriani Soavii. Ei, post P. Salamon, ac Ladislaum Szõ-
rényi Societatis nostræ Præsbyteros, quorum in repe-
tendis literis humanioribus discipulus erat, maxime

Unde concionem dicturus, aut scripturus, CAPUT. III.
ARTIC. III.
Orator recogitet. § I.

I. Quid dicendum sit *aptum tempori, conveniens Evangelio, utile Auditori*, ac cæteris rerum circumstantiis *accomodatum*. Totam postea futuræ Orationis *æconomiam*, quam *σκελετὸν* dicimus, ante mente concipiat, dein chartæ committat, ac postea scribere aggrediat. Observavi quosdam (imperitos) prius de *exordio* fuisse sollicitos, quam vel sciverint, quod *thema* tractaturi essent. Præclara Orationis structura à *propositione, partitione, & argumentorum inventione*, dependet. Prius ista, dein reliqua sunt adornanda.

II. Solent quipiam (nec male) *primas cogitationes*, imo quidquid menti commodum succurrit ad propositum, in chartam conjicere, ut dein è pluribus ea deligant, quæ judicaverint sibi maxime opportuna. Alii (quod *Cl. Pater Pius Manzador (t)* suadet) determinata apud animum *thesi*, v. g. *dicam de Oratione*, ante, quam *hypothesein* constituent, ad libros ea de materia legendos se conferunt, postea *hypothesein*, ac *partitionem* è rebus jam lectis, & adnotatis constituunt, quam dein *argumentis* probant, jam ante inter legendum repertis.

III. Istud etiam non sine fructu à multis usurpari scio: in *quotidianam meditationem* ea sumunt, quæ subinde concionibus norunt

F 4

pro-

debetur in scholis Provinciæ nostræ restitutus Eloquenzia nitor.
t) In Proœmio tom. 2. Conc.

CAPUT III
ARTIC. III
§ II.

profutura, ut *meditationes P. Segneri, Nepveu, Crasset, Croiset, Cutaneo, Calini*, vel cæterorum, quas facile in concionis formam redigere potest Tyro artis peritus. Sunt, qui ipsas *meditationes* concionis in modum instituunt, cujus paradigma exhibet *Dissertissimus Pater Neumayr in Micis Evangelicis* recens editis. Quin etiam (quod à pluribus fieri comper- tum habeo) ipsas conciones in materiam *meditationis* accipiunt, experti: consuetudi- nem hanc plurimum profuisse.

§. II.

Scriptio sit emendata.

Nemo partum ita perfectum confestim edit, quin porro perfici non debeat. *Nihil enim rerum natura* (ut *Fabius* (v) ait) *voluit magnum effici cito: pulcherrimo cuique ope- ri præposuit difficultatem: nascendi quoque hanc legem fecit, ut majora animalia diutius parentum utero continerentur.* Quare

I. Elaborandæ scriptioni debitum tem- pus tribuatur. *Virgilium paucissimos die com- posuisse versus, autor est* (x) *Varus. Panegyricum Isocratis decem annis dicunt elaboratum* (y). No- lim equidem, ut hanc cuilibet Orationi mo- ram impendat Orator: quî enim habendis tot concionibus sufficiet, si unicuivis in- senescat? Summam tamen tyronibus, initio præfertim, diligentiam censeo esse adhiben- dam, ut quam optime scribere asuescant,
dabit

v) *L. 10. C. 3.* x) *Ibidem.* y) *Quinct. L. 10. C. 4.*

dabit hæc bene scribendi consuetudo celeritatem, ut tametsi ex tempore dixerint, scripto tamen similia esse videantur. Errant igitur, qui suas, velut è mantica, conciones effundunt, aut ita componendi laborem ferum in tempus differunt, ut impolita dicere cogantur. Unde

CAPUT. III.

ARTIC. III.

§ II.

II. Scriptio diligenter ad limam revocetur. Vespere præsertim, ac mane; quo mens ad ferendum de rebus iudicium habilior esse solet: ut quæ fuerint superflua, detrahantur: omiſſa adjiciantur: deteriora melioribus commutentur: humilia extollantur: scabra perpoliantur: inordinata digerantur: soluta componantur. Ad hoc autem perquam juverit altiori vocis tono repetere sæpius scriptionem, atque ipso aurium arbitrio explorare, num posteriora prioribus cohæreant? an omnia ad numerum fluant? debito ordine sint locata? Vel certe ne nostra nobis scripta, recentes veluti foetus, blandiantur, juvat *Fabii* consilio in aliquod tempus reponere, ac post intervallum ad ea, tanquam nova, & aliena, redire. Multa damnamus, quæ primo calore effusa, ante placuerant: inveniemus, quæ calamum effugerant: denique minus apte collocata reperiemus, quæ ad numerosæ Orationis leges postea exigemus. Felicior foret, si cui peritus dicendi Magister scriptum pervideret, & si quid peccatum adverteret, illius emendandi rationem suggereret. Quod Ty-

CAPUT. III

ARTIC. III.

§ III.

roni concionandi munus aggressuro perquam suaderem.

III. Dum scriptionem emendatam esse cupio, nolo simul, ut rigidum admodum illius censorem agat, cui nihil placeat, quidquid scribat, omnia mutare, aliter omnia dicere velit, quam occurrat: quasi vero nihil fas sit rectum esse, quod primum est: nam præterquam, quod hac severitate idem accidat, quod medicis, qui sana etiam, & integra resecant membra, cum allevant infirma, ingentem insuper sibi faciunt scribendi difficultatem. *Poliat opus lima, non-ex-terat (z).*

§. III.

Scriptio sit ordinata.

Quem in profana, eundem in scribenda Oratione Sacra, *Ordinem Ecclesiasticæ Eloquentiæ Tyroni servandum esse censeo.*

I. Licet Orationis *exordium* rei natura sit primum; componendi tamen labore apud peritissimos quosque Oratores ultimum esse solet. Plerumque delecto *themate*, ac *partitione*, inventisque *argumentis*, ab ipso Orationis *corpore*, sive *partibus confirmationis*, structuram concionis aggrediuntur, post *epilogum*, ipsum ultimo scribunt *exordium*. Experti, hoc ordine construendæ dictionis laborem multum adjuvari.

II. Tyroni non statim progrediendum ad conscribendam ipsam Orationem. Prius per

z) *Quint. loco citato.*

per partes fabricanda, ducto à levioribus initio, pictorum more, qui caput, manus, pedes, seorsim pingunt, ac postea integram effingunt imaginem. Ita Eloquentiæ Tyro-nem in aliqua *descriptione, figura, loco Rhetori-co, affectu, exemplo Biblico* Oratorie deducen-do exercendum puto, dum integram scribat concionem.

III. Alii, ut artificium diligentius obser-vent, ac facilius condiscant, præclaræ cujuspiam Concionis faciunt *analysim*: quam in tempus repositam marte suo iterum componunt, ac conferunt, quantum accedat, vel discedat ab exemplo.

IV. Sunt, qui Conciones aliena lingua scriptas in suam traducunt, exemplo vete-rum Oratorum, qui teste (a) Fabio *vertere græca in latinum optimum judicabant. Id se L. Crassus in illis de Oratore libris dicit factitasse. Id Cicero sua ipsè persona frequentissime præcipit: quin libros Platonis, atque Xenophontis edi-dit hoc genere translatos. Marcus quoque Messala multas ad hunc modum scripsit Orationes. His etiam temporibus, Germani præcipue Orato-res, præclara Gallorum, aut Italorum opera, suo confestim idiomate reddunt. Quid ve-tat, ne idem Ungari præstare queant? (b)*

ARTI-

a) L. 10. C. 5. b) Hæc de *scriptione allata potissimum depromptus ex Cicerone de Oratore, item ex Fabio Quintiliano, & Amadæo.*

92 INSTITUTIONIS
ARTICULUS IV.
DE AUDITIONE, AC DITIONE.

CAPUT. III.
ARTIC. IV.
§ I.

§ I.
De Auditione.

Commendat hanc *Fabius Quintilianus* (c); *Demosthenes* autem, Græcæ Princeps Eloquentiæ, ipso etiam opere explevit. *Calistratum* enim *Oratorem* in foro causas agentem diligentissime auscultabat, cujus dein gloria incitatus, ita cepit *Virum* æmulari, ut etiam superarit. Ut autem *auditio* utiliter instituat.

I. Orator Novitius *ad audiendum* non animo *carpendi*; sed *discendi* studio accedat; ut inepta fugiat, apta vero imitetur. Dein omnem, quam potest, Sacram Dictionem diligenter excipiat, eorum maxime, quos ab arte, ac dicendi præstantia præ cæteris audiverit commendari. Quanquam non ob erit etiam inferiores audisse; ut vitia in exemplis proposita facilius devitet.

II. Observet attente totius Orationis *structuram*: primum *exordii ingressum*, *descensum*: postea *propositionem*. In *confirmatione* attendat ad *argumentorum soliditatem*, *tractandi formam*, *affectus*, *figuras illustriores*, *transitiones*. Notet etiam *vocis inflexionem*, ac *gestuum moderationem*. Mirum quantum juvabit hoc ad præclare pronunciandum.

III. Siquid memoria dignum advertit, confestim domi suæ in *excerpta* conjiciat.

c) L. 10 C. 1.

at. Sciat, hanc diligentiam sæpe profutura; præsertim si laboribus Apostolicis, vel aliis occupationibus distento non suppetat otium ad faciendam novæ Orationis *inventionem*. Novi hujusmodi diligentiae Virum, nuper vita functum, cujus adhuc adolescentis habeo adversaria, elegantibus *auditarum* hujusmodi *concionum adnotationibus* referta.

CAPUT. III.

ARTIC. IV.

§ II.

§ II.

De Dictione.

NON postrema Eloquentiæ Sacræ pars est *pronunciatio*, quæ dictione frequenti, multum adjuvatur: hac enim asuescit *corpus, vox, gestus* ad dicendi elegantiam. Unde

I. Orator novitius nunquam *imparate dicat*: omnem *vocis tonum, & actionis motum* præmeditetur. Fiet, ut hac industria, vel ex tempore præclare dicere consuescat. Quomodo autem vox flectenda sit? ac gestus formandus? id præclare prosequitur *Quintilianus (d)*: nos autem libro ultimo daturi sumus.

II. Scio aliquos concionandi munus aggressos à *peritioribus se instrui* curasse ad rite pronunciandum: imo celeberrimum ætate sua *Provinciae nostræ Virum* novi, suos in *speculo gestus solitum* examinare, qua diligentia eximius *dicendi Magister* evasit. Multum etiam juvat clariores (ut dixi) Oratores audire, & spectare ad observandam *vocis infle-*

d) L. 11, C. 3.

CAPUT. III. *inflexionem, ac gestuum conformationem: cavendum tamen Tyroni, ne nimia alterius imitatione affectatus evadat.*
 ARTIC. V
 § I

ARTICULUS V.

DE IMITATIONE.

ULTIMUM adjumenti genus est *imitatio*. In hac plurimum semper momenti posuere *Veteres*, æque ac *Recentiores* benedicendi *Præceptores*. Est enim ea brevis quædam, & compendiaria ad Eloquentiam via, qua Tyro, vel mediocri præditus ingenio, brevi intervallo magister fieri queat. Multa de hac scripserunt *Aristoteles*, *Cicero*, & *Quintilianus*, quæ in usum Ecclesiasticæ Eloquentiæ ad tria capita contrahi possunt: primum, *qui sint imitandi?* postea, *qua in re sint imitandi?* demum, *qua ratione sint imitandi?*

§ I.

Qui sint imitandi?

OMNIBUS compertum est: *præstantissimos in uno quovis genere esse imitandos*. Sicut enim naturâ quilibet in arte sua præcellere desiderat; ita præcellentissimorum exemplis insistere debet, ut perfectus evadat. Qui autem cæteris præcellant? ne quem in delectu falli contingat, peritorum in arte Magistrorum consilium exquirat Tyro. Vel certe, ut arborum, ita Oratorum præstantiam, ex fructibus, quos gignunt, esse metiendam. Quot autem habito præstantium

Ora-

Oratorum delectu imitandi sint? Si mea de hoc petitur sententia, quod antea de librorum lectione, idem repeto de imitatione.

CAPUT. III.

ARTIC. V.

§ II.

In *stylo*, principio præsertim, ob memoratas jam illic rationes unum, eumque absolutissimum censeo esse imitandum. In concionis vero *materia*, & *artificio* poterit plures in exemplum assumere, ut eorum imitatione artis, & *materiae* varietatem condiscat, suasque noverit Orationes variare. Speciatim autem.

I. Ad imitandam *Styli Hungarici* venustatem præ cæteris (quod ante monueram) legendum existimo *Petrum Pazmannum* ex Societate nostra *Cardinalem*, quem hac in re omnium, qui hæctenus in lucem prodierunt, principem esse puto. Non deest quidem *Georgio Kaldio* sua eximia, & imitatione digna puritas, nitor, eruditio, & gravitas; at *figurarum*, *affectuum*, & *numeri* Oratorii deficiunt ornamenta. *Stephanus* autem *Szabo*, celebrer à vi, ac pronunciandi elegantia ex Societate nostra Orator, nuper *Tyrnaviæ* vita functus, ad egregiam *styli* puritatem, & *copiam*; addidit quidem *numerum*, & *flumen*, sed omni (quod in eo probari minime potest) hodierni temporis *artificio* destitutum.

II. Quod attinet *ad materiam*: licet SS. *Ecclesiæ Patrum* Sermones à præsentī (ut jam dixi) concionandi ratione multum discedant, amplissima tamen in iis reperitur *materia*, cum eximia vi, ac elegantia, ingenio præterea,

CAPUT III.
ARTIC. V.
§ I.

terea, & acumine conjuncta in explicandis præsertim Scripturis Divinis, ut nihil simile reperias in quocunque, licet præstantissimo, præsentium temporum Oratore. Ac inter cæteros è *Græcis Patribus* eminet *S. Basilius, Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomus. Latini* quoque *Patres* in pluribus sunt imitatione digni. Ac primum in sententiis, & conceptibus: *Cyprianus Ambrosius, Augustinus.* In moralibus considerationibus: *S. Augustinus, Gregorius, & Bernardus.* In descriptionibus scelerum ea ætate commissorum: *Salvianus, & Bernardus.* In affectu, figuris, & numero Rhetorico: *Hieronymus &c.*

III. Ad *varietatem artificii*, vel saltem *materiae*, præter memoratos jam ante Oratores ex *recentioribus* ad imitationem proponi queunt. I. Ex *Gallis*: *Julius Mascaron* Episcopus *Aginensis*, *Masillon* Episcopus *Claramontanus*, *Antonius Godeau* Episcopus *Venciensis*, * *De la Volpiliere*, *Maimbourg*, Abbas *Du Farri*, Abbas *Verjus*, Abbas * *de Lambert.* Ex *Societate nostra*: *Claudius* * *De la Columbiere* *Regius* in *Anglia* Orator, *Carolus* * *De La Rue*, *Vincentius* * *Houdri*, *Stephanus Chamillard*, *Bretanenu*, *Texier*, *Du Faj*, * *Girouft.* Ex *Præsbyteris* Oratorii *JESU*: *Molinier*, *Masson*, * *Le Feune*, cujus decem tomos meliori ordine edidit *Loriot.* Ex ordine *Capucinorum*, * *Nicolaus Dijon Heliodorus à Parisiis*, & *Pater Aurelianensis.* Item *Fromentieres*, *Careme Dunaeau*, *Grizel*, *De la Font*, &c. Nec ii è *Gallis* Oratoribus

ribus sunt prætereundi, qui suas tacito nomine conciones vulgarunt: ut *Author Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, Author Sermonum Christianorum, Dictionarii Apostolici, & Sermonum Moralium.* 2. Ad Italos jam alibi laudatos referri queunt: *Franciscus Panigarola* strictoris observantiæ *Episcopus Astensis, Bonaventura à Recineto, Comune Doleræ, Vanalesti, Chiaberge, *Calini, Bordoni, Cataneo, Alexander Diotalevi, Petr. Aloisius *Veggi, Liborius *Siniscalci &c.* Memini etiam, me vidisse collectionem pluribus voluminibus contentam, *Panegyrum*, à diversis celebrioribus *Italiæ* Oratoribus dictarum, elegantium sane, & eruditarum. 3. Inter Germanos celebrantur: *Franciscus Xaverius Brean, Caroli VI. Cæsaris Augusti Sacer Orator, Franciscus Hurnold, Antonius Ruoff, Jacobus Zurmühlen, Henricus Venedien, Franciscus Heger, Franciscus Pfisser &c.* In Panegyricis: *Franc. Peikhardt* *Vien-næ Austriæ ad D. Stephanum in Ecclesia* (ut dicunt) *Cathedrali* ipsos quinque, & viginti annos *Ecclesiastes, Don Pius Manzador* *Clericorum Regularium S. Pauli Presbyter.* In Polemicis: *Franciscus Neumayr &c. (e).*

CAPUT. III.

ARTIC. V.

§ I.

G

IV.

e) Sunt etiam alii, qui suas Teutonico idiomate Conciones vulgarunt, si non imitandi artificii, saltem depromendæ materiæ, & argumentorum exempla futuri. ut: *Barth. Knellinger, Sebast. Baader, Casp. Donner, Gabr. Erich, Joan. Bapt. Golboffer, Petrus Hebel, Henric. Kellerhaus, Gerard. Pauli, Ignat. Han, Ferd. Hueber, Joan. Imhoff, Joseph. Joanneser, Lucianus Capucianus, Fran. Xav. Manbard, Marcianus Capucinus, Mich.*

CAPUT III.

ARTIC. V.

S L

IV. Quoniam Ecclesiasticæ Eloquentiæ pleraque præcepta sunt communia cum *Forensi*, & *Academica*, nec argumentorum, quæ ibi tractantur, differentia prohibet, ne scribendi, & componendi ratio similis, vel eadem esse possit, multi profanos *Veteres* æque, ac *Recentiores Academicos* legunt *Oratores*, ut si quid imitatione dignum, seu in rebus, seu in artificio repererint, illud belle factum in argumentum traducere queant. *Novi* (inquit *Vincentius* (g) *Houdri*) eruditissimum quemdam *Virum*, ac supra ætatem doctissimum, qui, ut concionandi ministerio se se præpararet, *Ciceroni* studebat, cumque illi objecissem: *Ecclesiasticis argumentis nihil esse commune cum iis, quæ à præstantissimo hoc Oratore pertractantur, reddidit ille: at hic rectum sensum admiror ubique nitentem: video: quomodo rem suam prosequatur, ubi causæ difficultas posita sit, statim deprehendat, iis omnibus occurrat, quæ sibi objici posse prænoscit: quomodo rationes enucleet, atque aliter, aliterque efferat, donec tandem audientium animos pervadat. Hoc imitandum mihi propono, & hoc mihi erit utilius, quam magnificus aliorum sermo, qui in hoc uno totam positam putant eloquentiam. Sunt autem è veteribus imitandi: Demosthenes,*

Schmizz, Mathias Pecher, Mauriz. Pfalzer, Math. Heimbach, cujus Rhetorica Christiana extat etiam latine, ceterique. Ex Ungaris suas in genere Morali Teutonico sermone edidit conciones Petrus Miel, Soc. JESU, Elisabethæ Belgii Gubernatricis Gynecæo quondam à Confessionibus.

(g) *Vincent. Houdri in Biblior. Proleg. 2.*

nes, Cicero Princeps Latinorum, quem Paulus Segneri, magnum illud Sacræ Eloquentiæ in Italia lumen, quotidie legebat, Plinii, ac cæterorum Panegyrici. Ex Recentioribus: Perpinianus amplus, & eloquens: Muretus cultus, & elegans: Cossartius acer, & sublimis: Petavius numerosus, & copiosus. Præterea Bencius, Cellotius, Juventius, Poreus, Le jajus, Chiaberge, Lagomarsini, &c. Denique selectæ Patrum de nostra Societate Gallorum Sacræ, ac profanæ Orationes, amplissimum Ecclesiasticis Tyronibus imitationis campum, modo uti velint, præbebunt.

§ II.

Qua in re sint imitandi?

SI autem quæras: quid præstantissimis in Oratoribus, sive legas, sive audias, sit imitandum? En! *quatuor* de hoc *monita* cape.

I. *Universè* nota: si eximiam præclari cujuspiam Oratoris concionem audieris, aut legeris, diligenter attende: quid in ea fuerit, quod tuo, vel auditorum animo arriserit, mentem peculiariter permoverit? Et si quidpiam ejusmodi te experiri contigerit, vide: quo tractandi artificio fuerit propositum? atque ubi occasio tulerit, tu pariter tuis auditoribus eadem apparandi, ac disponendi forma idem inspira, ut parem in hominum animos aditum valeas aperire.

II. Speciatim observa *artificium* in Orationis *inventione*, ac *dispositione* positum. *In-*



CAPUT. III. *ventio* (ut dixi) *propositionem*, *partitionem*, &
 ARTIC. V. *argumenta* complectitur: *dispositio* vero *stru-*
 § II. *cturam*, & *ordinem*, & quidquid *pertractandi*
argumenti ratio dici potest. Qui igitur *Orator*
 sibi proposuerit ad *imitandum*, ad
 hæc *animum* appellat, ut quibus ille de *fontibus*,
 aut *locis Oratoris* suum eruit *thema*,
divisionem deprompsit, *probationes* desumpsit,
 suas pariter de *iisdem* depromat. Et qua
ordiendi *methodo*, aut *argumentandi* *forma*,
amplificandi *ratione*, *affectu*, vel *transitionibus*
 usus erat, paribus rem similem, aut *dispa-*
rem prosequatur.

III. *Imitandus* est *stylus*: idest, *adver-*
tendum, quæ sit *puritas*; *proprietas*, & *ele-*
gantia *verborum*, ac *phrasium*? Quis *nexus*,
collocatio, *numerus*, *ordo*, *verborum* in *senten-*
tiis, *sententiarum* in *periodis*, *periodorum* in
Oratione. Quis *troporum*, ac *figurarum* *orna-*
tus? Quæ *Orationis* *ornamenta*? ut *adagia*,
gnomæ, *sententiæ*, *acumina*, *argute*, ac *sapienter*
dicta, denique *eruditio*.

IV. Caveat tamen, dum *imitationi* *stu-*
duerit *Tyro*, ne *plagiarius* evadat, idest,
 totam, vel certe majorem *Concionis* *par-*
tem ad *verbum* usurpet, quod *plagium*, non
imitatio dici solet, doctis omnibus detestan-
 dum. Venia tamen dignos puto, qui *labo-*
ribus Apostolicis distenti suas nequeunt *e-*
lucubrare *conciones*, vel *doctrinæ* defectu,
 sine *adjumento* alieno, nequeunt *rite* suo
munere perfungi. Aut certe *sincero* *Divi-*
 næ



næ Gloriæ studio accensi putant se alterius opera amplius, quam sua profuturos. Ii etiã pari nomine notandi, qui, *Æsopi corniculam* imitati, *membratim* diversos hinc inde locos *exscribunt*, atque ex variis variorum Authorum sermonibus *centonem* verius male consuunt, quam Orationem adornant. Alii *duas, tresve*, quas legerunt, vel audierunt, *conciones* in omnium *exemplar* assumunt, quasi omnium *forma* eadem esse possit. Sæpe quod in uno, v. g. sublimiori argumento, ferri potest, minime in alio, præsertim humiliore, dicendi genere tolerari solet. Multi *alienos conceptus* ita inani *verborum congerie* deformant, ut nequeant agnosci: vel ea *brevitatem* complectuntur, ut omne decus adimant. Summa hac in re opus est *arte, & iudicio*, quo Cicero præstabat, qui ex aliis authoribus decerpta ita noverat in *compendium* redigere, vel *latius* explicare, ut venustatem nunquam ademerit.

§. III.

Qua ratione sint imitandi?

NON est mihi propositum *styli imitandi* rationem persequi; hæc enim in *Sacra Eloquentia* parum, aut nihil differt à *civili, & profana*. Unde communiora illius exempla, & præcepta facile ex *Rhetorum libris*, præcipue ex *Jacobi Masenii palestra*, aut ex *Imitatione Rhetorica Edmundi (e) Campiani*, ad usum

G 3

Eccle-

e) *Rhetoricam, & Philosophiam Pragæ professor, post in Anglia Missionarius sanguinem fudit.*

CAPUT. III. Ecclesiasticum traduci queunt. Solum igitur eos *imitandi modos* adferam, qui *Tyronum* in scribenda Oratione artificii laborem multum poterunt adjuvare. *Decem* autem *methodos* proponam.

ARTIC. V.

§ III.

I. *Methodus*. Accipe Concionem celebrioris cujuscumque Oratoris, v. g. *P. Segneri*, aut *Bourdaloze*, vel alterius, quem opportunior fore judicaveris. Fac ejus *analysim*, five *synopsim*, ea fere ratione, qua *Ciceronis* Orationes, *Martinus Du Cygne*, aut *Christophorus Wablius*, vel ad usum *Delphini* in *compendium* redegerunt. Hanc ad tempus repositam resume, ac *stylo* tuo elabora, facies tuam. Sunt complura ejusmodi *synopsium* exempla jam parata in *Bibliotheca Vincentii Houdri*: In *Institutione Concionatoria Natalis Alexandri*: in *Speciminibus sermonum Abbatis de Bretteville*. Extant etiam *manuscripta* Concionum *compendia* Patris *Bourdaloze*, à quopiam Societatis nostræ Viro privatos in usus è *Gallico* latine confecta, quibus si ultima addatur manus, habebis Sacram Orationem ex aliena supellectili tuo labore confectam.

II. *Methodus*. Concionem scripturus delige unam è præstantioribus in exemplum, cujus ad *imitationem* effinge aliam in *simili*, aut *dispari argumento*, vel etiam *contrario*, mutatis quidem verbis, ac sententiis; sed retentis iisdem *figuris*, *periodis*, *commisuris*, *toto* denique *ductu*, ac *filo* Orationis: erit concio ad artem constructa. Ita quispiam Pa-
 negy-

negyricum Ignatii Chiaberge Ludovico XIV. Galliarum Regi dictum traduxit in Sanctum Ladislaum Hungariæ Regem, eumque. 1. Magnum animo Heroem. 2. Magnum imperio Regem. 3. Magnum Religionis Christianæ Vindicem fuisse probavit.

III. *Methodus*: Siqua longior in duas tresve partes *divisa*, ac iterum in totidem (ut apud Gallos fieri assolet) *subdivisa* fuerit concio, tu mutato *textu*, *exordio*, ac *epilogo*, partem illius v. g. *primam* retine: membra autem *subdivisa* in *principalem* assume *partitionem*, quam tuis postea verbis eloquere: fiet in alterius materia Concio tua. Res pateat *exemplo*. Festo SS. OO. in textum Evangelicum: *gaudete, & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in Cælis, habet Bourdalove* Concionem de *differentia Cælestis, ac terrenæ mercedis*, cum hac *partitione*: 1. *Merces Cælestis est certa, terrena autem incerta*: 2. *Est copiosa, terrena autem vacua*: 3. *Est aeterna, terrena autem caduca*. Tu assumpto alio *textu*, v. g. *Pauli ad Timotheum*: *Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem, mutato, ut dixi, exordio, & epilogo, retine primam partitionis partem: merces Sanctorum est certa, hominum autem incerta, pro scopo concionis; subdivisionem autem sume in divisionem: quia* 1. *Homines sæpe merita nesciunt*: 2. *Remunerari non volunt*: 3. *Tametsi volent, non possunt in terris; non item DEUS in Cælis; quam si stylo tuo elo-*

CAPUT. III. cutus fueris, evadet Oratio in alterius ma-
 ARTIC. V. teria (ut ante dixi) tua.

§ III.

IV. *Methodus.* Dum quis alterius Oratoris *textum*, & *partitionem* servat, vel saltem verbis aliis elegantius profert, *suppartitionem* autem mutat. Ita quispiam Oratorum ex tempore dicere iussus *Claudiopoli*, *Pauli Segneri* panegyrim *Divo Ignatio* dictam imitatus erat, servato eodem textu: *quicumque glorificaverit me, glorificabo eum*: hanc ejus partitionem: *Ignatius fuit liberalis in tribuenda DEO gloria: vicissim DEUS liberalis erat in honorando Ignatio*, verbis assumpto textui conformioribus sic brevius protulit: *Ignatius glorificavit DEUM, DEUS autem glorificavit Ignatium*, quam postea mutata *subdivisione* ita elaboravit: 1. *Ignatius glorificavit DEUM corde*: 2. *Glorificavit ore*: 3. *Glorificavit opere*: *DEUS autem Ignatium glorificavit*: 1. *In Cælis coram Cælitibus*: 2. *In terris coram hominibus*: 3. *Apud inferos coram Dæmonibus*.

V. *Methodus.* Sunt, qui retinent etiam *subdivisionem*; sed aliis rationibus, & argumentis probant: vel si argumenta servant; *formam* argumentationis mutant, v. g. quod antea *Syllogismo* Oratorio deductum erat, post *enthymemate*, vel *collectione* *Oratoria*, aut in modum *cbriæ*, vel vicissim deducunt. Res clara est, non eget exemplis.

VI. *Methodus.* Multi quod in uno aliquo, superioris præsertim Sæculi, Oratore,

v. g.

v. g. *Pazmanno, Kaldio, Fabro, Scherero, Besſæo, Oſorio, Stapletono, Coſtero, &c.* brevius, aut minus ad artis elegantiam, pertractatum reperiunt, idem diffuſius ex arte pertractant. Ac, ut cæteros præteream, ſit exemplum è prima, in quam fortuito incurri, *Petri Pazmanni* in primam *Adventus Domini- cam* Concione, ubi initio partis primæ breviter agit: cur DEUS, præter judicium particulare, velit institui univerſale in extremo mundi die? reddit cauſam: id eſſe 1. *Ad dandum juſtis publicum honorem*: 2. *Ad inferendum impiis publicum opprobrium*: 3. *Ad vindicandam publice DEI gloriam.* Hæc ſi tu argumentis illic breviter inſinuatſ prolixius ad artem deduxeris, dabit *Pazmannus* copiam ordinatiſſimæ Concionis, quales ex unaquavis illius dictione complures poſſunt formari. Habet igitur *Hungarus Tyro* vel in uno *Pazmanno* ampliſſimam egregie dicendi *Bibliothecam*, quo vetuſtiores inter poſterioris ævi Oratores vix ullum, vel in alia lingua, ſuperiorem reperies.

VII. *Methodus.* Alii adhibent libros *exercitiorum*, vel *meditationum* in ſingulos anni dies diſtributarum, vel *Lectioſum Sacrarum*, ab *Italis* editarum, quas ſervatis, quibus utuntur, partitionibus ad artis Oratoriæ leges exigunt. Utere, ſi placet. Sic Orator ille uſus erat, cum ex *Solitudine Religioſa Patris Pinamonti Itali*, meditationem de JESU perditto, ac invento ita Concionis in argu-

CAPUT. III. mentum convertit: *Homò Christianus cum longius à Templo abit, JESUM perdit: perditum autem non invenit, nisi cum in Templum quaesitum redit.*

ARTIC. V.
§ III.

VIII. *Methodus.* Nec ille modus est aspèrandus, quem Clarissimi cujusdam (g) Viri, *de arte Rhetorica* optime meriti, *Oratoria* suggerunt *manuscripta*. Accipe homiliam, aut Sermonem Sancti cujusdam Ecclesiæ Patris, v. g. *Basilii, Chrysofomi, Augustini, Bernardi*, vel aliorum, ut libuerit. Doctrinam super assumpto *Evangelii*, vel alio, *textu* usurpa veluti tuam; sed in certa capita, ceu totidem partitiones, distributam. Has rationibus illic repertis confirma tanquam tuis. Postea, ut Concio veterum Patrum autoritate nitatur, adhibe ipsa Sancti illius Patris verba in testimonium, hoc amplifica, exorna è locis Oratoriis, ut à *simili, contrario, &c.* habebis Concionem è penu alterius tua industria elaboratam. Atque sic confectam scio me audisse dictionem ex
Sermo-

g) *Est hic Franciscus Wagner Societatis nostræ Sacerdos, qui præter Leopoldi Magni, ac Josephi I. Imperatorum Historiam, Universæ Phrasæologiae Latine corpus collegit: Dominici Bouhours Societatis Præbyteri Methodum in argutiis recte cogitandi latinam fecit. Scripsit præterea usibus Scholarum artem latinæ artis breviculam, sive Ornatam Syntaxim: Typum docendi Magistris Scholarum Inferiorum: ac Opera Scholastica sex classium, majori discipulorum commodo meliorem in ordinem rededit, adauxit, illustravit. Denique Tyrnaviensi in Academia Rhetoricam professor Critonem, celebre Opusculum, dedit.*

Sermone Divi *Bernardi*, Sanctum JESU nomen oleo comparantis, quod lux est, cum prædicatur: cibus est, cum cogitatur: medicina est, cum invocatur. Alius Divi *Basilii* Sermone de non differendo baptisate, transtulit ad pœnitentiam non procrastinandam, retentis, vel potius accomodatis, quæ illic reperit, argumentis.

CAUPT. III.
ARTIC. V.
§ III.

IX. *Methodus*. Aliqui integram toto servato ordine concionem arripiunt; textus tamen, & exempla mutant. v. g. Si alter *Fosue* exemplo usus erat, hic utitur *Davidis*. Si libro *Exodi*, hic *Genesis*. Si testimonio *Ambrosii*, hic *Augustini*. Sunt, qui duos, tresve authores idem argumentum, textumve Evangelicum pro Concione explicantes sumunt. Ex primo scripturæ sententias, ex altero Patrum testimonia, è tertio Sacram eruditionem depromunt: vel contra, ut suo unusquisque themati opportunum fore putaverit. At hunc depromendi laborem multum levarent. *Flores Bibliæ*, & *Hanapi* Exempla Biblica, *Philippi Merz* Thesaurus Biblicus. *Hybernici* Flores Doctorum. Item: diversæ variorum authorum *Polyantheæ*, ut: *Labattæ* Thesaurus Moralis. *Busæi* Panarium, & *Viridiarium*. *Berchorii* Dictionarium Morale. *Didaci La Vega* de Virtutibus, & Vitiis. *Laurentii Bajerlinck* Theatrum vitæ humanæ. *Anonymi* Summa prædicantium. *Dandini* Ethicæ Sacræ, quem *Vincentius Houdri* emunctæ naris authorem vocat. *Josephi Mansi* Bibliotheca
Mora-

CAPUT. III.
ARTIC. V.
§. III.

Moralis. *Tobiac Lohner* Bibliotheca Manualis: præcipue autem Bibliotheca Concionatoria *Patris Vincentii Houdri*, quæ plurima & scripturæ testimonia, & Patrum sententias, & applicationes, ac exempla Biblica, & Ascetarum, ac Recentiorum Oratorum loca ad facilem cujuscunque moralis argumenti pertractationem idonea, magno Concionatorum bono collegit. Suadeo, utaris.

X. *Methodus*. Denique ne præteream, quod *Franciscus (h) Neumayr*, Clarissimus de Societate nostra in *Ecclesia Cathedrali Augustæ Vindelicorum* Polemicus Orator suadet: posset aliquis, (inquit ille) quod jam olim cogitabam, opus utilissimum edere, cui titulus foret *Cicero Sacer*, atque omnes, vel saltem præcipuas ejus Orationes ad Concionis materiam traducere, ut quemadmodum is in *Genere Demonstrativo* laudat probum, vituperat improbum: in *Judiciali* defendit innocentem, accusat reum, in *Deliberativo* suadet bona, dissuadet mala: ita tu laudes virtutem, increpes vitium: tuearis doctrinam, arguas hominum mores, & principia: denique suadeas virtutis amorem, peccati vero turpitudinem dissuadeas. Ita fiet, ut profana Eloquentia ancilletur Sacræ, virtusque *Ciceronianæ* facundiæ, è foro in templum translata, salutis serviat animarum.

h) *In Viro Apostolico p. 3. Cap. 1. Art. 1. § 3.*



INSTI-



INSTITUTIONIS
ELOQUENTIÆ SACRÆ
LIBER II.
DE REBUS IN STRUCTURA ORATI-
ONIS SACRÆ GENERATIM.



Præcipuus ARTIS ELOQUEN-
TIÆ labor positus est in
structura bonæ Orationis,
sine qua nemo ullus perfe-
cti Oratoris nomen obtine-
re potest. Tria autem ad
illam ritè conficiendam sunt necessaria:
primum *inventio*, postea *dispositio*, demum
elocutio, quibus, ceu totidem partibus, cu-
juslibet Concionis structura generatim de-
finitur, quas præsentis libro explicaturi
sumus.

LIBER II.
PARS I.

PARS

P A R S I.
DE INVENTIONÉ ORATIONIS
SACRÆ.

Inventio (ait autor ad Herenium) est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ causam probabilem reddant, idest: persuadeant. Duabus autem rebus persuasio conficitur: fide, & motu. Ad fidem faciendam, sive convincendam intelligentiam, valent argumenta, & argumentationes. Ad motum, seu voluntatem pertrahendam, amplificationes, & affectus. Ommissa, vel potius commodiorem in locum prolata, argumentatione, & amplificatione, duo reliqua hic complectemur, his tamen præmittemus inventionem materiæ, veluti scopum totius Orationis.

C A P U T I.

DE INVENTIONE MATERIÆ.

Quibus in rebus versatur ars, & facultas Oratoria (inquit Cicero) eas res materiam artis Rhetoricæ nominamus. In causis olim forensibus minor materiæ invenienda cura fuit, cum eam aliunde præfixam habuerint Oratores; nunc autem, Sacris præsertim in concionibus, cum liberum sit unicuique Oratori rem, quam voluerit, in Orationis argumentum deligere, ante omnia eam, tanquam cardinem totius Sacræ dictio.

ditionis, quærere oportet. Tria autem sunt, quæ ad rationem *materiæ* pertinere videntur: 1. *Textus Sacer*, plerumque ex *Evangeliis*, vel aliunde è *scriptura* præmitti solitus. 2. *Thema Orationis*. 3. *Thematis partitio*, ac postea *suppartitio*, quorum omnium inventionem hoc capite daturi sumus.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTIC. I.
§. I.

ARTICULUS I.

DE TEXTU SACRO.

§. I.

Origo usurpandi Sacrum Textum.

MOS Sacrum pro concione *textum* usurpandi ab *Hebræis* ad Ecclesiam processit. Cum *legem* explicandam, vel *Propbetas* interpretandos, aut mores adhortationibus formandos haberent, semper principio, ipsius *legis*, aut *Prophetarum* *lectionem* præmittebant. Quod etiam Christus usurpassè legitur (i) apud *Lucam*: cum Sabbati die non prius verba facere ceperit, quam singularem ex libro *Isaiæ* locum legerit. Idem præstitit *Paulus* (k) *Antiochiæ* in *Pisidia*: nam una *Sabbatorum* die cum *Barnaba* *Synagogam* ingressus, post *lectionem legis*, & *Prophetarum*, rogatu Principum *Synagogæ* sermone plebem exhortatus erat.

II. Hanc *Judæorum* consuetudinem à Christo, & Apostolis receptam reliqua etiam Ecclesia retinuit, teste *Beato Justino*,
Mar-

i) *Luc. 4. v. 16.*k) *Act. 13. v. 14.*

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. I
§ II.

Martyre in extrema ad *Pium Antoninum* apologia: *Die, qui solis dicitur, omnes, qui in agris, vel oppidis morantur, unum in locum conveniunt, commentariaque Apostolorum, vel Prophetarum scripta leguntur, quamdiu hora patitur, deinde ubi is, qui legit, destitit, is, qui præest, admonet, & hortatur, ut ea, quæ lecta sunt, bona imitemur.* Atque hinc Concionis initio legendi Evangelii morem provenisse credidero, & (teste *Bernardino (l) Ferario*) usum obtinuisse, ut peculiarem aliquem jam recitatae, sive *Apostolicæ*, sive *Evangelicæ* lectionis locum (quem vulgo *textum*, aut *thema* dicimus) Concionator ipse de Codice, vel memoria repeteret, tanquam futurae dictionis argumentum, quod è tota lectione tractandum selegisset. Aliquando *singularis* aliqua temporis, & susceptæ materiæ congrua *lectio* sumebatur; imo accidit interdum, ut *Lectori* Sacrum Codicem *fortuito* legendum aperienti, quod occurrit primum, hoc dein Concionis extemporalis propositum fuerit.

§ II.

Leges Sacrum Textum usurpandi.

UT in hujus *Sacri Textus*, sive sententiæ usu rite procedat Tyro, sequentes ei *regulas* duximus præstituendas.

I. *Textus Sacer* ex ipsa *Scriptura Divina*, non vero aliunde (tametsi è *Sancto Ecclesiæ Patre*)

1) *De ritu Sacr. Conc. L. 1. Cap. 15. & 16.*

Patre) usurpetur. Pro Sacra enim Concione *DEI* verba sunt explicanda; qualia ne-
tquam forent, sapientissima licet, veterum
Patrum dicta. Interdum tamen, quamvis
rarius, adhiberi queunt verba *Ecclesiæ* in
Divinis officiis contenta. Ita *Paulus Segneri*
primam *Quadragesimæ* Concionem orsus est
ab his *Ecclesiæ* dictis, in *Scriptura* tamen fun-
datis: *memento homo, quia p̄lvis es, & in pul-
verem reverteris.*

II. Si commodum potest, sumatur *tex-
tus* ex ipso *diei Evangelio*. Nec enim Eccle-
sia alio consilio Sacras *Evangelii lectiones* sin-
gulis Dominicis, & Festis diebus legi solitas
concionum initio præmittere consuevit,
quam ut inde Sacrarum Orationum argu-
menta, eorum dierum circumstantiis accom-
modata, promantur. Possunt tamen accipi
etiam ex *Epistolis*, iisdem diebus prælegi so-
litis. Hæ enim æque sunt *Verbum DEI*, ac
Evangelia, quas Sancti *Ecclesiæ Patres* suis e-
tiam *homiliis* explicuerunt.

III. Si tamen loci, aut temporis, vel
tractandi argumenti ratio, aut diei celebri-
tas aliud deposceret, vel publica Sancto cui-
piam dicenda *Panegyris* foret, non est ne-
cesse, ut *Evangelii*, aut *Epistolæ* verbis ad-
stringatur Orator; poterit sumere *textum*
ex omni, qui libuerit, *Scripturæ* loco: ut
ex *Genesi*, *Libris Regum*, *Prophetarum*, *Psal-
mis David* &c. Optimum erit, si tempori,
cæterisque circumstantiis fuerit accomoda-
tus.

PARS I.

CAPUT. I.

ARTICUL. I.

§ II.

IV. *Textus sit brevis*; prolixitate enim fatigabit auditorem. Dein argumento *conveniēns*, & *proprius*, qui concionis *summam*, ut *femen arborem*, virtute complectatur. Non igitur sit *violente* ad propositum *detortus*: ut quidam Oratorum (apud *Amadæum*) Prophetæ *Habacuc* verba: *turbabuntur pelles terræ Madian*, putide usurpavit ad Panegyrim Divo *Bartholomæo* dicendam, quasi vero illic de pellis detractōne ageretur, quam *Sanctus* hic *Apostolus* sustinuit. Nec ille felicius egit, qui *Isaiæ* locum: *saliēt sicut cervus claudus*, transtulit ad laudationem *Divi Ignatii* ad arcem *Pampelonam* in tibia læsi. Unde *Sacrum* è *Scriptura textum* deprompturus Orator diligenter consideret: an sensum ejusmodi contineat, qui dictionis proposito *congruat*, vel saltem facile eo *accomodari* queat, quod ex *interpretibus*, ea de re tunc diligenter consulendis, cognoscere potest.

V. Usurpandæ sententiæ sint *probantes* potius; quam *simpliciter affirmantes*, ob rationem infra (m) alibi dicendam. Utrique (si fieri potest) ejusmodi deligantur, qui sint vel *præcipientes*, aut *prohibentes*, *suadentes*, *promittentes*, *adhortantes*, *minitantes*, &c. ob causam eodem loco memorandam. Tales forent: *Date, & dabitur vobis. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis &c.*

ARTI-

m) L. 2. C. 3. Art. 1. § 1. num. 4. & 5.

ARTICULUS II.

DE THEMATE SACRO.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§. I.

THema Sacrum est : breve illud, & apertum dictionis argumentum, quod Orator pro concione sumpsit pertractandum. Aliquando confunditur cum *partitione*, plerumque tamen ab ea differt. Hujus *inventio* non parvum Tyronibus negotium facessere consuevit. Ut igitur laborem eorum allevem, primum illius *inveniendi leges*, postea *fontes*, demum *modos themata elevandi* proponam.

§ I.

Leges inveniendi thematis Sacri.

Leges inveniendi *thematis Sacri* ad novem capita placuit contrahere, potissimum ex *Juventio, Moinio, Zellnero*, ac è *notis Francisci Wagneri* deprompta.

I. Sacrum Concionis thema sit *verum*. Non igitur *ementitum*, aut *nimum paradoxum*, quod difficile sit creditu vel ipsi Oratori. Talia forent, si contenderes: *Sanctum Xaverium Divo Paulo superiorem esse Apostolum. Corporis afflictiones deliciis Paradisi esse suaviores. Statum Religiosum esse quamdam Hierarchiam Angelicam* &c. Cavendum etiam, ne ea, quæ sunt *probabilia*, sive probatis ab autoribus partem in utramque disputari solita, tanquam *certa*, & *indubitata* proponantur. Qualia essent: *quædam Scholarum controversiæ de Gratia, de mysterio Trinitatis, de Pontificis infallibilitate* &c.

PARS I.

CAPUT. I.

ARTICUL. II.

§ 1.

II. Sit *breve*, & *clarum*. Nec enim eorum morem Oratorum probo, qui summum in eo veluti artificium ponere videntur, ut suarum *themata* concionum *celent*, ac verbis consulto *obscurant*, quæ nec à peritioribus, quid velint? satis intelligi queant. *Veteres* quidem *profani* Oratores id impune facere poterant, cum causæ in foro coram Judicibus, & populo agitatæ omnibus fuerint perspectæ: in Sacris tamen *Concionatoribus* tolerari haud debet; cum eorum officium sit docere auditorem *morum*, *fidei*, ac *Religionis* nostræ *capita*, plerisque si non prorsus ignota, saltem minus nota: quæ sine *claritate*, ac *brevitate* vix possunt reddi notiora. Unde Sacer Orator *thema* suum (tametsi sublimius foret) verbis, quam potest, *paucissimis*, ac *clarissimis* proponat, ut ab unoquoque, rudiori etiam (qui plerumque doctiori permixtus est) auditore statim percipi, ac memoriæ mandari queat. In eo etiam elaboret, ut *themata* sumat *plana*, *naturalia*, minime *contorta*, quæ minus ingenii habeant, quam ingenuæ, simplicisque veritatis. Qualia sunt: *Oratio est efficax; sed male oratur: est facilis; sed parum oratur. Male parta non diu, nec unquam quiete, possidentur. In periculis peccandi nemo suæ virtuti fidat, nec in Gratiâ Divinâ præfidat. S. Ignatius fuit Gloriæ DEI propagator studiosissimus. S. Xaverius ex vero Magnus Indiarum dicitur est Apostolus. S. Joannes Evangelista dilectus Christo discipulus, & adoptatus Mariæ Filius &c.*

III.

III. Sit *unum*, & *adæquatum*. Nam si plura inter se haud connexa complectatur, non *una*, sed *multiplex* fiet Oratio. v. g. *dicam de Orationis necessitate, ac Missæ audiendæ utilitate*. Similiter non servant thematis *unitatem* argumenta *problematica*, in quorum confirmatione partis utriusque momenta expenduntur, ac demum sub epilogum alterutri acceditur. v. g. *Utrum plures Christianorum salventur, an damnentur? Plusne India debeat Xaverio, an Xaverius Indiæ? Armisne, an Religione gloriosior fuerit Hungariæ Rex S. Ladislaus?* Turpius ab hac *simplicitate* deviant, qui à proposito (ut ante dixi) aberrantes, de *luxu* dicturos se promittunt, postea, velut à cursu abrepti, in *superbiam*, aut *avaritiam* delabuntur. Unde Concionis argumentum sit *simplex* quædam, & *adæquata* sententia, quæ omnia in Oratione dicenda comprehendat, & singulæ partes ad eam, veluti *scopum*, valeant revocari. v. g. *Gula est vitium homini magnopere noxium. 1. In bonis fortunæ. 2. In bonis corporis. 3. In bonis animæ.* Vide: hic singula in noxiis contineri.

IV. Sit *moderatum*, id est, nec ita *sterile*, ut non expleat Orationem: nec adeo *copiosum*, ac *generale*, ut latissime diffundatur, ac proinde nullum Oratoriæ amplificationi locum præstet. Ut: *dicam de patientia, de eleemosyna, de superbia*. Vel laudaturus Sanctum aliquem, referre proponas: *quæ acciderint cum eo ante vitam, in vita, & post vitam.*

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ 1.

vitam. Vel, quæ fuerint illius gesta privata, togata, bellica, religiosa. Aut si mulier sit, qualem se præbuit in statu cœlibe, qualem in conjugio, quam in viduitate. Quæ, ut vides, libri potius, quam unius Concionis, sunt argumenta. Unde tam in Suasoriis, quam etiam in Panegyricis dictionibus sumenda semper est una aliqua species virtutis, vel pars ei inclusa, aut quædam illius actio singularis vel illustrius quodpiam facinus, quod Sancti illius (ut alibi explicabimus) character sit, ex quo facile cæteræ virtutes eluceant. Verbo: thesis ad hypothesein, sive ad particularem quampiam, ac certis circumstantiis adstrictam propositionem est revocanda. Ut: afflictiones patienter ferendæ, quia à DEO proveniunt, & ad DEUM perducunt. Calamitatum author est DEUS, ut mali corrigantur; boni vero confirmentur. Pie orandum ubique; sed maxime in templo. S. Josephus est Caput Familiæ Sacræ, quia Caput est Mariæ, Caput Christi. Mariæ: ut Conjux verus; Christi: ut Pater Nutritius. Vel si commendes in Sancto Francisco Regis studium instituendi rudes, & parvulos doctrina Christiana. In S. Dominico extollas Zelum adversus Hæreticos, restitutum prædicandi Verbi DEI morem. In S. Francisco Seraphico amorem Evangelicæ pæupertatis collaudes &c.

V. Si commodum fieri potest, semper occurrenti Evangelio sit conforme. Hoc enim (ut dixi) consilio Evangelicæ lectiones in Ecclesia sunt constitutæ, ut doctrinæ iis contentæ

tentæ pro concionibus populo explicentur. Si igitur Evangelium legatur de *Nuptiis in Cana*: instituatur sermo de *Matrimonio*. Si de *leprosis*: fiat concio de *peccato*, de *confessione*, de *gratitudine*. Si de *Lazaro*, & *Epulone*: fit Oratio de *periculis divitiarum*, vel *pœnis inferni*, aut *miseriordia in pauperes*. Si de *Magdalena*, vel *Filio prodigo*: poterit institui dictio de *luxuria*, de *pœnitentia* de *scandalo*. Si de *Numulariis è templo ejectis*: dicendum est de *reverentia templis debita*, &c. Imo fit thema Concionis *accomodatam* ipsi etiam *assumpto textui*. Secus frustra, ac inutiliter dictioni præfigetur, si ab eo Orationis argumentum toto cælo *aberret*: vel certe admodum *violente* ad propositum *trahatur*; aut si nulla penitus (quod fœdus foret) illius *mentio injiciatur*.

VI. Sit *aptum tempori*. Sicut enim Ecclesia diversas *Evangeliorum lectiones* diversis accomodat temporibus, ut in *Adventu* agit de *Domini adventu*: in *Nativitate* de *Christi ortu*: in *Quadragesima* de *jejunio*: in *Paschate* de *resurrectione*; ita Sacro Oratori concionum themata occurrentium dierum *celebritatibus* sunt conformanda.

VII. Sit *paratum Auditorum moribus*, & *ingenio*. Id est: sumantur *themata* rudiõribus *simpliciora*, mediocribus *media*, eruditioribus *doctiora*. Non enim idem est omnibus ingenium, nec eadem ubique *morum*, ac vitæ disciplina. In diversis locis plerumque diversa regnant vitia. Illic *superbia*, isthic *ava-*

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ I.

PARS. I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ I.

ritia: ibi *detraçtio*, hic *luxus*, & *gula* dominatur. Imo accidit, ut peculiaris cujuspiam materiæ tractatio plus interdum obsit; quam profit. Expertus rem Sacer loci cujusdam *Curio*, dum suas cuidam Oratori concionandi partes incautius detulisset. Hic de *superstitionibus* ei populo tum ignotis multa ardentius dixit, quam prudentius; comperit postea plures huic sceleri obnoxios extitisse. Sollicitus igitur salutis animarum *Ecclesiastes* diligenter (una tamen prudenter) in publicos loci mores inquit, quæ illic *vitia* grassentur? quæ *fidei notitia*, aut *ignoratio* habeatur? Ac tum deligit materiam diversis (si opus fuerit) argumentis tamdiu prosequendam, dum errores corrigantur.

VIII. Sit *utile*, & *practicum*, sive ad mentem potius imbuendam, & *formandos* hominum mores, quam ad *pascendum* curiose intellectum comparatum. Unde *Evangelicus* Orator in *Panegyricis* ea *themata* sumat, quæ doctrinæ moralis semina contineant; nec enim ideo solum Sanctos vult *Ecclesia* laudari, ut eorum vitam, ac virtutes admiremur; sed maxime, ut imitari conemur. In *Moralibus* autem dictionibus, pro rerum diversitate, tracten ut argumenta tam *communia*, quam etiam *Evangelica*. *Communia* voco ea, quæ non solum ex scripto DEI Verbo, sed etiam ex humana *Philosophia*, & naturali ratione nobis innotescunt: ut sunt pleraque *Decalogi* præcepta, de *DEO* colendo, de non pejerando,

do, honorandis parentibus, vitando homicidio, adulterio, mendacio, furto, de cavenda arrogantia, avaritia, gula, ira &c. Evangelica autem themata sunt, quæ antiquis Philosophis fuisse incognita, & à promulgato Evangelio reddita sunt notiora. Quorum alia sunt dogmata: de DEO trino, de Resurrectione, de Judicio, de Incarnatione Filii DEI, de Angelis, Gratia, Ecclesia, Sacramentis, Inferno, Purgatorio &c. Alia præcepta: de diligendis inimicis de carne sua odio habenda, de Castimonia &c. Sunt, qui doctrinam à Canisio, vel Catechismo Romano ex ordine sumunt explicandam, quod rudiori præsertim auditori utilissimum putarem; cum hi omnia fidei, morumve capita complectantur. Cui hoc arripserit, habebit profecto varia, & pulcherrima dicendi argumenta, ne plurium quidem annorum dictionibus exhaurienda. Novi etiam à Celebrioribus Sacris Oratoribus unum aliquem, qui Evangelicas Lazari, & Epulonis, aut Filii Prodigii, vel Mulieris Samaritanæ historias, in certa capita eleganter distributas, continuatis concionibus, ingenti concurrentium hominum plausu. & fructu explicabat. Alii particulares virtutes, ut Charitatem, Justitiam; aut vitia, ut Linguae &c. Vel hominum officia, ut Conjugum, Parentum, Servorum &c. deligunt in materiam Sermonis pluribus diebus explicandam. Franciscus Peickhart, Celebrerrimus Viennæ Austriæ Ecclesiastes, quatuor Evangelia magno

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ I.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ II.

Auditorum profectu pertractabat. Possset quis ad morem *Italorum* certos deligere Scripturæ libros, *Sacris* (ut ii faciunt) *lectionibus* explanandos. Sed hæc continuata Sacrarum Concionum materia non æque ab omnibus probatur. Tu fac, quod tibi, tuisve Auditoribus opportunum fore judicaveris.

IX. Sit *novum*, id est: non proferatur *trito*, & *vulgari* modo; sed habeat suam *elegantiam*, & quamdam *novitatis* speciem, qua attentiores reddantur auditores. Sic vulgaris est hæc absoluta propositio: *mali sunt aliquando utiles virtuti*; at nova, & elegantior fiet, si comparate dicatur: *Virtus plura debet improbis, quam probis*. Cavendum tamen, ne, dum novitatibus studemus, in *temeraria*, *ridicula*, *obscura*, *intellectu difficilia*, vel *inania* delabamur. Qui autem conciliandæ novitatis modi sint, alibi dicemus.

§ II.

Fontes inveniendi Thema Sacrum.

UT idoneum concionis thema reperiat tyro, illud è *propriis* Sacræ Eloquentiæ *fontibus* petat, oportet. Duo autem ei observanda sunt: I. Thema quæsiturus, ante omnia ex memoratis jam ante legibus tria diligenter in memoriam revocet: quid nempe dicendum sit *aptum tempori, conforme Evangelio, utile auditori*? His recogitatis attentus perlegat Sacrum ejus diei Evangelium, atque inde *thesim*, sive *generale* dictionis suæ

argu-

argumentum constituat, v. g. dicam de Oratio-
ne, patientia, superbia, humilitate &c. quin tunc
definiat quid, quave ratione de iis dicere
velit. Dein progrediatur ad inveniendam
hypothese[m], seu *thema particulare*, quod etiam
propositionem vocamus. Ut autem facilius
eam reperiatur, consulat *proprios* (ut dixi) Sa-
cræ Eloquentiæ fontes: an quidpiam in iis
habeatur, quod ad *hypothese[m]*, sive *thema*
Concionis particulare, dictis tribus circum-
stantiis accomodatum valeat deservire. *Fon-*
tes vero sunt sequentes.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ II.

I. *Fons est Scriptura Divina universe*, ex
qua hunc thematis eruendi modum cape.
Perlecto *Evangelio*, ac determinata (ut ad-
monui) apud animum *thesi*, v. g. *agam de pa-*
tientia, si nihil de *Scriptura* opportunum men-
ti succurrat, consule *Indicem Bibliorum*, vel
Concordantias, aut *Polyantheas*, quæ commu-
nes *Scripturæ* locos, & exempla in certa
capita digesta complectuntur, ut *Hanapi*,
Merzii, *Lobneri*, *Houdrii*, ac reliquorum.
Vide: quid illic ad præsentem materiam va-
litorum reperiatur? v. g. è *Biblico Indice* ver-
bo *patientia* rescis *Proverbiorum* 3. v. II. ha-
beri: *Disciplinam Domini Fili mi ne abjicias*,
nec deficias, cum ab eo corripieris: quem enim di-
ligit Dominus corripit, & quasi Pater in Filio
complacet sibi. En inde themata concionum:
1. Ex verbis: *ne abjicias, nec deficias: In af-*
flictionibus studium virtutis non est deserendum,
nec in eo languendum. 2. Ex verbis: *quem di-*
ligit

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II
§ II.

ligit, corripit: A DEO corripit est signum dilectionis, & quidem paternæ. 3. Ex verbis quasi Pater in Filio complacet: Calamitates patienter sunt ferendæ; quia proveniunt à DEO, tanquam patre; hominem, tanquam filium, diligente. Vel si de Judicum officio dicere constituisti, relege in Concordantiis seriem citationum verbi Judex, vel Judicium, aut Judico invenies Psalmo 7. v. II. DEUS Judex justus, fortis, & patiens, nunquid irascitur per singulos dies? dabit locus hic ex verbis justus, fortis patiens, argumentum Concioni: terreni Judices, ad imitationem supremi Judicis DEI, sint patientes in causis cognoscendis, sint fortes in numeribus, ceterisve recti judicii obstaculis removendis, sint justus in ferenda sententia. Vel denique in Bibliotheca Vincentii Houdri titulo Adolescentia hunc è Proverbiis textum leges: adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea, unde hoc formari thema potest: qualis adolescens, talis senex. Vel: bona adolescentia indicium est bene exigendæ senectutis; mala Senectus argumentum est male exactæ juventutis.

II. Fons est Evangelium ejus diei, quo dicere Concionem constituisti. Est autem multiplex inde thema depromendi modus.

I. Ex summa Evangelii, dum sensus, & doctrinæ in eo contentæ in summam rediguntur, atque inde Concionis argumenta desumuntur. Sit exemplum: Dominica prima post Epiphaniam summa Evangelii est:

JESUS

JESUS puer à Parentibus in templum ductus, è templo rediens perditus, inquisitus, inventus, ac domum reductus. En themata Concionum: à teneris pueri ad pietatem formandi parentum verbis, & exemplo. Vel dic: de modo amittendi Gratiam Christi, eam inveniendi, ac conservandi. Dominica II. post Epiphaniam agitur de nuptiis in Cana celebratis, de primo Christi aquam in vinum convertentis miraculo, quæ dant occasionem dicendi: de matrimonio quod Christus, Maria, Sancti Apostoli sua præsentia honorarunt: de modo celebrandi nuptias: de miraculis in Ecclesia: de transubstantiatione panis in corpus Christi, &c.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ II.

2. *Ex singulis textibus, idque multiplici ratione: 1. Ex sensu rei, quem textus plerumque per vocem, aut verbum principale manifestat, ut dicta Dominica I. post Epiphaniam legitur de Christo: & erat subditus illis, ubi vox subditus significat Christum parentibus subjectum, & obedientem extitisse. Ex quo thema sumi potest: de subjectione filiorum parentibus debita. Ibidem habetur: JESUS autem proficiebat gratia apud DEUM, & homines. Verbum principale proficiebat dat occasionem dicendi: de studio proficiendi in virtutibus, aut perfectione hominis Christiani, vel Religiosi. 2. Ex singulis textuum verbis: ut subjecto, prædicato, vel subjecti, aut prædicati affectionibus. Sic Dominica X. post Pentecosten legitur: duo homines ascenderunt in templum, ut orarent. Subjectum duo homines, superbus nimirum Pharisæus,*

PARS I. *seus, & humilis Publicanus* dant dicendi oportunitatem: *de duplici Oratione humilium; ac*
 CAPUT. I. *superborum; humilium: quæ DEO grata est; superborum: quæ DEO semper inuisa est.* Vel ex prædicato *ascenderunt in templum sermo fieri potest: de frequentia Divinorum, aut efficacia Orationis in templo, vel Orationem esse mentis ad DEUM ascensionem.* Interdum prædicati, & subjecti *affectiones uberem concionandi materiam ministrant: ut surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni: affectio vere, & Simoni præbent argumentum dictioni de spiritali peccatoris resurrectione per veram Confessionem Simoni, idest Sacerdoti, faciendam.* Examinantur etiam *textus verba per adjuncta quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando; at de hoc alibi plura dicemus.*

3. Clarissimus Pater Pius (n) *Manzador, celebris Clericorum S. Pauli Ecclesiastes, omnem rerum pro Concione dicendarum materiam ad septem revocat Capita: ad res nimirum credendas, sperandas, amandas, timendas, vincendas, fugiendas, agendas. Credendis adnumerat quidquid de Fide, de DEO, de Christo, de Ecclesia, de Sacramentis &c. credi potest. Ad speranda revocat spem, ac spei objecta, ut gloriam cælestem, gratiam divinam, salutem æternam, DEI dona, beneficia, auxilia, consolationes &c. Ad amanda refert: amorem DEI, sui, & proximi. Timendis accenset ipsum timorem, mortem, Judicium, infernum,*
 ang-

angores animi, & conscientiae, calamitates, ærumnas &c. Inter vincenda recenset animi passiones, cupiditates, tentationes &c. Vitanda ait peccata, occasiones, & pericula &c. Inter agenda memorat virtutes Theologicas, & Morales, earum exercitium, Sacramentorum usum, hominum officia cuiusvis statui propria &c. Sacram igitur dictionem scripturus Orator singula Evangelii verba dispiciat: an quidpiam dictis septem capitibus comprehensum contineant, quod de rebus credendis, aut sperandis, vel amandis dicendi fundamentum præberet. Sit exemplum: *Dominica XIX. post Pentecosten* legitur Evangelica parabola de nuptiis ab homine Rege filio suo institutis. Vide, & quidem primum, quid è rebus credendis complectatur? reperies in verba: *simile est regnum Cælorum homini Regi, qui fecit filio suo nuptias, dici posse: de mysticis Naturæ Divinæ cum humana in unitatem Personæ Verbi, vel Christi cum Ecclesia, aut animæ iusti cum DEO per gratiam factis nuptiis. Ex sperandis ad verba: misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, dicere poteris de Beatitudine Cælesti, vel gratia singulos hominum vocante ad salutem consequendam. Ex fugiendis super textum: volebant venire, institue sermonem de neglectu salutis. Ex timendis verba: mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium, dant copiam dicendi de pœnis inferni, ac primum de pœna damni per tenebras expressi: postea sensus, per fletum, ac dentium stridorem signi-*

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§. II.

significati. Ex *agendis* super verba: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens et essem nuptialem*, dic: de *apparatu animi ad sumendam rite Eucharistiam*.

III. *Fons sunt Sancti Patres*. Accidit interdum, ut simplici lectione ob sensus obscuritatem non protinus cogitanti succurrat opportunum ex *Evangelio* thema; consule Veterum Ecclesie Patrum *homilias*, que sensu explicent difficiliores *Evangelii textus*, & uberem illic concionum materiam invenies. Ita *Dominica V. post Pascha* in Evangelica sententia, *siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, occurrunt verba in nomine meo paulum obscuriora, quam ut statim intelligi queant. Explicat ea S. *Augustinus* (Tract. 102. in Joan.) *non peti in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis*, dic: salutaria sint, oportet, quæ in nomine Salvatoris petuntur. Similiter in verbis Evangelii *Dominicæ I. in Quadragesima*: *Ductus est JESUS in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo*, non levem difficultatem parit: cur à Spiritu Sancto ad tentationem ductus esse dicatur. Declarat id S. *Chrysostomus* Homil. 13. in Matth. *propterea non eum ultro in eremum; sed à Spiritu Sancto ductum esse JESUM commemorat, juxta dispensationis perfectæ rationem, ut nos videlicet apertissime signatum esse videamus, quia non sponte nos ipsos in tentationes oportet insilire; sed si contracti fuerimus, viriliter repugnare, ex quibus eruitur thema:*

nemo

nemo se tentationibus, aut peccandi periculis ultro obiciat. Vel: multi tentantur, quia tentari volunt; sunt, qui tentantur, sed tentari nolunt: hi facile vincunt, illi vincuntur.

PARS I.
CAPUT II.
ARTICULUS II.
§ II.

IV. *Fons sunt Scripturæ interpretes. Concionem paraturus accipe aliquem è celebrioribus Scripturæ interpretibus unum, ut Bæzam, Sylveiram, Maldonatum, Jansenium, Barradium, Calmet, Cornelium &c. Revolve totam Evangelicæ lectionis explicationem secundum quadruplicem, quem Scriptura habere sensum potest, ut literalem, tropologicum, allegoricum, & anagogicum. Invenies copiosam concionandi materiam è singulis pene verbis eruendam. Res pateat exemplo. Est dicenda tibi concio Dominica II. post Epiphaniam de Canæ nuptiis, consule Barradium Evangelium hoc diffusius explicantem, dabit complura dicendi argumenta, & quidem*

1. *De honestate Nuptiarum; quia 1. DEUS eas instituit. 2. Christus sua presentia sanctificavit. 3. Primo miraculo nobilitavit. 2. Declarare poteris matrimonium mysterium esse Sanctum, & magnum: 1. Sua institutione. 2. Sua significatione. 3. Suo effectu. Vel 3. Explica triplex matrimonii bonum: 1. Bonum fidei, 2. Bonum prolis, 3. Bonum Sacramenti. Vel*
4. *Cum in sensu allegorico matrimonium sit typus conjunctionis Christi cum Ecclesia, in quo Sponsus significat Christum; Sponsa vero Ecclesiam, sume argumentum Concionis ex verbis Barradii, ut Conjugium sit felix*

I

I. Spon-

PARS I.
CAUT. I.
ARTICUL. II
§ II.

I. *Sponsus imitetur Christum Sponsum in amore; ut quemadmodum is amat Ecclesiam. ita Vir amet uxorem suam. 2. Sponsa imitetur Ecclesiam Sponsam in obedientia. ut quemadmodum hæc obedit Christo, ita Uxor obediat Viro. Vel 5. In verba: vocatus est autem & JESUS, dic cum Barradio: ad nuptias feliciter ineundas vocandum esse JESUM, non Diabolum: ubi enim fuerit JEsus, non deerit veræ lætitiæ vinum, castitas, fides, prolis diligens educatio, pax, amor, concordia. Contra, qui Dæmonem in Matrimonium invitat, is vinum in aquam conversum: adulteria, rixas, liberorum iniquitatem, domusque videbit perturbationem. Aut 6. In verba: deficiente vino dicit Mater JESU ad eum, vinum non habent, è sensu literali suadere poteris luxum esse vitandum, temperantiam in cibo, ac potu servandam, convivium moderanda. Vel è mente Barradii institue sermonem de prompta Virginis succurrendi voluntate: potenti apud DEUM patrocínio: misericordia in pauperes, præsertim domesticos, exercenda &c.*

V. *Fons sunt Sacri Oratores, qui suas consulto Orationes ea mente vulgarunt, ut tyronibus adjumento esse queant. Quorum opera, ut sua, integre declamare quemadmodum probrosum foret; ita themata ex iis deprompta elaborare, vel alia iis similia (quod commendatione dignius esset) ad imitationem excogitare, non vitio, sed laudi verti debet. Sunt enim haud pauci, non ex Recentioribus modo, sed etiam ex Veteribus, superi-*

superioris præsertim sæculi *Oratoribus*, qui copiosam adeo vel in una Concione materiam congestam habent, ut pluribus ex arte conficiendis uberrima *themata* suppeditent. Ejusmodi sunt (ut jam ante dixi) Conciones *Matthæ Fabri*, *Henrici Engelgrave*, *Petri Bessæi*, *Georgii Schereri*, *Pelbarti de Temesvár*, item *Petri Pazmanni*, ac reliquorum. Sacram igitur Orationem adornaturus tyro, videat: quid *thematum* in iis ad propositum suum reperire queat. Declaremus rem *exemplo*: constituisti in animo dicere Concionem de *recta prolium educatione*, confule *Pazmannum* *Dominica I. post Epiphaniam* de hoc argumento differentem, reperies in eo: 1. *Recta prolium educatio necessaria est privato filiorum bono, dein communi Republicæ saluti.* 2. *Est utilis ad vitia extirpanda, ad virtutes implantandas, ad scientias condiscendas.* 3. *Probam filiorum institutionem DEUS severis præcipit mandatis, urget præmiis, si negligatur, castigat pœnis.* 4. *Probi filii magno sunt parentibus solatio; improbi ingenti mœrori.* 5. *Rectam educationem dicat in brutis natura; in hominibus ratio.* 6. *Parentes filios doceant verbis; sed maxime exemplis.* 7. *Prava parentum exempla sunt potissima filiorum male moratorum causa.* 8. *Filii à teneris statim ad pietatem asvescendi, rectis principiis imbuendi, Optimorum Præceptorum curæ tradendi, si peccent, diligenter corrigendi.* En! quanta vel ex uno *Pazmanno* *thematum supellex*, eandem præstabunt reliqui. Utere!

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ II.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ II.

VI. *Fons sunt Ascetæ, qui de Christianæ vitæ, morumve perfectione multa pie, ac utiliter conscripserunt; ut nullum fere sit argumenti genus aptum concioni, quod non pertractarent. Talia sunt opuscula magnorum Theologorum, ut Divi Thomæ, Bonaventuræ, Cajetani, Bellarmini, Lessii, & reliquorum, jam ante memoratorum. Maxime qui Sacra (ut dicimus) exercitia, aut pias in singulos anni dies meditationes conscripserunt. Delecta igitur apud animum thesi, v. g. eleemosyna, inspice unum aliquem ex Ascetis, exempli causa Drexelii Gazophylacium, reperies in eo: 1. Cum in pauperes benigni sumus, non nostra damus; sed ea dando nostra facimus. 2. Hoc habemus, quod egentibus tribuimus; perdimus, quidquid iis dandum reservamus. 3. Quod pauperibus impertimur, hoc Christo damus, in Cœlum reponimus, cum sænore recipimus. 4. Eleemosyna à damnis servat, à vitiis purgat, à morte æterna liberat. 5. Eleemosyna est sænus, quod facultates non minuit, sed auget. 6. Eleemosynas dare non est donum, sed debitum: non consilium, sed præceptum. 7. Eleemosyna maleficas artes retundit, beneficia posterorum memoriæ tradit, nomen immortale parit. 8. Dare eleemosynas hominum Sanctissimorum contentissimum semper studium erat. Hæc Drexelius. Jam si de morte dicendum foret, dabunt meditationes Patris Chappuis hæc argumenta: 1. Die IV. Januarii: de incertitudine mortis: mors est incerta spectando ætatem, spectando genus mortis, spectando*

do statum animæ. 2. Die I. Februarii: de extremo vitæ momento: *extremum vitæ momentum est finis omnis temporis, est initium æternitatis.* 3. Die XXX. Martii: de cadavere mortui hominis, *quod est spectaculum vanitatis, & spectaculum veritatis.* 4. Die IX. Octobris: Mors est nihili nostri imago: *per convulsiones, quæ eam præcedunt: per spoliationem, quæ illam comitatur, per sepulchrum, quod illam sequitur.* 5. Die XVII. Novembris: de præparatione ad mortem: *quia plurimum refert bene mori: quia nihil æque arduum est, ac bene mori.*

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ II.

VII. Fons sunt *Polyanthæ*, quas Viri docti ea de causa conscripserunt, ut Tyronibus librorum penuria plerumque laborantibus compendio forent. Inter cæteras jam alibi memoratas celebriores sunt (ut sæpe dixi) *Bibliothecæ Concionariæ Tobie Lobner*, ac *Vincentii Houdri*, quæ uberrimam in omni fere argumenti genere rerum dicendarum sylvam complectuntur. Huc etiam spectat *Sylva Cogitationum Patris Heger. Micæ Evangelicæ P. Neumayr. Missionarius Apostolicus P. Tyran. Institutio Concionaria Natalis Alexandri. Mathiæ Fabri Conciones &c.* Si igitur de obtreccionibus sermo institui deberet, adi *Bibliothecam Patris Houdri*, titulo *Detractio*, invenies in ea: 1. *Detractio est crimen grande, est crimen turpe, est crimen contagiosum.* 2. *Detractio est vitium communissimum, perpetratu facillimum, reparatu difficillimum.* 3. *Detractio tres uno ictu ferit: detrahentem, audientem,*

PARS I.
CAPUT I.
ARTICUL. II
§ III.

tem, & cui detrabitur. 4. Detractio est peccatum, quod nulla consuetudine probari potest, nullo obtentu excusari potest, nulla satisfactioe sufficienter reparari potest. 5. Detractio est peccatum in origine infame, in progressu periculosum, in exitu funestum. 6. Detractiones patienter ferendæ sunt: quia eas tulit Christus, & sanctissimi semper Viri ferunt. Similiter in alio quocunque argumenti genere juvari potes.

§ III.

Modi elevandi Sacrum Thema.

DIxeram ante, ut Sacrum Orationis *thema* Auditores reddat attentiores, ne sit tritum nimis, ac *vulgare*; sed habeat quandam *novitatis* speciem, sive *elegantiam*. Hanc autem obtinebit, si *thema* (ut *Rhetores* dicere solent) *elevetur*. Sunt autem illius modi complures, primum adferam *communes* utriusque *Eloquentiæ*; postea *Sacræ* proprios.

Modi Communes.

I. Si *vulgaris* propositio in modum *definitionis* proferatur. Ut *eleemosyna* homines ditat, mortem divites timent, pauperes desiderant, nemo eam vitare potest. Peccatum conscientiam commaculat, vitæ perniciem adfert: elegantius dixeris: *eleemosyna est ars ditescendi omnium facillima, securissima, certissima. Mors est metus divitum, pauperum desiderium, necessitas inevitabilis. Peccatum est labes animi, vitæ perniciēs. Vel illud Jobi (29. v. 15.) pes fui claudio, oculus cæco, pater eram pauperum.*

II.

II. Cum ex *absoluta* propositione feceris, *comparativam*. Id autem dupliciter fieri potest. 1. *Aperte*. Ut si Divum *Gabrielem Archangelum* laudaturus à legatione jussu æterni Patris apud Virginem obita diceres: *gloriosior fuit Divo Gabrieli Archangelo ad Virginem facta legatio, quam Michaëli de rebellibus Angelis victoria reportata*. Vel illud *Chrysofomi de Virginitate* (o): *Virginitas tanto præstat nuptiis; quanto cælum terræ, angeli hominibus antecellunt*. Item: *Obtrectatio fortiter tolerata plus homini prodest; quam obsit illata*. Vel illud *Augustini de humilitate*: *tanto excellentior, quanto quis humilior*. 2. *Occulte*. Ut si ex illo *Christi* (p): *estote prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ* dicas: *homo Christianus habeat prudentiam; at serpentis: simplicitatem; sed columbæ*. Vel in verba: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio; sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt* (q) diceres: *S. Antonius est lucerna, quantum in se erat sub modio posita, ut nemini pateret: à DEO autem super candelabrum evecta, ut omnibus luceret*.

III. Cum thema in modum *sententiæ* profertur, aut *gnomæ*, vel *adagia* in argumentum *Concionis* sumuntur. Ut *male parta male dilabuntur*. *Quisque suæ fortunæ faber*. *Homo homini lupus*. *Qualis rector Civitatis, tales inhabitantes in ea*. *Felix, qui sua sorte contentus*. *Recte agendo neminem timueris*. *Secunda fortuna difficilius fertur, quam adversa*. *Fortunæ varietas*

I 4

sperare

o) *Lib. de Virg.* p) *Matth. 10. v. 16.* q) *Matth. 5. v. 15.*

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II
§. III.

sperare infelices docet; timere felices. Manus pauperum est Christi gazophilacium. Ascendit Oratio, & descendit miseratione.

IV. Si conflatur ex *antithetis*, pugnantis, aut *relatis*. Ut: *sapientia hujus mundi stultitia est: divitiæ paupertas, miseria felicitas. In regno Christi novissimus est primus, & primus novissimus. Qui minimus, ille maximus. Vel illud Senecæ: magna fortuna magna servitus. Corpus, & anima sunt inimici inseparabiles; sunt amici intolerabiles. Eucharistia mors est malis; vita bonis. Eleemosyna est negotiatio, in qua res magnæ parvo emuntur, & res parvæ magno venduntur.*

V. Conciliatur etiam novitas à *paradoxo*, sive cum aliquid inexpectatum, sive à vulgi opinione remotum profertur. Ut: *summæ vindictæ genus est injurias ignovisse. Vel de Aloysio: aut homo est sine carne, aut angelus in carne. Item: S. Aloysius magnus pœnitens sine delictis, magnus martyr sine tormentis, magnus Sanctus sine miraculis. Vel illud Christi: qui amat animam suam perdet eam, & qui odit, - - custodit eam (r). Denique Bernardini: tempus tantum valet, quantum DEUS.*

VI. Si ducatur à *conjugatis*. Ut: *sapientis est recte sapere. Filiorum parentibus parere. S. Petrus est Ecclesiæ petra. Crudelis misericordia est in Judicibus scelerum tangi miseratione. Cautè tamen hoc loco utendum, ut ante monueram, & amplius porro monebo.*

VII.

r) Joan. 12. v. 25.

VII. Si *themata* sint *allegorica*, aut *trans-*
lata: tria tamen hic notanda: 1. Ne *allego-*
ria (ut jam dixeram) nimium sit *vilis*, & *pu-*
tida. 2. Ut rebus dicendis sit *accomodata*. 3.
 Ut sit è verbis *Evangelii*, vel saltem ex ali-
 quo *Scripturæ* loco petita. Ita eleganter lu-
 ferat Orator ille, qui è *textu Evangelii*: ecce
 ego mitto vos, sicut oves inter lupos, S. Ignatium,
 vel potius institutam ab eo *Societatem*, pro-
 babat esse: *Ovem Christi inter lupos missam*,
 id est *odiis infidelium*, postea *Hæreticorum*, de-
 nique *malorum Catholicorum impugnatam*. Aut
 si è verbis Christi: *jugum meum suave est*, &
onus meum leve. *Discite à me, quia mitis sum*,
 & *humilis corde*, diceres: *matrimonium esse ju-*
gum, quod mansuetudine viri erga uxorem reddi-
tur suave: esse onus, quod humilitate uxoris erga
virum redditur leve.

VIII. Cum thema *Concionis* accomo-
 datum fuerit *circumstantiis temporum*, aut *re-*
rum tunc accidentium. Ita P. Ignatius Chiaber-
 ge, cum anno sæculari MDCC. anniversaria
 Pontificis memoria solenni laudatione age-
 retur, *Gregorium XIII.* ob procuratam utri-
 usque *Reipublicæ* felicitatem pluribus secu-
 lis duraturam *sæculorum felicitatem* probabat.
 Ita tu ageres, si tempore publicæ supplica-
 tionis ob *pestem* imminentem, vel depulsam,
peccatum animi pestem vocares, quam DEUS
plectit peste corporis; pœnitentiam autem remedi-
um appellares, quod depulsa animi peste depellit
etiam pestem corporis. Vel tempore annuæ

PARS I.
 CAPUT. I.
 ARTICUL. II.
 § III.

PARS I.

CAPUT. I.

ARTICUL. II.

§. III.

gratiarum actionis ob liberatam à Turcis hostibus Urbem *Hungariæ* aliquam, ut *Budam*, aut *Faurinum*, in verba: *ecco duo gladii*, duplicem DEI gladium explicares: 1. *Gladium Divinæ justitiæ*, quo DEUS *Ungariam Turcicæ tyrannidi justissime subjecit*. 2. *Gladium misericordiæ*, quo DEUS *misericors Ungariam è Turcica tyrannide clementissime eripuit*. Vel denique occasione luis peccorum, aut siccitatis agrorum exponeres è Sacris literis causas, ob quas DEUS lue animalium, aut siccitate populum *Israëlis* punierat.

IX. Cum à nomine, vel titulo, aut statu, & conditione, vel ab insignibus alicujus sumitur thema Orationis. Liceat singula exemplis illustrare: 1. A Nomine, si *Beatum Calasantium* Scholarum *Piarum* Conditorem vere *Josephum à Matre DEI* dictum probares: 1. *Josephum*, quia recta parvulorum institutione *Christi Pater* erat. 2. A *Matre DEI*, quia recta, parvulorum institutione *Christi Mater* erat: *isthic genuit, illic nutrit*. 2. A Titulo. Si *Divum Antonium Patavinum* Sanctum ostenderes, quo nomine velut per *antonomasiam* tota *Italia* appellari solet: 1. *Quia talem communi voce statim à morte populus proclamavit*. 2. *Quia Ecclesia suo suffragio altero statim post obitum anno agnovit*. 3. *Quia Deus divinitus Uliissime Sanctum dici approbavit*. 3. A Titulo simul, & insignibus, ut si *S. Stephanum* dicas: Regem esse Apostolicum à *Sylvestro* Papa *Corona*, & *Cruce* insignitum. 1. *Corona*, ut
esset

esset Rex. 2. Cruce, ut esset Apostolicus. 4. A Statu & Conditione. Ut si *Divum Ladislaum Hungariæ Regem ostenderes Magnum Militem.* 2. *Magnum Regem.* 3. *Magnum Apostolum.* Vel 1. *Magnum Sanctum, quia fuit magnus Rex.* 2. *Magnum Regem, quia fuit magnus Sanctus.*

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ III.

X. Si thema sumatur ex inscriptionibus. Sic *Josephus Ignatius Claus* in suo *Spicilegio* panegyrim adornavit *Divo Francisco Seraphico* è verbis à *Gregorio Papa IX.* Sancti epitaphio inscriptis: *Divus Franciscus ante obitum mortuus, post obitum vivus.* Idem præstaret, qui alia ejusdem epitaphii verba literis primis expressa V. S. C. A. in argumentum laudationis usurparet, ut *S. Franciscus: Vir Seraphicus, Catholicus, Apostolicus.* Vel ex eodem epitaphio diceret: *Virum celsa humilitate conspicuum, Christiani Orbis fulgimentum, Ecclesiæ reparatorem.*

Modi Proprii.

XI. Magnam quoque Sacræ Orationi parit elegantiam, cum themata promuntur ex propriis Sacræ Eloquentiæ locis. Ac primum ex ipso *Evangelii, vel Scripturæ textu,* quod dupliciter fieri potest. 1. Cum ipsa verba retinentur. Ut: *date, & dabitur vobis,* primum, *date: postea, dabitur vobis.* *Vigilate, & Orate, ne intretis in tentationem,* duo tentationum præsidia: primum, *vigilate;* deinde, *orate.* *Quinque erant fatuæ, & quinque pru-*

PARS I.
CAPUT. I
ARTICUL. III
§ III.

prudentes. S. Catharina Virgo fatua, & prudens: fatua coram mundo; prudens coram DEO. Vel (s) cuius est hæc imago, & superscriptio? dicunt ei Cæsaris: - reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari; & DEI DEO. Homo Christianus tenetur reddere animam DEO; quia in anima hominis est imago DEI, & in anima Christiani est superscriptio DEI. 2. Cum verborum sensus tantum retinetur, & eruitur thema, cui fundamentum verba præbuerunt, ut ex illo: *Quid hic statis tota die otiosi? Qui stat in otio, non diu stabit in virtute.* Item ex illo (t): *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium enim est regnum Cælorum: diceres in sensu tropologico: Parentes sinere debere, & non prohibere rectam suorum parvulorum institutionem.* 1. Sinere, quia recta parvulorum institutione multi hominum salvantur. 2. Non prohibere, quia neglecta parvulorum institutione multi hominum damnantur.

XII. Cum è duobus in eundem diem concurrentibus Evangelii eruitur thema. Ut si festo *Ignatii Dominica X. post Pentecosten* accidente, ex Evangelio festi textum sumeres: *designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos - in omnem Civitatem &c.* Alium vero ex *Dominica promeres: duo homines ascenderunt in templum, ut orarent: Pharisæus unus, alter Publicanus, diceres Sanctum Ignatium ex septuaginta duobus Christi Discipulis esse unum, quem Dominus misit in omnem*

s) *Matth. 22. v. 20.*

t) *Matth. 19. v. 14.*

omnem Civitatem ad duplex hominum genus. 1. Ad Publicanos, *id est peccatores, ut eos ad pœnitentiam invitaret.* 2. Ad Pharisæos, sive Sectarios, *ut superbam eorum contumaciam confringeret.*

PARS I.

CAPUT. I.

ARTICUL. II.

§ III.

XIII. Cum duplici habendæ Concionis occasione deligitur thema utrique valiturum. Ita egerat Orator ille, qui solenni primo ingressu in Templum quoddam Societatis nostræ festo Ignatii habito: *Divum Ignatium Templi DEI Architectum probabat: quia multa DEO templa exstruxit; multa Diaboli destruxit.* Vel si religiosa Votorum nuncupatione in diem Dedicationis incidente dices: *votorum nuncupationem esse spiritualem Vivi Templi dedicationem.*

XIV. Magnum pondus, & ornamentum addit themati cum ipsa Patrum, vel Sanctorum Virorum verba usurpantur. Ut de Virginitate dicturus adhiberes verba S. Ambrosii: *major est victoria Virginum; quam Angelorum: Angeli sine carne vincunt; Virgines in carne triumphant.* Vel S. Chrysologi: *angelicam gloriam acquirere majus est, quam habere: esse angelum felicitatis est; Virginem esse virtutis.* Aut si de pretio temporis peroraturus acciperes verba S. Bernardini Senensis: *Vide: temporis pretiositatem, modico tempore potest homo lucrari veniam, gratiam, gloriam.* Hæc autem eo erunt elegantiora, quo assumpto Evangelii, vel Scripturæ textui fuerint conformiora, ut S. Bonaventuræ in verba: diliges

Domi-

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ III.

Dominum DEUM tuum ex toto corde &c. *Ad perfectum modum diligendi DEUM requiritur, quod referamus in ipsum omnes cogitationes, omnes affectiones, omnes operationes.* Vel si Dominica I. Adventus in verba: *tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & majestate, adhibeas dictum S. Antonii Patavini: ista potestas erit quoad damnandos, majestas quoad salvandos.*

XV. Cum Ecclesiae verba ex divino officio, vel Pontificum dicta, aut ipsa Sanctorum apophthegmata in materiam Concionis deliguntur. 1. Ecclesiae. Ut si S. Stephanum Hungariae Regem ex Oratione divini officii probares fuisse Regem Apostolicum; quia 1. *Fuit propagator Ecclesiae in terris.* 2. *Est propugnator Ecclesiae in Caelis, ut olim fuerat in terris.* 2. Pontificum. Ut si Divum Aloysium cum Benedicto XIII. Juventutis exemplar, & Patronum diceres, *ut ejus patrocinio, & innocentiae exemplo innocentes conserventur; corrupti vero ejus patrocinio, & penitentiae exemplo ad frugem revocentur.* 3. Sanctorum apophthegmata, ut S. Theresiae: *nihil quaero, nisi DEUM, nec quidquam volo, aut ago, nisi propter DEUM.*

XVI. Cum è ritibus, vel Cærimoniis Ecclesiae desumitur thema Concionis. Ut si feria IV. Cinerum diceres: *aspersus capiti Cinis duplicem excitat homini memoriam, primum, ut humiliter recordemur, unde orti sumus: dein ut humiliter cogitemus, quorsum revertemur. Memento*

mento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris, inquit Ecclesia.

XVII. Cum ex iconibus Sanctorum, quibus communiter præcipuæ eorum virtutes, aut facta illustriora exprimuntur, thema depromis: ut si ex imaginibus Sanctorum *Petri, & Pauli* Apostolorum, quorum ille cum clavibus; iste cum gladio pingi solet, diceres: *Petrum, & Paulum esse duos Ecclesiæ Principes, quoniam illi datæ sint claves Ecclesiæ; huic vero datus sit gladius (v) Ecclesiæ.* Vel si ex imagine Sancti *Joannis Nepomuceni* admoto ori digito silentium significantis laudares: *S. Joannem à silentio ob res in tribunali pœnitentiæ sancte custoditas; contra silentium hominum argueres ob res in tribunali pœnitentiæ sacrilege celatas.* Aut si ex icône Divi *Dominici* facem à cātulo gestatam in laudis argumentum ita verteres: *S. Dominicus fuit fax Ecclesiæ, quæ restaurata Verbi Divini prædicatione orbem terrarum ex ignorantie tenebris ad lumen veritatis; ex scelerum caligine ad lucem Sanctitatis revocavit.*

XVIII. Cum thema conformatum fuerit circumstantiis Templi, aut festi. Ita fecerat Orator ille, qui festo tituli templi Spiritui Sancto dicati assumpto textu: *templi*
DEI

v) Hic gladii nomine intellige Verbum DEI, de quo ad *Ephes 6. v. 17* dicitur: *galeam salutis sumpite, & gladium Spiritus, quod est Verbum DEI. Licet hoc creditum sit omnibus Apostolis, principe tamen loco commissum est Paulo, tanquam gentium omnium Apostolo.*

IARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. III.
§ III.

PARS I. *DEI estis vos, & Spiritus DEI habitat in vobis*, hoc thema pertractavit: homo justus est
 CAPUT I. *Templum inhabitantis Spiritus Sancti*, quod peccatis profanatur, poenitentia autem DEO reconciliatur. Alius in Templo Divinissimæ Trinitati consecrato B. Virginem immaculate conceptam inde assererat: *quia est filia Patris, quia Mater filii, quia Sponsa Spiritus Sancti, quia denique Templum est Sanctissimæ Trinitatis.*

XIX. Cum à certis Sanctorum actis, scriptis, libris &c. themata Orationis accipiuntur. Ut si Sanctum Ignatium à libello exercitiorum commendares. Vel inter pueros, cum esset Vir, Grammaticæ studentem, exhiberes. Aut denique S. Augustinum libris Confessionum, sua peccata toti mundi detegentem, proponeres, *indoctis in exemplum vere poenitentis*; libris autem retractationum errores suos revocantem dares, *doctis in exemplum veræ humilitatis.*

ARTICULUS III.

DE PARTITIONE SACRA.

Partitio est Orationis, vel potius *propositionis*, sive *thematis* certas in partes distributio. Hujus olim Sacros apud Oratores nullus, vel rarus (x) admodum usus erat, saltem

x) Hieronymus tamen laudat Paulinum (epist. inter selectas 59 ad Paulinum) ab operis sui partitione: Librum tuum, quem pro Theodosio Principe prudenter, ornateque compositum transmisisti, libenter legi, & pr-

saltem eo, quo nunc adhibetur, modo; at postquam temporum intervallo Ecclesiastica Eloquentia à *Gallis* præsertim, ac *Italis* (ut sæpius ante dixeram) diligentius ceperat perpoliri, ita invaluit, ut nulla jam Concio præclaræ dictionis nomen obtineat sine *partitione*. Hanc igitur in omni Oratione Sacra censeo esse adhibendam ob insignia præcipue illius commoda. Nam 1. *Ipsi Oratori* pulcherrimum parit *ordinem*, summam adfert *claritatem*, & quæ inde consequitur, *elegantiam*. 2. *Auditori* conciliat *docilitatem*, ut intelligat: quid, quæve ratione dicendum sit? levat *audiendi fastidium*; cum videat quantum sit exactum, quid supersit? Adjuvat *memoriam*, ut facile reminiscatur, quid primum fuerit, quid alterum? 3. *Oratori* miram præbet tam *construendæ*, quam è *memoria dicendæ* Orationi: *facilitatem*: figit *terminos*, ne ultra, citraque divagetur: servit ad *moderandam* singularum partium molem ad evitandas fastidiosas *iterationes*, utque omnia ad unum, eundemque *scopum* referantur. Hujus ergo Sacræ partitionis primum *notes*, postea *fontes*, demum *elegantiae modos* Tyronibus aperiam.

K

§ I.

cipue mihi in eo subdiviso placuit: cumque in primis partibus vincas alios, in penultimis te ipsum superas. - Felix Theodosius qui à tali Christi Oratore defenditur! Eadem *epistola vituperat Arnobium ob neglectam partitionem*: Arnobius inæqualis, & nimius est, & absque operis sui partitione confusus.

§ I.

Dotes Partitionis Sacræ.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. III.
§ I.

I. *Partitio sit plana, & naturalis*, id est: non contorta nec ad ingenii ostentationem potius, quam ad distinctionem argumenti aliunde longius accersita; sed sit obvia quasi, & simplex, rebus ipsis insita, & in causæ visceribus contenta. Dupliciter autem in iis contineri potest: 1. *Aperte*: cum propositio eadem fuerit cum divisione, quod multis familiare est Oratoribus, ut: *Viri Apostolici est multa pro DEO agere, multa pati*: primum agere, postea pati. 2. *Tacite*: ut *prospera fortuna inducit oblivionem 1. DEI. 2. proximi, 3. nostri ipsius. Homo nullam in se habet gloriandi materiam: non in dotibus naturæ, non in donis gratiæ, non in operibus suis.* Vide: singula harum partitionum membra quam sint plana, atque ex ipsis (ut dixeram) causæ visceribus eruta.

II. *Partitio sit plena, & adæquata*, hoc est: ita primarias, & principales argumenti partes complectatur, ut nec plus, nec minus dicat, quam propositio, quæ dividitur, aperte, aut tacite contineat, vel ad plenam illius explicationem deponatur. Dixi primum: *partes primarias, & principales complectatur*: nam si in membra minus generica, & universalia facta fuerit divisio, vix poterit sine adjumento extranei, & alieni argumenti thema debite pertractari; præsertim in Panegyricis Sanctorum. Quare partitio semper

per sit in membra principaliora, & generaliora, quæ uberem propriæ amplificationi locum præstent. Dixi 2. *Nec plus, nec minus dicat*; fecus partitio non esset propositionis suas in partes debita distributio.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. III.
§. I.

III. Partitio habeat *membra invicem opposita, aut relata, vel distincta*; ne unum altero includatur. Sic perperam divideret, qui *jejunium diceret utile, ac sanum*: nam utilitas sanitatem complecti videtur; nisi quapiam adjectione varietur ut: *jejunium est utile animæ, sanum corpori*. Similiter erraret, qui membra inter se disparata in partitionem adhiberet. Quare capita divisionis ita sint distincta, & diversa, ut tamen inter se semper sint connexa: id est, ab ejusdem argumenti subjecto, aut prædicato, vel utriusque affectionibus, totidem veluti de fontibus, promanent, & eo tanquam ad scopum reduci queant. Ut in hac partitione: *recte agendo neminem timueris: non DEUM, non Dæmonem, non hominem*; licet *DEUS, Dæmon, homo* personæ sint diversissimæ, inter se tamen in prædicato: *neminem timueris*, sunt convenientes.

IV. Partitio sit *clara, & brevis*. Quid enim absurdius esse potest, quam ea obscurare, quæ cæteroquin ad Orationis claritatem sunt inventa? solent quidem, Galli præcipue Oratores, majoris ornatus gratia partitionis argumentum aliis, atque aliis (clarioribus semper tamen) formulis quasi

PARS. I.
CAPUT. I.
ARTICUL. III.
§ 1.

per incrementum explicare, ultimum tamen redigunt ad verba, quam possunt maxime, perspicua, distincta, & paucissima, ut unusquisque, rudior etiam auditor, statim eam percipere queat. Sit exemplum ex Concione Dominicæ II. *Adventus Patris Bourdalove: Quod ut perficiam (inquit ille) infelicem eum esse assero, qui scandali causas aliis præbet, hoc primum. Bis-infelicem, qui scandali causas præbet, cum peculiaris ratio postulat, ut aliis lumen præferat ad virtutem, hoc alterum erit Concionis nostræ caput.* En quam perspicue, ac distincte. Si autem quæsieris: quot membris constare debeat partitio? ajo: duobus fere, aut tribus finiatur; ut sine fastidio auditorum intra horæ tempus, Oratoribus plerumque concedi solitum, commode pertractari queat.

V. Partitio sit *ordinata*, idest: ea membra reliquis præmittantur, quæ natura, vel ordine præcedunt, aut à quibus cætera fluent, vel inde facilius intelligi queunt. Aut si per incrementum struitur Oratio (quod elegantissimum est) primum firma, alterum firmiora, postremum firmissima locum occupent. Ut: *bona hujus mundi acquiruntur cum labore, possidentur cum sollicitudine, amittuntur cum dolore.* Denique partitio sit *fidelis*, hoc est: ut proposito ordini fideliter insistat, nullum membrum prætereat, vel commutet; minus, ut alia longe, quam receperit, decursu Orationis tractet.

§ II.

§. II.

Fontes Partitionis Sacræ.

PARS. I.
CAPUT. I.
ARTICUL. III.
§ II.

Quibus de fontibus petendæ sint partitiones Sacræ, complures jam ante indicavi; cum agerem de ratione Sacri thematici inveniendi, ac elevandi: ubi contra, ac loci ordo postulasset, inventis propositionibus suas continuo partitiones subjeci tyronum gratia; ut plurium exempla haberent, neve eadem iterum alibi repeti deberent. At quoniam plures adhuc supersint, hoc eos loco referam: primum *utrique Eloquentiæ communes*, postea *Sacræ proprios*.

Fontes Communes.

I. A visceribus causæ. Cum particio ducitur à subiecto, vel prædicato, vel ab utriusque affectionibus, quæ Orationis thema, sive propositionem, causæ nomine à veteribus compellatam, quasi viscera corpus, constituunt. Illustremus exemplis. I. *A divisione subiecti*: ut: Bonus Christianus præ cæteris est amandus; 1. *Quia est filius DEI.* 2. *Quia est membrum Christi.* 3. *Quia est templum Spiritus Sancti.* II. *A divisione prædicati.* Ut: religiosa obedientia est optima ad Cælum via; 1. *Quia est via securissima.* 2. *Via facillima.* 3. *Via brevissima.* III. *Ab affectionibus utriusque.* Ut: proximi sunt vero amore diligendi, idest: amore gratuito. 2. *Amore constanti.* 3. *Amore universali.* Item: *Superioribus præstanda est obedientia perfectæ*, idest: 1.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTIC. UL. III.
§ II.

cum perfecta operis executione. 2. Cum perfecta voluntatis submissione. 3. Cum perfecta iudicii conformatione. Hæc autem à Visceribus causæ partitio fit cum prædicatum, aut subjectum thematis, vel utriusque affectiones examinantur per locos Oratorios, ut per definitiones, præsertim conglobatas per partium enumerationem, causas, effecta, contraria, adjuncta y) &c. Unde fit

II. A Definitionibus præsertim conglobatis per affirmationem: ut Orator quidam *Claudiopoli* in publica supplicatione festo Inventionis Sanctæ Crucis adversus locustas instituta: locustæ sunt ira DEI, sunt flagellum DEI, sunt exercitus DEI. 1. *Ira DEI, quam sedat Crux Christi. 2. Flagellum DEI, quod avertit Crux Christi. 3. Exercitus DEI, quem vincit Crux Christi.* II. Per negationem simul, & affirmationem: reverenter agendum in Templis. 1. *Quia templum non est forum licentiæ. 2. Sed est Domus DEI.*

III. Ab enumeratione partium, cum Orator totum aliquod suas in partes distribuit. Hic fons latissime patet: potest enim distributio totius fieri vel in partes substantiales, aut integrales, vel morales, aut in specificas, vel speciei in individua, aut naturæ in proprietates, actionum in modos (z). Sit exemplum totius integralis in illud: *super ægros manus imponent, & bene habebunt:*
extre-

y) Vide hujus capituli Art. IV. § 1. z) Vide hujus libri Cap. 2. Art. 3. §. 1. num. 1.

extrema unctio prodest homini ægro, I. PARS I.
Ut bene habeat in corpore. 2. *Ut bene habeat* CAPUT. I.
in anima. Item Dominica IV. Adventus: ARTICUL. III.
Facite fructus dignos pœnitentiæ. I. *Fructus veræ*
contritionis. 2. *Fructus serii propositi.* 3. *Fru-*
ctus sinceræ confessionis. § II.

IV. A causis, & effectis, cum rei ali-
 cujus variæ causæ enumerantur: ut effici-
 ens, materialis, formalis, & finalis. v. g.
Homo DEO servire debet, quia 1. *Conditus est*
à DEO, tanquam à primo principio. 2. *Quia con-*
ditus est propter DEUM, tanquam ob finem ulti-
imum. Item: Homo non se humiliter admo-
 dum abjiciat; sed nec superbius efferat. 1.
Non abjiciat; quia conditus est ad imaginem DEI.
 2. *Non efferat; quia creatus est ex limo terræ.*
 Vel cum ejusdem causæ diversi effectus re-
 censentur: ut jejunium est salutare: nam
 1. *Mentem elevat.* 2. *Vitia comprimit.* 3. *Vir-*
tutem auget.

V. A Genere, & Specie. 1. *A Genere,*
 ut si Heroem Christianum laudares à triplici
 genere virtutis, prudentiæ, fortitudinis,
 ac religionis. 1. *Prudentiæ, ut Heroica agere*
possit. 2. *Fortitudinis, ut velit.* 3. *Religionis, ut*
re ipsa agat. Nam si careat Religione, nihil
 Heroe Christiano dignum aget sceleribus a-
 fuetus. Si prudentia, nihil poterit incon-
 sultus. Si fortitudine, nihil volet ad igna-
 viam comparatus. 2. *A Speciebus generi sub-*
jectis: ut si quempiam à duplici specie mi-
 sericordiæ commendares: *Spirituali* (ut a-
 junct)

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. III
§ II.

junt) & Corporali. Spirituali, dum ignorantes fidei rebus imbuit, in periculo constitutos à peccandi occasionibus abduxit, peccatores ad pœnitentiam revocavit. Corporali; dum esurientes pavit, peregrinos hospitio recepit, nudos cooperuit, captivos invisit, mortuos sepelivit.

VII. Ab Oppositis. I. *Ab adversis*: in verba: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam & unus ad sinistram in regno tuo.* I. *Amor ordinatus parentum facit, ut multi filiorum sedeant à dextris.* 2. *Amor inordinatus parentum efficit, ut multi filiorum stent à sinistris.* In Christi incarnatione summa est *DEI* humilitas; cum *DEUS* factus est homo: & summa hominis dignitas; cum homo factus est *DEUS*. 2. *A Privantibus*: frequens Eucharistiæ usus facit hominem mori cum Christo, & vivere in Christo. 3. *A Relatis*: mors res est solatii plena, quia I. *Finis est hujus vitæ miseriarum.* 2. *Est initium cœlestium deliciarum.* In tribunali pœnitentiæ tenetur: I. *Sacerdos, ut conscientie judex, pœnitentem tanquam reum interrogare:* 2. *Pœnitens, ut reus, tenetur Sacerdoti, tanquam conscientie judici, candide respondere.* 4. *A Negantibus*: *felicem esse hac in vita est summa infelicitas; infelicem autem esse est summa felicitas.* Item: multa, quæ in hoc mundo videntur esse bona, non sunt vera bona: & multa, quæ videntur non esse bona, sunt vere bona,

VIII. Ab Adjunctis, qui fons est partendi omnium locupletissimus. Sunt autem
adjun-

adjuncta alia personarum, alia actionis, sive rerum. Longum foret utrorumque exempla copiosiora adferre; sint tamen aliqua ab adjunctis personarum: si Divi *Aloysii* modestiam laudares *ab habitu corporis*, ut à modestia *oculorum*, à modestia *linguæ*, à modestia *actionum*. 2. *Ab animi natura*. Si *Dominica* *Quinquagesimæ* in sententiam Evangelicam: *Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans*, diceres: hominem luxuriosum esse *Cæcum* quemdam mendicum: *Cæcum intellectu*; nam animalis homo non percipit ea, quæ sunt *Spiritus DEI*: *mendicum voluntate*; uxorem duxi, & ideo non possum venire. 3. *Ab ætate, & sexu*. *S. Joannes Baptista* magnus in *infantia*, magnus in *adolescencia*, magnus in *ætate virili*. *Sancta Agnes* in subeundo fortiter martyrio fuit miraculum *sexus*, prodigium *ætatis*. 4. A virtutibus in verba *Pauli*: *Sobrie, juste, ac pie vivamus in hoc sæculo*, diceres: hominem Christianum debere esse sobrium, justum, ac pium. *Sobrium erga se: justum erga proximum: pium erga DEUM*. 5. *A muniis*: *Magnus Regis Minister in aula*, *magnus DEI minister in Ecclesia*. 6. *Ab officiis*. *Confessarius in tribunali pœnitentiæ* est *Judex*, est *Medicus*, est *Doctor*. 1. *Judex*, ut *reum pœnitentem judicet*. 2. *Est Medicus*, ut *ægrum pœnitentem sanet*. 3. *Est Doctor*, ut *rudem pœnitentem doceat*. 7. *A statu vitæ*: ut *Diva Elisabeth* fuit *Sancta Virgo*, *Sanctior Conjux*, *Sanctissima Vidua*. 8. *A Conditione*. Ut:

PARS I.

CAPUT. I.

ARTICUL. III.

§ II.

humilitas est virtus ignobilibus propria; nobilibus autem summe digna.

IX. Ab adjunctis rerum. Sit tibi thema pro Concione tractandum: *proximus est diligendus*, examina illud per circumstantias rerum: *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, invenies uberrimam partitionum materiam. 1. *Quis?* proximus: bonus, malus. Amicus, inimicus. Dives, pauper. Notus, ignotus. Agnatus, extraneus. Gentilis, Judæus, Christianus. Hæreticus, Catholicus. 2. *Quid?* diligendus: dilectione interna, externa. Optando bonum, avertendo malum. Æstimando, honorando, sublevando, defendendo. 3. *Ubi?* absens, præsens. Domi suæ, domi alienæ, domi tuæ. 4. *Cur?* propter DEUM; quia est creatura DEI, imago DEI, filius DEI. Quia natura dicitur, DEUS præcipit. &c. 5. *Quibus auxiliis?* consiliis juvando, eleemosynis succurrendo. Ægrum invivendo, nudum vestiendo, rudem instruendo. &c. 6. *Quomodo?* amore gratuito, constanti, universali. 7. *Quando?* semper, tam in prospera, quam in adversa fortuna. Hoc modo examinare poteris reliqua etiam tuarum Concionum themata; imo ipsas etiam Evangelicas Sententias, ut alibi dicemus.

X. Ab antecedentibus, & consequentibus. Ut: mors peccatorum pessima: 1. *Recordatione præteritorum*. 2. *Intuitu præsentium*. 3. *Metu futurorum*. Extremum iudicii diem terri-

terribilem reddent: 1. Res, quæ eam antecedent. 2. Res, quæ in ea accident. 3. Res, quæ eam consequentur. Vel à proprietatibus rerum: ut pænæ inferni multitudine sunt innumerabiles, atrocitate intolerabiles, diuturnitate æternæ. Denique à variis argumentis, sive locis communibus. Ut honesto, bono, malo, utili, noxio, jucundo, necessario, possibili, impossibili &c. Ut: Præcepta Divina 1. Sunt servatu possibile. 2. Nec ita, ut homines putant, difficilia. 3. Ad salutem consequendam necessaria.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. III.
§. II.

Fontes Proprii.

XI. A contextu, & rebus Evangelii in certa capita distributi. Ut si ex Evangelica filii prodigi parabola in argumentum Concionis acciperes: 1. Discessum è domo paterna. 2. Commorationem extra domum paternam. 3. Reditum in domum paternam. Vel Dominica I. Quadragesimæ explicares: 1. Modum, quo Dæmon Christum tentavit. 2. Modum quo Christus Dæmonem devicit. Aut Dominica II. post Epiphaniam diceres: religiosam votorum nuncupationem esse mysticas Canæ nuptias, in quibus vinum non habent exponeres denotare paupertatem. Erat ibi Mater JESU, significare castitatem. Quodcumque dixerit vobis, facite, indicare obedientiam.

XII. Ex verbis Sententiæ Evangelicæ partitionem aperte continentis. Ut Dominica XI. post Pentecosten: adducunt ei surdum, & mu-

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. III.
§ II.

*Et mutum, diceret: homo Christianus ad audien-
das alienæ famæ obtreccationes sit surdus, ad vul-
gandas autem sit mutus. Item Festo Penteco-
stes: ad eum veniemus, Et mansionem apud eum
faciemus: Spiritus Sanctus non venit, nisi ad
cor purum. 2. Non manet, nisi in corde puro.
Vel Dominica XIX. post Pentecosten: mul-
ti vocati, pauci vero electi. 1. Multi vocati spem
facit, ut quantuscunque sis peccator, de sa-
lute non desperes. 2. Pauci electi timorem
incutit, ut quantuscunque sis Sanctus, de
salute non præfidas.*

XIII. Ex verbis Sententiæ Evangelicæ
partitionem occulte complectentis. Ita Lu-
dovicus Bourdaloue festo omnium Sanctorum
ex textu Evangelico: *ecce enim merces vestra
copiosa est in cælis*, triplicem de cœlesti mer-
cede eruit partitionem: 1. Ex verbis: *ecce
merces*, ait Sanctorum mercedem esse para-
tam, Et certam. 2. Ex verbis: *est copiosa*, San-
ctorum mercedem esse amplam. 3. Ex verbis
est in Cælis Sanctorum mercedem esse æternam.

XIV. A personis in Sententia Evange-
lica memoratis. Sic Dominica II. post Epi-
phaniam in textu Evangelico: *Nuptiæ facta
sunt in Cana Galilææ erat Mater JESU ibi; vo-
catus est autem Et JESUS, Et Discipuli ejus ad
nuptias*, personæ sunt: Maria, JESUS, Di-
scipuli. A quibus ita duci partitio potest:
ad nuptias feliciter ineundas vocanda est
Maria, JESUS, & Discipuli. 1. *Maria in pa-
troci-*

trocinium. 2. JESUS in auxilium. 3. Discipuli, idest sancti, & graves Viri in consilium.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. III.
§ II.

XV. Ex verbis Sententiæ Evangelicæ per adjuncta rerum, *quis, quid, ubi, cur* &c. examinatis. Ut si Dominica XII. post Pentecosten de Christiana dilectione dicturus verba Evangelica: *& proximum tuum sicut te ipsum*, discuteret per circumstantias. 1. Quid? *diliges. En! actum dilectionis.* 2. Quem? *proximum. En! objectum dilectionis.* 3. Quomodo? *sicut te ipsum. En! modum dilectionis.* Item: *Pater noster, qui es in cælis.* 1. *Cur dicitur Pater; non autem DEUS? Cur dicitur noster; non autem meus?* 3. *Cur dicitur in Cælis, non autem, qui es ubique?*

XVI. A diverso sensu, quem assumpta Evangelii, aut Scripturæ sententia habere potest, ut literali, morali, allegorico, anagogico. Ut si Dominica Quinquagesimæ in verba: *Domine, ut videam*, diceret de triplici cæcitate: 1. In sensu morali *de cæcitate peccatorum in rebus gratiæ.* 2. In sensu allegorico *de cæcitate Hæreticorum in rebus fidei.* 3. In sensu anagogico *de Cæcitate Damnatorum in inferno.* At modus hic (ut recte observat (z) Neumayrus) licet Oratori sit facilis, auditori jucundus, animabus non inutilis; illud tamen incommodi habet, quod persæpe vagus sit, nec scopo uni intentus. Plura hujus fontis exempla reperies apud *Fabrum.*

XVII.

a) *In Viro Apost. p. 3. C. 1. Art. 1. §. 4.*

PARS I.

CAPUT. I.

ARTICUL. III.

§ II.

XVII. Ab uno ex prædictis sensibus; sed multiplici, id est: cum Sententiam Evangelicam explicares secundum unum equidem, ut literalem, aut moralem, vel allegoricum, sed multiplicem sensum ad diversa morum, vel fidei capita spectantem, quem ei Sancti Ecclesiæ Patres, vel Scripturæ interpretes attribuunt. Ut si festo Visitantis Virginis: *exurgens Maria abiit in montana cum festinatione*, in sensu literali triplicem redderes causam, cur Virgo Sanctissima Divam *Elisabeth* invisum ierit: 1. Ex mente Venerabilis *Bedæ*, ut de Concepto filio *Elisabethæ* gratularetur. 2. Ex mente *Origenis*, ut conceptus filius adhuc in utero sanctificaretur. 3. Ex mente *Cornelii à Lapide*; ut gravida seni auxiliaretur.

XVIII. A lectionibus variantibus, cum Sententia Evangelica, vel alius Scripturæ quicumque locus in diversis Bibliorum codicibus, ut Hebraicis, Syriacis, Chaldaicis, Græcis, Latinis &c. varie legitur, atque è singulorum sensu partitio ducitur. Ut si illud Sapientiæ Cap. 4. v. 13. *Consummatus in brevi explevit tempora multa*, secundum quadruplicem variantem lectionem attribueres Divo *Aloyfio*: alii enim legunt consecratus, alii immolatus, alii gloria, & honore coronatus, tu diceres Sanctum: *Aloysium factò in pueritia Castitatis voto DEO esse consecratum. 2. Inita in Societate vita religiosa DEO immolatum. 3. Studio religiosæ perfectionis consummatum. 4. Obiit morte Sanctissima Gloria, & honore coronatum.*

XIX.

XIX. A proprietatibus, vel attributis Sacrae allegoriae; sed ejusmodi, quas vel ipsa Scriptura, aut Sancti Ecclesiae Patres, vel saltem Scripturae interpretes recensent. Ut si Dominica II. post Pascha: *ego sum pastor bonus*, Christum verum fuisse pastorem probares à proprietatibus bono pastori attributis. 1. *Quia oves suas sollicite pavit.* 2. *Errantes reduxit.* 3. *Animam pro ovibus suis posuit.* Idem observandum in comparationibus Biblicis v. g. miserorum cum *Lazaro*, divitum cum *Epulone*, superborum cum *Nabuchodonozore*, vel Sanctorum cum *Mojse*, *Josue*, *Gedeone*, vel in alio quocunque Scripturae exemplo, aut loco (quem Itali *passum Scripturificum* vocant) pertractando, ut ab eorum attributis in Scriptura memoratis ducatur partitio, eaque dextere, ac diligenter rei comparatae accomodetur.

XX. Denique partitio formari potest ex dictis Sanctorum Patrum, ex verbis Divini Officii, ex Ecclesiae ritibus, &c. quorum exempla jam aliqua priore Articulo dedimus; sint tamen aliqua ex Sanctis Patribus. Ut: 1. Ex Hieronymo *Præpositum timeas ut Dominum, diligas ut Parentem.* 2. Ex S. Augustino in Psal. 51. *Non est magnum inchoare, quod bonum est; sed consummare hoc solum perfectum est.* 3. Ex S. Gregorio hom. 3. in Evang. *Amor non est otiosus: operatur enim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est.*
&c.

PARS I.
CAPUT I.
ARTICUL. III.
§ II.

PARS I.
CAPUT. 1.
ARTICUL. III.
§ III.

&c. Reliquorum exempla, cum prius attulerim, brevitatis causa prætereo.

§ III.

Elegantiae Sacrarum Partitionum.

MOdi, qui Sacris partitionibus elegantiam conciliant, multi sunt iidem cum fontibus elevandi Sacrum thema jam ante relatis. Ne igitur eadem hic repetere cogar, solum adferam modos nondum illic memoratos. Pleræque autem hæ partitionum elegantiae sumuntur ex figuris Rhetoricis, de quibus uberior alibi dicendi campus erit; ne tamen tyroni deesse videar, en aliqua earum exempla!

I. A *Repetitione*: cum partitionum membra ab iisdem verbis incipiunt. Ut Festo novi anni: *cum consummati sunt dies octo*, diligens habenda est temporis cura: nam 1. *Tempus est pretiosum.* 2. *Tempus est breve, ac modicum.* 3. *Tempus est irrevocabile.*

II. A *Conversione*: cum membra partitionum eodem verbo terminantur. Ut Dominica VI. post Epiphaniam, *Minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor*: peccata venialia frequenter commissa: 1. *Dispennunt DEUM ad permittendum mortale.* 2. *Hominem ad committendum mortale.*

III. A *Complexione*: cum membra partitionum ab iisdem verbis incipiunt, ac eodem desinunt. Ut Dominica IX. post Pentecosten:

sten: *Et ingressus in templum cœpit eicere vendentes in illo, & ementes. Reverenter agendum in templo: 1. Quia templum est locus præsentia DEI. 2. Est locus gloria DEI. 3. Est locus misericordia DEI.*

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. III.
§ III.

IV. A *Conduplicazione*: cum idem verbum repetitur vel initio, vel in medio, vel in fine. Ut Festo OO.SS. *Omnes possumus esse Sancti; imo Sancti esse tenemur.*

V. A *Traductione*: cum variatis casibus, generibus, modis, temporibus vox eadem repetitur. Ut Diebus Rogationum: *Petite, & dabitur vobis. Multa petentes sæpe nihil accipimus. 1. Quia malo in statu petimus. 2. Res malas petimus. 3. Male petimus.*

VI. A *Gradatione*: cum ad consequens verbum non ante descenditur, quam præcedens repetatur. Ut Dominica X. post Pentecosten: *Non sum, sicut ceteri hominum vel Festo Magdalena: Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis esset mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est: Nemo, quantuscunque sit peccator, est contemnendus. 1. Quia forsitan nos etiam tales sumus. 2. Si non sumus, forsitan fuimus. 3. Si non fuimus, saltem esse possumus. Item Dominica IV. post Pascha: Si enim non abiero, paraclytus non veniet ad vos: ut Spiritus Sanctus sit animæ nostræ paraclytus 1. Non debemus eum peccatis nostris contristare. 2. Si contristavimus, debemus eum pœnitentia nostra consolari.*

PARS I.

CAPUT. I.

ARTICUL. III.

§ III.

VII. *Ab Incremento* : cum in membris partitionum semper aliquid majus, vel minus sequitur. Ut Dominica XXII. post Pentecosten : *Magister scimus, quia verax es.* Mendacium est vitium : 1. Indignum homine. 2. Indignius Christiano. 3. Indignissimum Sacerdote.

VIII. *Ab Adjunctione* : cum plura partitionis membra unicum verbum habent, quod tamen singula exigent, si seorsim ponerentur. Ut Festo Conversionis S. Pauli : *Conversio Sancti Pauli* 1. *Fuit prompta.* 2. *Generosa.* 3. *Efficax.*

IX. *A Disjunctione* : cum singulis partitionum membris peculiare verbum additur; cum tamen uno includi possent. Ut Dominica XVII. post Pentecosten : *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Inordinatus sui amor 1. *Æquitatem corrumpit.* 2. *Proximi charitatem extingvit.* 3. *Religionem profanat.*

X. *A Similiter desinentibus* : cum membra partitionum desinent in verba, nomina, vel adverbia similem exitum ultimarum syllabarum habentia. Ut Dominica III. post Pentecosten : *Gaudium erit coram Angelis DEI super uno peccatore penitentiam agente.* Pœnitentia magnam Angelis parit lætitiā; quia per illam 1. *Angelorum clientes ab æterno exitio vindicantur.* 2. *Vacuae Angelorum sedes reparantur.*

XI. *A Commutatione* : cum partitionis membra inter se discrepantia ita proferuntur,

tur, ut posterius priori contrarium ex hoc ipso nascatur. Ut Festo Exaltationis: *Cum exaltatus fuero omnia traham ad me ipsum. Crux Christum, & Christus Crucem exaltavit.* Item Dominica XXIII. post Pentecosten: *Domine, filia mea modo defuncta est.* Homo Christianus
 1. *Ita vivat, ut semper mori queat.* 2. *Ita moriatur, ut in Cælo æternum vivat.*

PARS I.
 CAPUT I.
 ARTICULUS III.
 § III.

XII. Ab *Antithetis*, idque duplici ratione. 1. Cum in singulis partitionum membris reperitur oppositio. Ut: *Sapientia hujus mundi est stultitia, divitiæ paupertas, honor ignominia.* Item S. Benedictus conjunxit 1. *Solitudinem cum societate.* 2. *Paupertatem cum divitiis.* 3. *Humilitatem cum honoribus.* Aut Dominica XIV. post Pentecosten: *Nemo potest duobus Dominis servire: Duo Domini sunt DEUS, & mundus.* 1. *DEO servire est gloriosum; mundo autem turpe.* 2. *DEO servire est jucundum; mundo autem triste.* 3. *DEO servire est utile; mundo autem exitiosum.* 2. Cum membra membris opponuntur, vel in subjecto, ut: Festo S. Matthiæ Apostoli: *Cecidit fors super Matthiam.* Triplicis generis fors versatur hodie. 1. *Sors optima Matthiæ.* 2. *Sors pessima Judæ.* 3. *Sors dubia nostri.* Vel in prædicato, ut Maria Magdalena fuit: 1. *Magna peccatrix.* 2. *Magna Sancta.* Vel in affectionibus: ut Dominica III. post Epiphaniam: *Ecce leprosus.* Peccatum luxuriæ est lepra, quæ
 1. *Facillime contrahitur.* 2. *Difficillime curatur.* 3. *Nusquam plene instauratur.* Vel denique

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. III.
§ III.

oppositione utriusque tam prædicati quam
subjecti. Ut: remorsum conscientiæ 1. *Gratia
DEI excitat.* 2. *Hominis malitia suppressit.*

XIII. A *Paronomasia*: cum membra partitionis constant verbis paulum immutatis, aut deflexis. Quod pluribus modis fit. 1. Adjectione literarum, vel syllabarum, ut: actum est de salute adolescentis, quem 1. *Non terrent verba.* 2. *Nec ipsa verbera.* II. Detractione. Ut: *voluptates mundi sunt corruptæ; Cæli autem sunt incorruptæ.* III. Immutatione syllabarum ab uno composito in aliud trans-eundo; ut: *mors est egressus ex hac vita.* 2. *Ingressus in alteram vitam.* Denique fit transpositione literarum; sed quemadmodum hujus figuræ rarior usus est apud graves Oratores; ita in Sacris partitionibus vix, aut nunquam adhiberi debet.

XIV. A *Distributione*: cum totum ali-quod suas in partes distribuitur; at singulis sua ratio subjungitur. Ut: peccatum libidinis speciali injuria afficit tres Divinas personas. 1. *Patrem; quia homo est imago DEI.* 2. *Filium; quia est membrum Christi.* 3. *Spiritum Sanctum; quia est Templum Spiritus Divini.*

XV. A *Compensatione*: cum aliquid as-ferimus; at mox aliud æque firmum oppo-nimus. Ut: *nihil anima in nobis est pretiosius; nec tamen ejus pretium æstimamus.* 2. *Nihil anima deberet in nobis esse charius; nec tamen ejus salutem curamus.*

XVI.

PARS I.

CAPUT. I.

ARTICUL. III.

§. III.

XVI. A *Subjectione*: cum singulis partitionum membris aliquid subjicimus. Ut Dominica VI. post Epiphaniam: *Erat JESUS ejiciens demonium*. Dæmoniacus est figura peccatoris, quem Dæmon facit: 1. *Surdum, ut non audiat*. 2. *Facit Cæcum, ne videat*. 3. *Facit mutum, ne loquatur*. Redditur hæc subiectio elegantior si membris partitionum ipsa Scripturæ verba, unde sumpta est partitio, adjiciantur. Ut: Dominica III. post Epiphaniam. Triplex via cum Centurione accedendi ad JESUM. 1. Est Oratio. *Accessit ad eum centurio rogans eum*. 2. Humilitas. *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*. 3. Fides. *Sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus*. Vel si verba Scripturæ præmittantur singulis partitionum membris. Ut si Festo Divi Stephani Proto Martyris sumeres explicanda hæc Evangelii verba: *Jerusalem! Jerusalem! quæ occidis Prophetas, - - quoties volui congregare filios tuos - - & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. 1. *Quoties volui*. En numerum gratiarum. 2. *Et noluisti*. En contemptum gratiarum. 3. *Ecce relinquetur domus vestra*. En pœnam impiorum.

XVII. Conciliatur elegantia partitionis *Interpretatione*; cum singula partitionum membra explicamus. Ut Dominica VI. post Epiphaniam: *Tentantes signum de Cælo quærebant ab eo*. Fides nostra 1. *Sit simplex, idest, sine curiositate*. 2. *Sit firma, idest, sine dubitatione*. 3. *Sit integra, idest, sine exceptione*.

PARS I.

CAPUT I.

ARTICULUS III.

§ III.

XVIII. Item *Entbymemate* : cum quodlibet partitionis membrum constat enthy-memate. Ut: *mors est certa: igitur ad eam nos præparemus. 2. Est propinqua: ne igitur præparationem differamus.*

XIX. Cum partitionis membra complectuntur *affirmationem* unius cum *negatione* alterius. Ut: *pœnitentia peccatoris ad exemplum Magdalenæ 1. Sit prompta, sine ulla temporis dilatione. 2. Sit generosa, sine ullo sacrilego pudore. 3. Sit constans, sine relapsu.*

XX. Denique elegantior fit *partitio*, cum *substantivis adjectiva*, vel *adjectivis substantiva* adduntur. Ut: *ignis inferni 1. Est duratione æternus. 2. Acerbitate immensus. 3. Pœnarum varietate infinitus.* Item: est prudens in regimine, patiens in adversitate, moderatus in prosperitate. Vel etiam cum tam *adjectivis*, quam *substantivis* verba adiunguntur. v.g. *Prælati sit prudens, ut rite regat. 2. Sit probus, ut vitæ exemplo præcat. 3. Sit zelosus, ut disciplinam urgeat.*

ARTICULUS IV.

DE SUBDIVISIONE SACRA.

Subdivisio est ipsius Divisionis suas in partes nova iterum distributio. Sit hæc *partitio*: Divinus Judex ingentem peccatoribus pariet formidinem. 1. *Ob suam potentiam. 2. Ob suam scientiam. 3. Ob suam justitiam.* Subdivisio I. partis est: quia peccator DEI Judicis potentiam 1. *Non potest effugere. 2. Nec*

ab

ab ea se eximere. 3. Nec inde appellare. Subdivisio II. partis est: quia peccator DEI scientiam nequit fallere, 1. Nec scelus reticendo. 2. Nec illud negando. 3. Nec excusando. Subdivisio III. partis est: quia Divina Justitia 1. Nec metu terretur. 2. Nec precibus, aut miseratione flectitur. 3. Nec spebus, aut muneribus corrumpitur. Hæc subdividendi ratio familiarissima est hodiernis, Gallis præsertim, ac Italis Oratoribus. Ne quid ergo mea in Eloquentia præteream, adferam primum illius leges; postea fontes, & aliqua paradigmata proponam.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. IV.
§ I.

§ I.

Leges Subdivisionis Sacræ.

SUnt, qui subdividendi methodum Sacris in Orationibus multum improbant, ob magnam illius inveniendæ, à Tyronibus præsertim, difficultatem: ob ingentem inde Orationis prolixitatem: & ob nimiam plerumque Subdivisionibus affectari solitam artificii curam, exortumque Sacræ dictionis ab ea langvorem. Ast alii ob eximiam, quam Concioni non secus, ac partitio conciliat, perspicuitatem, ordinem, elegantiam, componendi facilitatem, memoriæ adjumentum, ac cætera ob ejus commoda miris eam laudibus commendant. Mihi vero cum Amadæo (a) ad varietatem artificii, ac vitandum formæ æquabilis fastidium, non semper videtur usurpanda, cer-

L 4

tisque

a) *Eloq. Christ. C. 4. Art. 4.*

PARS I
CAPUT. I.
ARTICUL. IV.
§. I.

tisque legibus, totidem quasi cancellis, constringenda. Unde

I. *Subdivisio* (ut ante monueram) non adhibeatur in *Concionibus vulgaribus*, ac *brevibus*, in genere præsertim *Morali*, nisi argumenti natura, & ordo ultro eam offerant, vel thematis intelligendi difficultas, ac sublimitas rudiori Auditori clarius, ac ordinatus exponenda requirat, vel illius dilatandi, & amplificandi ratio deprecatur. In *Panegyricis* autem, ubi plerumque ornatius, ac copiosius dicere solemus, vel si doctiorem ad Auditorem, aut typis danda foret concio, tum *Subdivisio* non usurpari solum potest; sed debet.

II. Ne Oratio *subdivisionibus* prolixior evadat, curandum, 1. Ut ejus capita sint quam paucissima. 2. Non fusius, quam alia quæcunque argumenta, pertractentur. 3. Ut principali partitione, unde *subdivisiones* nasci solent, una, alterave periodo breviter expedita, confestim ad has, cujuslibet partis initio exponendas, transeat. Dixi *cujuslibet partis initio*: nec enim illæ continuo ipsi divisioni adjungi debent; sed factò singulas in partes ingressu, sua singulis partibus suppartitio subjiciatur.

III. Ne *subdivisionibus* aberretur à proposito, sint propriæ ipsi argumento, idest, ex natura, & visceribus ipsius *principalis partitionis* erutæ, totidem quasi primæ rationes, ac probationes, sub forma divisionis prolatae.

tæ. Dixi: *primæ rationes*, quæ alias inferiores contineant. Non igitur ad artis regulas exactæ forent hæ subdivisiones: 1. *Hoc verus, hoc novum Testamentum docet.* 2. *Hoc Græcorum, hoc Latinorum testimonia Patrum probant.* 3. *Hoc Scripturæ autoritas, hoc exemplum, hoc ratio suadet &c.* ista enim, hisve similia, haud ita *subdivisionum* sunt capita, quam earum probationes, sive argumentorum loca.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. IV.
§ I.

IV. *Subdivisionibus* non langvebit Oratio, si earum celetur artificium. Non ergo frigide, ac jejune, Didacticum in morem, proponi debent; sed elegantibus, iisque occultis transitionibus sunt vestiendæ, figuris Rhetoricis, & affectibus inspergendæ, cæterisve Orationum ornamentis, non secus, ac alia argumenta, exornandæ.

V. *Subdivisiones* sint breves, & elegantes. Si commodum potest plerumque nominibus *substantivis*, aut *adjectivis*, vel *adverbis*, verbis *activis*, vel *passivis* definiendæ, eo fere, quo de partitionum elegantia diximus, modo. v. g. *Oratio nostra sæpe non est efficax.* Partitio: 1. *Quia sæpe res alias, quam oporteat, petimus.* 2. *Non eo, quo oportet, modo petimus.* Subdivisio I. partis: *quia* 1. *Petimus res inutiles.* 2. *Vanas.* 3. *Noxias, vel saltem non opportunas.* Subdivisio II. partis: *quia* 1. *Petimus sine debita animi attentione.* 2. *Sine submissione.* 3. *Sine fiducia.* 4. *Non cum perseverantia.*

PARS I.

CAPUT. I.

ARTICUL. IV.

§ II.

§. II.

*Fontes, & Paradigmata Sacrarum
Subdivisionum.*

Fontes *subdivisionum* iidem sunt, qui *partitionum*. Unde diligenter mentem advertat Tyro ad allatos jam ante inveniendæ partitionis modos. Petuntur tamen *subdivisiones* potissimum ex *visceribus causæ*, idest ex ipsius principalis *divisionis subjecto*, *prædicato*, & horum *affectionibus* varie *definitis*, aut suas in partes *specificas*, vel *integrantes*, aut *substantiales*, vel *morales* distributis. Item: si eorum *causæ*, *effecta*, *proprietates* enumerentur. Vel per *adjuncta* rerum *quis*, *quid*, *ubi* &c. examinentur. Vel denique varia *intrinsicæ* eorum *argumenta* adferantur. Res clarior red-detur *paradigmatis*.

I. *Paradigma*. A *Subdivisione subjecti* per *definitiones* varias. *Divisio*: *Mors justorum pretiosa*; *peccatorum pessima*. *Subdivisio I. partis*: quia 1. *Mors justorum est finis omnium, quibus premuntur, hujus vitæ miseriarum*. 2. *Est initium Cælestium, quibus æternum perfruentur, deliciarum*. *Subdivisio II. partis*: quia 1. *Mors peccatorum est finis omnium, quibus indulgent, hujus mundi voluptatum*. 2. *Est initium æternarum, quas patientur, alterius vitæ calamitatum*.

II. *Paradigma*. A *Subdivisione prædicati* rursus per varias *definitiones*. *Divisio*: *Luxus vestium est cultus mulieri Christianæ probrosus, ac perniciosus*. *Subdivisio I. partis*: *pro-*
brofus,

PARS I.

CAPUT. I.

ARTICUL. IV.

§ II.

brofus, quia 1. *Est argumentum turpis externæ vanitatis.* 2. *Est signum internæ improbitatis.* Subdivisio II. partis: *est perniciosus, quia* 1. *Est fons multorum scandalorum.* 2. *Excidium familiarum.* 3. *Pestis Rerumpublicarum.*

III. *Paradigma.* Per distributionem generis in suas species. Divisio: *S. Ignatius per se, ac institutam ab se Societatem multa DEO templa exstruxit; Diaboli vero destruxit.* Subdivisio I. partis: 1. *Exstruxit manufacta, ut: Domos Orationis, Exercitiorum, Sodalitatum, Seminariorum, Scholarum, Claustrorum, Nosocomiorum, Orphanotrophiorum &c.* 2. *Non manufacta, ut: rudes fidei doctrina imbuendo, juventutem pietate, ac literis informando, ægris, captivis providendo, Christianam perfectionem Sacra per Exercitia longius provehendo &c.* Subdivisio II. partis: 1. *Destruxit manufacta, ut Idola, fana, Sectariorum templa, Scholas &c. evertendo.* 2. *Non manufacta, ut Gentiles Christianam ad Religionem adducendo, Hæreticos ad fidem reducendo, sceleratos ad frugem revocando.*

IV. *Paradigma.* Per enumerationem effectuum, ac distributionem totius in partes integrantes, ac substantiales. Divisio I. partis: *quia* 1. *Sanguinem corrumpit.* 2. *Oculorum aciem obtundit.* 3. *Vires enervat.* Subdivisio II. partis: *quia* 1. *Intellectum excæcat.* Animalis homo (b) non percipit ea, quæ sunt Spiritus

b) 1. *ad Cor. 2. v. 14.*

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. IV.
§. II.

tus DEI. 2. *Memoriam pervertit.* Exarserunt (c) in concupiscentiam ejus (*Susannæ*) & everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. 3. *Voluntatem obdurat.* Uxorem (d) duxi, & ideo non possum venire.

V. *Paradigma.* Per enumerationem proprietatum. Divisio: *Mundi bona non sunt vera bona; Cœli bona sunt vera bona.* Subdivisio I. partis: quia 1. *Sunt vana.* 2. *Sunt afflictionum plena.* 3. *Sunt caduca.* Subdivisio II. partis: quia 1. *Sunt solida.* 2. *Sunt gaudii plena.* 3. *Sunt æterna.*

VI. *Paradigma.* A causis, & adjunctis rerum. Divisio: *Mors est certa, & incerta.* Subdivisio I. partis à causis: *Est certa; quia* 1. *Deus eam decrevit.* 2. *Humani corporis machina dissolvi petit.* Subdivisio II. partis ab adjunctis: *Est incerta* 1. *Incertitudine temporis.* 2. *Incertitudine loci.* 3. *Incertitudine modi.* 4. *Incertitudine Status animæ.*

C A P U T II.

DE INVENTIONE ARGUMENTORUM EX
LOCIS ORATORIIS.

Argumenta sunt rationes illæ, quibus assumptum Orationis thema, vel singula inventæ partitionis membra confirmantur. Sumuntur ea potissimum ex locis Oratoriis, quos Cicero *argumentorum sedes* appellat.

c) *Dan. 13. v. 8.* d) *Luc. 14. v. 20.*

appellat, quod ex iis, velut è Scriniis, & forulis, latentia illic argumenta eruantur. Alii sunt intrinseci, extrinseci alii. Illi complectuntur argumenta ipsi, de qua dicimus, rei insita. Ut: *Definitio, Nominis Notatio, Conjugata, Partium enumeratio, Genus, Forma, Similitudo, Dissimilitudo, Opposita, Adjuncta, Antecedentia, Consequentia, Causæ, Effecta, Comparatio.* Extrinseci sunt; qui non ex ipsa rei natura; sed aliunde foris assumuntur. Ut: *Præjudicium, Fama, Tabulæ, Jusjurandum, Tormenta, Testes.* At hæc Generi Judiciali propria, nullum in Eloquentia Sacra pretium habent; sed iis *loci Concionatorii*, sequenti Capite explicandi, sufficiuntur. Sacram igitur Orationem adornaturus Tyro, invento themate, ac partitione, diligenter dispiciat omnes locos, tam Concionatorios, quam Oratorios, quæ nempe sit probandi thematis natura? quæ partes? cui similis? cui opposita? quæ ejus causæ? effecta? adjuncta? comparatio? denique exempla? ut opportunis susceptam Concionis materiam argumentis probare queat. Si locus unus nihil commodi suggerat, eo præterito in alium transeat; in diverso enim themate unus altero fertilior est, & ad rem accomodatior. Id autem præstabit, si locorum naturam rite ante perspectam habuerit.

ARTI.

ARTICULUS I.

LOCUS A DEFINITIONE.

§. I.

Præcepta hujus Loci.

I. *Natura Loci.* Definitio universe est Oratio explicans naturam rei, quid ea sit. Unde argumentum à Loco Definitionis est ejusmodi ratio, quæ ex ipsa thematis natura depromitur. Alia est *Logica*, alia *Oratoria*. Illa est: quæ rem stricte, ac presse per genus proximum, & ultimam differentiam, Logico-
rum more, breviter definit. Ut Ambrosii: *Gloria est clara cum laude notitia*. Si vero rem liberius, ac diffusius verbis amplioribus, ac etiam translatis prosequatur, dicitur *Oratoria*; quoniam Sacris æque, ac Profanis Oratoribus perquam est usitata, qua res describitur verius, quam definitur: unde *descriptio*, vel etiam *descriptiva definitio* appellatur. Ut illa Jobi (e): *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere tecum in judicium?* Hæc Oratoria definitio dupliciter usurpatur: 1. Per affirmationem. 2. Per negationum simul, & affirmationem. En modos utriusque.

II. *Modi per Affirmationem.* Definitio per affirmationem fit, cum rem describimus afirmando ea, quæ illi conveniunt: quod per omnes locos Oratorios institues. 1. Per

Nota-

c) Jobi 14. v. 1. 2. 3.

Notationem. Si humilitas ab humo originem trahit, si homo est humus, & ab humo dictus est homo, quæ, oro, virtus cognata homini magis esse potest humilitate? 2. Per enumerationem partium. Ut illa Ambrosii (f). Quid nobilius Dei Matre? - - Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente - - Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed prece pauperis spem reponens. 3. A simili. Ut Bernardus (g). Hypocritæ oves sunt habitu, astu vulpes, actu, & crudelitate lupi; hi sunt, qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Item S. Chrysologus (h). Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea Sanctitatis. 4. A causis. Ut efficiente, materiali, formali, & finali. v. g. Bene sapienterque dixit Apostolus (i): avaritia idolorum servitus. Quid enim sunt nummi, quam totidem idola, ac Dii? quos (Causa efficiens) hominum cupiditas ex auro (Materialis) aut argento, vel ære, non secus, ac Deorum simulacra, fabricavit: Regum, ac Imperatorum (Formalis) ceu quorundam terrestrium Numinum, imaginibus insignivit: in arcibus, ac scriniis (Finalis) tanquam in templis, summa veneratione collocavit: quibus toties thura incendimus, quoties vitam, conscientiam, ipsam animam præpostere immolamus. 5. Ab effectis, quod dupliciter fit. I. Per verba. Amicitia est, qua absentes adsunt, egentes abundant,

imbe-

f) L. de Virg. g) Serm. 66. in Cant. h) Serm. 7. i) Ad Ephes. 5. v. 5.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§ 1.

imbecilles valent, & quod difficilius dictu est, mortui vivunt. Per substantiva ex verbis facta, sive ea fuerint propria, sive metaphorica. Ut: *amicitia est absentium presentia, egentium abundantia, imbecillium firmitas, vita mortuorum* Huc etiam attinet, quod de Hypocrisi attulimus. 6. Hic definiendi modus institui potest per alios etiam locos, ut per Proprietates, Adjuncta, Opposita. Item Genus, & Formam: non stricte, ut apud *Dialecticos*; sed latius accepta. Exempla dabuntur suis locis.

III. *Modi per Negationem.* Per negationem instituitur Definitio, cum rem describimus primum per remotionem ejus, quod non est: ac postea subjungimus id, quod est. Est hic facillimus, & pulcherrimus, ac Ciceroni perquam usitatus definiendi modus; qui tam ad docendum, quam delectandum, ac etiam amplificandum plurimum deservit. Fit autem pariter per omnes locos Oratorios. Ut per *Notationem*: si primum exponatur, unde nomen non oritur, postea unde oritur. Per *Enumerationem partium*: enumerando primum partes, quæ rem non constituunt; dein, quæ constituunt. Per *Causas, Effecta, Genus, Formam*: adferendo primum, quæ non sunt; postea, quæ sunt. Sic de cæteris. Ratione autem ornatus, quo hæc definiendi ratio expolitur ab Oratoribus, triplex illius forma esse solet. I. Per *Contentionem Ironicam*: cum ex mente Adversariorum per

per figuram *Interrogationis* primum adducimus ea, quæ non sunt, dein exclamamus *Ironice*, demum per figuram *Conduplicacionis* veram promimus definitionem, sive id, quod res est. 2. Per *confutationem*, cum ea, in quibus res non consistit, refutamur per figuram *Subjectionis*. 3. Cum simpliciter sine confutatione, & contentione *Ironica* per *Definitiones conglobatas*, tam ea, quæ non sunt, quam quæ sunt, prosequimur. Dicuntur autem idcirco conglobatæ, quoniam per incisa in unum quasi cumulum congeruntur ad aliquid augendum, exaggerandum, urgendum, amplificandum &c. Clarius hæc omnia patebunt exemplis.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§ II.

§ II.

Paradigmata hujus loci. (k)

I. *Paradigma*. Definitio per affirmacionem à proprietatibus. *Thema*: Inferni carcer est locus horribilis. *Argumentum*: quia est locus miseræ, & tenebrarum, stagnum sulphuris, caminus ignis &c.

EXERCITATIO.

Si tam nefaria animos vestros peccandi libido etiam nunc tenet, ut data eligendi optione multum vestrum atroces inferni pœnas subire potius, quam ab inveterata scelerum consuetudine absisteretis.

M

re

k) Hæc, aliave, operis decursu adferenda, paradigmata, exercitationes, exempla plerumque Discipulorum ingenio, & industria in scholis sunt elaborata. Multa tamen, maxime præceptis adjecta, ex præstantioribus hujus ævi Oratoribus, ut Segneri, Bourdaloue, Cassini, Calini,

PARS I. *re velint; adeste, oro, peccatores! descendite me-*
 CAPUT. II. *cum, si lubet, saltem cogitatione, antequam de-*
 ARTICUL. I. *scendatis corpore, ad inferni specum: videte!*
 § II. *quam teter, quam funestus, ac horribilis vos ali-*
quando illic carcer manet.

Carcer (Definitio à Proprietatibus per affirmationem) in quem ligatis (l) manibus, ac pedibus fascis instar Divina Justitia vos æternum conjiciet. Carcer, quem sacræ literæ (m) tristi nomine compellant: terram opertam mortis caligine: terram miseræ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Carcer, quem Isaias (n) vocat torrentem sulphuris; Christus autem Divinissimus Servator (o): Caminum ignis, qui ardet; sed non lucet: urit; sed non comburit: in quo, teste (p) Ezechiele, ut conflatur argentum in medio fornacis; sic eritis in medio ejus.

Quis jam, liceat mihi querere cum (q) Isaiâ, poterit de vobis habitare cum hoc igne devorante? Quis --- cum ardoribus sempiternis?

II. *Paradigma. Per affirmationem à genere, & forma. Thema: Joseph non est reus attentati adulterii, cujus ab Hera accusa-*

Reina, Vieira, Le Jajo &c. sunt deprompta, jam recentis, per sæpe autem consulto mutatis verbis, imò interdum ipso etiam sensu, præceptis accomodata. Cuius Lectorem admonitum volumus.

1) *Matth. 22. v. 13.* m) *Job. 10. v. 21. 22.*
 n) *Isa 30. v. 33.* o) *Matth. 13. v. 42.* p) *Ezech. 22. v. 22.* q) *Isa. 33. v. 14.*

cusatus erat. *Argumentum*: à triplici definitione *Josephi*, *Herae*, & *adulterii*. 1. quia *Joseph*, qui accusatur, est *Juvenis* probissimus, *en genus!* ob insignem virtutem *Hero* suo tam acceptus, ut toti domui fuerit *præpositus*, *en forma!* 2. quia *Hera*, à qua accusatur, est *mulier*, *quod est genus*, *Josephi* *Domina*, ab eo semper *culta*, *quod est differentia*. 3. quia *adulterium*, de quo accusatur, est *crimen atrocissimum*, *en iterum genus!* quo *jura Mariti* summe *benefici* *violantur*, *ecce differentia!*

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§ II.

EXERCITATIO.

Non diffiteor, eam esse humanæ mentis imbecillitatem, ut interdum quemadmodum ex pessimis optimos, ita ex optimis pessimos fieri contingat. Absit tamen, ut istud de Josepho, non dico, credam; sed vel remotissime in mentem adducere velim meam.

Nam si castigatissimas vitæ illius antea actæ rationes in memoriam revocemus: nunquid Josephus (Definitio Josephi) juvenis semper probatissimus erat? moribus ad omnem æqui, ac honesti legem compositis? Cui (quod de Matre Virgine olim agebat (1) Ambrosius) nihil lascivum fuerat in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecondum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, tota corporis species simulacrum erat mentis, figura probitatis. Quem eximia hæc integritas, sapientia, fides Hero suo

M 2

Puti-

1) Lib. 2. de Virg.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. II.
§ II.

Putiphari usque adeo charum, acceptumve reddiderunt, ut toti domui summa cum potestate præfici mereretur. Quis credat? Josephum, (talem, tantumque) eo dementia prolabi repente potuisse (Definitio Heræ) ut in mulierem, Heram quidem, ac Dominam suam singulari semper fide, & observantia ab se cultam, crimen (Definitio adulterii) tam atrox, ac nefandum, cuius vel ad memoriam perhorrescere oporteat, committere ausus fuisset, quo sanctissima thalami tam in se benefici jura sædissimo adulterii scelere contaminare attentasset. Si uspiam, hic profecto, mihi liceat Thomæ increduli verba usurpare: nisi videro - non credam. (s)

III. *Paradigma. Per affirmationem, & negationem cum Interrogatione, Ironia, & Conduplicatione. Thema: Reverenter agendum in Templis. Argumentum à Genere, & Forma, 1. Per negationem: quia Templum non est nundinantium forum, taberna Veneris, luxuriæ pratum &c. 2. Per affirmationem: quia Templum est Domus Dei, locus præsentiae ejus, Divini Sacrificii &c.*

EXERCITATIO

Utinam! Divinissimus Mundi Servator Christus rursus hodie, ut olim Hierosolymitano in Templo, consurgeret; inveniret profecto non paucos Christianorum, quos perinde, ac olim Numularios, arreptis non jam flagellis; sed plane fustibus ob summam impudentiam è Templo exigendos haberet. Quot enim his etiam tem-
pori-

s) Joan. 20. v. 25.

poribus reperiuntur, qui Sacrata Deo Tempa non secus habent, ac profana quædam loca, ubi summa cum temeritate, audacia, imo (quod animus refugit dicere) ipsa etiam lascivia fas putant, diversiari.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§. II.

At scelestissimi mortalium sistite parumper! unde, oro, hæc tanta temeritas, & licentia, in vobis ortum trahit? Fortasse, (Definitio per negationem cum interrogatione) quia existimatis Christiana Tempa esse vetera quædam Appii, aut Julii, vel etiam Cornelii fora? in quibus liberum sit nundinantium concursus agere, mercantium strepitus ciere, inutiles sermones serere, mendaces rumusculos vendere, vel etiam aucupari. Aut forsitan arbitramini, Dei Domos fas esse cum impio Antiocho, ut olim (teste (t) Scriptura) actum cum Hierosolymitano, in Jovis Olympii, aut Hospitalis templum convertere? luxuria, & commestationibus Gentium contaminare? illic hedera coronatos circumire, ac Dei Liberi sacra celebrare? Vel putatis totidem esse Veneris tabernas? quas unicuique vestrum impune liceat adire o mulieres! ut ibi (Hypothiposis per congeriem, ac distributionem) lascivis oculis, procaci vultu, nudato ad petulantiam collo, prostituto pectore, toto denique corporis habitu ad omnem licentiam comparato pudicitiam vestram juvenum libidini venum exponatis. Vel certe ut isthic (cum alibi non potestis) ceu in aliquo luxurie prato, destinata valeatis conventicula celebrare, occultis salu-

M 3

ta.

t) 2. Machab. 6.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§ II.

tationibus vetera invicem officia peragere, mutuo aspectu lascivos oculos clanculum oblectare, furtivis collusionibus, tecto risu, nefario nictu insanos amores (pudor) iterum provocare. O pulcherriam (Ironica exclamatio) si ita est, de Templis Deo dicatis Christianorum opinionem! dignam enimvero, quam Gentiles omnes confectarentur, nisi ipso naturæ ductu aliam longe de Templis existimationem congenitam haberent. Tempia, enim ad Sacrificium accessuri (inquit (u) Seneca) vultum submittimus, togam adducimus, in omne argumentum modestiæ fingimur.

Discite ergo Christiani, (Conduplicatio) discite gentiliū exemplo, quo in pretio, qua in veneratione Dei Tempia habere debeat. Sunt ista, (Definitiones conglobatæ per affirmationem) ipsius Christi testimonio; domus Dei, domus Orationis, domus divini cultus, & reverentiæ. Sunt terra sancta, regia Cæli, divini atria Sacrificii; ubi non Isidi, aut Osiridi oves, aut boves; sed æterno Patri unigenitus Dei filius in ara quotidie immolatur. Et tamen (Epiphonema) vos fecistis illam speluncam latronum! (x)

IV. Paradigma. Per refutationem cum figura subjectionis. Thema: in quo sita sit perfectio Christiana? Argumentum I. Per negationem: non in jejuniis, aut vigiliis: non in afflictionibus corporis, aut elemosynis

t) apud Segneri Sermone. 23. Quadr. n. 3.
s) Matth. 21. 13.

synis: nec in silentio, aut orandi studio.
 2. *Per affirmationem*: sed dimissis mundire-
 bus in Christi consecratione.

PARS I.
 CAPUT. II.
 ARTICUL. I.
 §. 1.

EXERCITATIO.

Vos ipsos jam consulo Auditores, edicite:
in quo sit in esse Christianæ vitæ perfectionem
existimatis?

Fortasse (Definitio per negationem)
in severis jejuniis, longis vigiliis, flagris acer-
rimis, cæterisque hujusmodi corporis afflictan-
di studiis repositam putatis? At novimus (Re-
futatio per subjectionem) Phariseos, mor-
talium pessimos, austerum professos fuisse viven-
di genus; quis tamen Christianam dixerit asse-
cutos perfectionem? cum ipse Christus hypocri-
tas, & sepulchra vocet dealbata. Fortasse
largis elemosynis, magna in pauperes chari-
tate, in egentes misericordia creditis eam contine-
ri? Verum quidem est fœneratur (x) Domino,
qui miseretur pauperis; at legimus ipsos etiam
barbaros, solius naturæ ductu persuasos, naufr-
gantis Pauli miseriam fuisse miseratos. Fortasse
arctum silentium, assiduus labor, longa soli-
tudo, continuum nocte, diuque precandi stud-
ium perfectam pariunt sanctitatem? Non diffiteor
ista ad obtinendam Christiani hominis absolutio-
nem multum adjumenti conferre; imo adeptæ jam
illius vitæ fructum esse: cæterum etiam latrones
cum scelesto Caino quærere latebras, & feræ ho-
minem fugere consueverunt: Christus (y) quoque
Prophetæ Isaiaë verbis queri auditus est: Po-

M 4

pulus

x) *Prov. 19. v. 17.* y) *Matth. 15. v. 8.*

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§ II.

pulus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est à me. *Quod igitur vivendi genus Christianam complectitur perfectionem?*

Si Christo (Definitio per affirmationem) Divinissimæ Sapientiæ Magistro, fidem habetis: illa, illa (Conducitio) summa hominis Christiani est perfectio, qua relictiis omnibus Christum propius consequimur virtutum imitatione. Hanc apertis Servator ipse (a) docuit verbis: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me. Hoc egerunt absolutissima Christianæ perfectionis lumina sancti Apostoli, qui relictiis retibus continuo secuti sunt eum. Hoc tibi etiam agendum est, ó Christiane! si culmen perfectionis contingere cupis.

ARTICULUS II.

LOCUS A NOTATIONE ET CONJUGATIS.

§ I.

Præcepta hujus Loci.

I. *Natura Notationis.* Locus Notationis, sive Ethymologiæ est: cum à Nominis origine, ac significatione ducitur argumentum. Sic *Hieronymus* (z) probat *Romam*, cum fortitudinem, ac sublimitatem significet, non debere voluptati studere. *Ad te loquor, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti Urbs potens, Urbs Domina, Urbs Apostoli voce laudata!* interpretare

voca-

z) *Lib. 2. adv. J. vin.* a) *Matth. 19. v. 31.*

vocabulum tuum. Roma aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis apud Hebræos. Serva, quod diceris. Virtus te excelsam faciat; non voluptas humilem.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. II.
§ I.

II. *Ufus Notationis*: Hic locus ad argumentandum perlevis est, nec argutiæ hinc ductæ in stylo magni æstimantur; cum nomina temere magis, quam consilio indantur. Adhibetur tamen ad sales, & facetias: ad laudem item, ac vituperium. Sic Hieronymus Jovinianum à Jovè dictum vituperat, & Urbi Romæ cavendum suadet (a). *Cave Joviniani nomen, quod de Idolo derivatum est. Squallet Capitolium, templa Jovis, & Cærimoniæ conciderunt. Cur vocabulum ejus, & vitia apud te vigeant?* Sanctus autem Ambrosius Petrum, & Paulum Apostolos desumpto à nominis significatione argumento, ita laudat (b). *Optima Apostolorum nomina! Petra, & vasculum, necessaria domui salvatoris. Domus enim fortitudinis petra construitur; utilitate vasis ornatur. Petra ad firmitatem, ne labantur, sustentat populos; vas ad custodiam, ne tententur, operit Christianos. At licet argumenta à Notatione promiscue ducta sint infirmiora; nomina tamen Hebræa in sacris literis divinitus indita, & latentem sæpe mysticum sensum habentia, validiori sunt argumento in sacris concionibus, quam cætera. Sic JESUS Salvatorem significat, quod vocatum est ab Angelo, prius-*

M 5

quam

a) *Ibid.* b) *Serm. 68. de Nat. SS. Petr. & Pauli.*

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ I.

quam in utero conciperetur. Sic Christus Simonem, Cepham, idest, Petrum appellavit; quia super eum, tanquam super petram, Ecclesiam ædificavit. Multum etiam elegantiae accipit Notatio, cum fundamentum haud ita nomen præbet; quam res ipsa, & sensus per nomen significatus. Ut S. Ambrosius (c): *Paulus à Domino vas electionis est nominatus. Bonum vas, in quo pretiosa mandatorum Christi præcepta conduntur. Bonum vas, de cuius plenitudine substantia vitæ populis semper erogatur.* Vel certe si Notationis sensus Scripturæ Divinæ, aut Patrum testimoniis firmetur. Ita Divus Augustinus (d) invisum Donatistis Hæreticis Monachi nomen probat à Notatione, Scripturæ auctoritate confirmata. *Quid sibi vult Monachorum nomen? Ostendite (quæritis) ubi scriptum sit nomen Monachorum? Quare ergo non appellemus Monachos? cum dicat Psalmus: ecce quam bonum, quam jucundum habitare fratres in unum; υἱός enim unus dicitur, & non unus quomodocunque: nam & in turba est unus; sed una cum multis unus dici potest: μόνος, id est, solus: μόνος enim unus solus est. Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis vere, quod scriptum est, una anima, & unum cor, recte dicitur μόνος, idest, unus solus.*

III. *Natura, & Usus Conjugatorum.* Conjugata sunt, quæ ab uno, eodemque primitivo verbo varie derivata communi significa-

c) *Ibidem.* d) *In Psal. 132.*

ficatione, veluti jugo, conjunguntur. Ut
Christus, Christianus, Christiane. Rex, reg-
num, rego. Unde locus Conjugatorum est,
 cum à primitivo ad derivata: aut vicissim,
 ducitur argumentum. Ita S. Augustinus
 (e): *Christiani nomen ille frustra sortitur, qui*
Christum minime imitatur. Quid enim prodest
vocari, quod non es, & nomen usurpare alienum?
Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christia-
nitatis sunt gere, & merito tibi nomen Christia-
ni assume. Hic locus perinde, ac prior,
 infirmus est ad probandum, nisi argumen-
 tum à Conjugatis sumptum, haud ita ver-
 bis, quam rebus per verba significatis, vel
 certe Scripturæ, aut Patrum authoritati in-
 nitatur. Sic S. Ambrosius (f) eleganter
 ludit in miraculo Petri claudum confan-
 tis, argumento à Conjugatis sumpto: *Si*
ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Eccle-
sia, recte prius pedes sanat, ut sicut in Ecclesia Fi-
dei fundamentum continet; ita & in homine mem-
brorum fundamenta confirmet - - ut jam non in-
trepidus, nec imbecillis, possit super Petram Ec-
clesie, sed robustus, & fortis incedere. Orna-
 tur hic locus 1. Per Hyperbolen, ut si di-
 ceres: non te pium, sed ipsam pietatem
 compello 2. Per Traductionem. Ita Chry-
 sostomus: (g) *Quid te nuncupem, feram? Sed*
uno vitiorum horum feræ tenentur; tu vero pariter
omnia circumferens ad majorem, quam illæ, fe-
 rita-

e) *Lib. de Vir. Christ.* f) *De Natali SS. Ap.*
Petri, & Pauli Serm. 68. g) *Hom. 23. ad Pop. Ant.*

PARS I. *ritatem progredieris. Item: magnis eos laudibus*
 CAPUT. II. *ornat Ecclesia, nil mirum: cum maxima sint*
 ARTICUL. II. *Ecclesiae ornamenta. Unde hic locus valet*
 § II. *ad ornatum, elegantiam, & acumina Ora-*

tionis; verum sobriè usurpanda. Denique tractatur locus tam Conjugatorum, quàm Notationis per eos modos, quibus Definitio per negationem, simul & affirmationem. Vide illic dicta.

§. II.

Paradigmata hujus Loci.

I. *Paradigma: à Notatione. Thema. Modestia Viros Religiosos cumprimis decet: Argumentum: quia modestia dicitur à modo, & moderatione: modus autem, & moderatio Viros Religiosos, Divino cultui quasi religatos, cumprimis decet.*

EXERCITATIO.

Si cui hominum generi, Viris profecto Religiosis, illud Pauli Gentium Apostoli præcipua cura commendandum putarem (h): Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.

Nam si Nominis origo pondus quoddam, ac momentum apud animos Vestros habere potest, repete memoria: unde pulcherrimum Modestiae nomen provenisse putatis? (Notatio Modestiae) Nunquid à modo? quod pravus animi cupiditatibus, ceu indomitis quibusdam equis, quasi frænum, ac modum ponat. Vel certe, Augustini testimonio, à moderatione dictum creditis? quod
 bo

h) *Ad Philip. 4. v. 5.*

hominum gestus, omnesque corporis motus, verba, & actiones pia morum disciplina, ut quædam virtutum Magistra sancte moderetur.

Si ita? Quæ oro virtus convenientior esse potest homini Religioso, quam Modestia? Quis nescit? Religiosum (Notatio Religiosi cum Traductione) à Religione, Religionem vero à religando dici, eapropter, quod Divino æterni Numinis cultui peculiari quapiam lege, quasi quodam vinculo nunquam solvendo, religetur. Hac conditione, inquit (i) Lactantius (Notatio autoritate Patris firmatur) gignimur, ut generati nos Deo justa, & debita obsequia præbeamus: hunc solum noverimus, hunc sequamur: hoc vinculo pietatis adstricti Deo, & religati sumus: unde ipsa Religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est, à relegendo. Ibine autem vera religio, ubi morum est dissolutio? Certe (Epiphonema) nunquam clausa curru intus vehitur Religio, nisi Religiosi mores, totidem veluti famuli, ac satellites, foris Dominam comitentur.

Accidit, ut Divus olim Gregorius Nazianzenus Athenis Julianum Apostatam Imperatorem, tum adhibuc adolescentem, moribus turpiter disfluentem cerneret. Quid de eo Sanctissimum Præsulem conjectasse putatis? Noverat: mores fidissimos esse animi interpretes; acerrimum inde, sædissima defectione Religionis Christianæ hostem, fore prædicebat. Sanctus autem Jacobus

1) Lactant. l. 1.

PARS I. *cobus Apostolus neutiquam* (Notatio autori-
 CAPUT. II. *tate Scripturæ firmatur) Virorum Religiosorum*
 ARTICUL. II. *numero adlegendum ait, qui habenas ori indul-*
 § II. *gentius laxat: Si quis autem (k) putat se esse*
religiosum, non refrenans linguam suam,
sed seducens cor suum, hujus vana est religio.
Quali, oro, præditum religione dicetis eum? (Hy-
pothiposis cum distributione) cujus non
ori modo, sed nec oculis quidquam est clausum, nec
vultu compositum, nec incessu temperatum. Sum-
ma in omnibus libere agendi, loquendi, tangendi,
ac ridendi libertas. Est vox, sed insolentior: est
risus, sed contentior: sunt gestus, sed nugivenduli:
sunt mores, sed rure pleni. Apoge fædum istius-
modi Hominis Religiosi monstrum!

Vultis ex æquo nomen retinere? induite
vos ergo (inquit (l) Paulus) sicut electi
Dei, Sancti, & dilecti viscera misericordiæ,
benignitatem, humilitatem, modestiam præ-
cipue, ut in omnibus motibus vestris nihil fiat,
quod cujusquam offendat aspectum; sed quod ve-
stram deceat Sanctitatem, inquit (m) Augusti-
nus.

II. *Paradigma à Conjugatis. Thema: Ho-*
mines scelerati non sunt veri Christiani.
Argumentum: quia veri Christiani sunt Re-
ges, qui suos animi motus regunt.

E X E R C I T A T I O.

Cum præcellentem illam, qua à Deo Præpotenti
ornati sumus, Nominis nostri dignitatem in me-
mori-

k) *Jacobi 1. v. 26.* l) *Ad Coloss. 3. v. 12.*

m) *In Regulis.*

moriam revoco, tot Reges, quot pene homines, videor mihi ex vobis intueri.

PARS I.

CAPUT. II.

ARTICUL. II.

§ II.

Quid enim est Christus? an non Rex (Conjugata cum Traduccionem) dicitur esse Regum? non eorum modo, qui terras imperio regunt, vel in Cælo regnant; sed etiam, Origenis (n) testimonio, Rex est Regum, sive Christianorum. Nunquid sacro Baptismatis fonte abluti unguimur in Reges? In Baptismo (inquit (o) Tertulianus) Rex, Sacerdos, Propheta efficitur. Nonne Petrus nos gentem vocat sanctam, regale Sacerdotium, populum acquisitionis? Cur ita? quia nempe (teste (p) Ambrosio) unusquisque ungitur in Sacerdotium, ungitur in Regnum. O sublimem hominis Christiani dignitatem! O excellentem conditionem! Ita est: Reges estis Christiani, at ejusmodi Reges, quorum regnum non est de hoc mundo; verum (ut Christus loquitur) intra vos est, id est: in animis vestris continetur, cum carnem menti, mentem rationi subjicitis, cupiditatibus frenam imponitis, appetitioni dominamini, tunc, tunc (Conduplicatio) Christiani, Reges estis.

Vos jam alloquor o peccatores! edicite: utrum hoc Sanctissimo Regis, ac Christiani nomine vos audeam compellere? an potius dicere debeam: fœdissima vos esse Diaboli mancipia, qui generis, ac conditionis obliti vosmet turpissimæ Dæmonis, servituti sceleribus vestris subjecistis? Pudeat vos Christianos, ac Reges nominari, nec tamen dignam

nomi

n) Hom. 6. in lib. Jud. o) Hom. 3. in Epist. ad Cor. p) Lib. 4. de Sacr. Cap. 1.

PARS. I. *nomine, dignam Rege, dignam Christo vivere vi-*
 CAPUT. II. *tam velle. Certe si Divo fidem habetis Cypriano*
 ARTICUL. III. *(q): Nemo Christianus recte dicitur, nisi*
 § 1. *Christo moribus, prout valet, coæque-*
tur.

ARTICULUS III.

LOCUS AB ENUMERATIONE
PARTIUM.

§. I.

Præcepta hujus Loci.

I. *Natura Loci.* Partium Enumeratio est locus Oratorius, in quo sumitur argumentum à toto in suas partes distributo. Ut Davidis (r) à toto integrali. *Quo ibo à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? si ascendero in Cælum, tu illic es. Si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Pro varietate totius varia est partium distributio. 1. Substantiæ: in partes rei substantiam constituentes. Ut hominis in carnem & Spiritum. Ita Paulus (s): *Quæ seminaverit homo, hæc & metet: quoniam, qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminaverit in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.* 2. Totius integralis in partes ad rei integritatem spectantes. Talis est Davidis jam allata. Item Hieronymi (c): *Verus obediens mandatum non procrastin-*

q) l. 9. de 12. Abus. r) Psal. 138. v. 7. 8. 9. 10.
 s) Ad Gal. 6. v. 8.

stinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis. 3. Totius moralis, aut Metaphysici, in partes morales, aut Metaphysicas. Ut DEI in sua attributa: Omnipotentiam, sapientiam &c. Vel animæ in potentias, ut intellectum, voluntatem, memoriam. Vel Ecclesiæ in Apostolos, Prophetas, Doctores, Interpretes &c. Sic Bernardus (t): *Ipsè erit (nempe Deus) omnia in omnibus: rationi plenitudo lucis, voluntati plenitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis.* 4. Totius Generici in species. Ut Gratiæ gratis datæ apud Paulum in Gratiam sanitatum, operationem virtutum, prophetiam, discretionem Spirituum, genera linguarum, interpretationem sermonum &c. 5. Totius specifici in sua individua. Ut Apostoli in Paulum Apollo, Cephæ &c. 6. Denique cum ratio totius apud Oratores latissime pateat, pro omni eo, quod sumitur generatim, & universe; idcirco distributio partium fieri potest per enumerationem causarum, effectuum, proprietatum, accidentium, adjunctorum, actionum, modorum, &c.

II. *Modus argumentandi.* Triplicem argumentandi modum habet hic locus. 1. Cum affirmatis, aut negatis partibus affirmatur, aut negatur totum. Ita Paulus (u) per affirmationem: *sive ergo manducatis, sive*
 N bibi-

t) *Serm. 11. in Cant.* u) 1. ad Cor. 10. v. 31.

PARS I.
CAPUT II.
ARTICULUS III.
§ I.

bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite. 2. Cum affirmato, vel negato prius toto, postea singulæ partes affirmantur, vel negantur. Sit exemplum utriusque ex Paulo per affirmationem (x): *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum. Cui veltigal, veltigal. Cui timorem timorem. Cui honorem, honorem.* Dein per negationem: *An nescitis, (y) quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maligni, neque rapaces regnum DEI possidebunt.* 3. Cum se junctis cæteris partibus affirmatur, aut negatur pars una, quæ superest. Ut Jeremias (z): *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur dives in divitiis suis; sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire, & nosse me: quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & judicium, & justitiam in terra.*

III. *Usus loci.* Multiplex est hujus loci usus: 1. deservit ad inventionem partitionum, ac subpartitionum, de qua jam ante locuti sumus. 2. Deservit ad fidem adstruendam, uno ex prædictis argumentandi modis quocumque. Si gula vitium est adeo usque noxium, ut fortunas abliguriat, corpus morbis enervet, animam innumeris vitiis defædet, quis, nisi ventri, & abdomini natus gulam pernicio-

x) ad Rom. 13. v. 7. y) 1. ad Cor. 6. v. 9.
z) Jerem. 9. v. 23. 24.

niciofissimum hominis hostem esse neget? 3. Vales ad descriptiones, amplificationes, acciendos affectus, quorum plura alibi exempla daturi sumus; sit tamen paradigma Hypothiposeos ex Hieronymo ad Sabinianum Diaconum. Infelicissime mortalium! tu speluncam illam in qua DEI Filius natus est, & veritas de terra orta est, & terra dedit fructum suum, de stupro condicturus ingrederis? non times, ne de præsepi infans vagiat? ne puerpera Virgo te videat? ne mater Domini contempletur? Angeli clamant, Pastores currunt, Stella desuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Jerosolyma conturbatur: & in cubiculum Virginis decepturus Virginem, irrepis? Hæcsi generatim sine partium distribucione prolata fuissent, nunquam eam vim, quam habent, obtinuisent.

IV. *Ratio tractandi hunc locum. Tractatur hic locus per has figuras: 1. Per anaphoram, seu repetitionem, cujus jam dedimus exempla in usu loci. 2. Per interrogacionem simul, & repetitionem. Ut illud Pauli (a): Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? &c. 3. Per subjectionem, præsertim cum aliquid refellendum est. Ita Hieronymus (b): Quid agis frater in sæculo, qui major es mundo? quamdiu te tectorum membra premunt? quamdiu fumosarum Urbium carcer includet? --- Pau-*

N 2

per-

a) ad Rom. 8. v. 35. b) Epist. ad Heliod.

PARS I. *peritatem times? Sed beatos Christus pauperes ap-*
 CAPUT. II. *pellat. Labore terreris? at nemo athleta sine sudo-*
 ARTICUL. III. *re coronatur. De cibo cogitas? sed fides fame n-*
 § I. *on timet? - - Infinita eremi vastitas te terret?*
Sed tu paradysum mente deambula. Quotiescun-
que illuc cogitatione conscenderis, toties in eremo
non eris. 4. Per Distributionis figuram. Ita Hieronymus ad Nepotianum: Non o-
mnia possumus omnes. Alius in Ecclesia ocu-
lus est, alius lingua, alius manus, alius pes, au-
ris, venter, &c. Lege Pauli Epistolam ad Co-
rinthios, quomodo diversa membra unum Corpus
efficiant. 5. Per figuram Præteritionis: No-
lo memorare damna, quæ peccator orbi infert
universo scelerum perpetratione: non dicam ejus
causa immitti pestem, famem, bellum, cetera-
que Divini furoris supplicia. Ea solum adse-
ro, quæ sibi consciscit &c. 6. Eleganter fit
partium Enumeratio per conversionem,
complexionem; at de his in amplificatio-
ne agemus.

§. II.

Paradigmata hujus Loci.

I. *Paradigma. A Loco partium Enu-*
merationis per figuram Subjectionis, Præte-
ritionis, Distributionis, & Anaphoræ. The-
ma ex illo Pauli: Quorum DEUS venter est,
multi hominum ventri serviunt. Argumen-
tum: 1. A distributione generis in species,
quia serviunt nobiles, divites, juvenes,
senes, sapientes, plebeji, mendici &c. 2.
A distributione totius integralis in partes
 inte-

integrantes : quia studet, manus, pes, lingua, oculus &c. 3. A distributione prædicati, *servit*, iterum in species: laborando, vigilando, peregrinando, navigando. &c.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. III.
§ II.

EXERCITATIO.

Nunquam credidisse in fieri posse Auditores, ut homines Christiani, à Christo Servatore in sublimiorem sanctioris vitæ sortem vocati, ventrem, vilissimam corporis humani portionem, tanto habeant in pretio, ut eum DEI instar prosequantur. At cum ingentia illa studia, & officia, quibus plerique mortaliu n è Pauli sententia (c) non Christo Domino nostro serviunt, sed suo ventri farciendo student, tacitus mecum reputo, profecto mihi etiam illud Gentium Apostoli usurpare licet (d): Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico: inimicos Crucis, Christi quorum DEUS venter est, & gloria in confusione.

Date, si lubet, quodcunque hominum genus, sive Virorum, sive Mulierum, eritne ætas ulla, status, aut conditio, quam ventris fovendi non ingens teneat cura, ac sollicitudo? (Distributio Generis in species per subjectionem) Reges dabitis fortasse, ac Principes? Ecce! qui (e) mollibus vestiuntur, addo etiam: pascuntur, in Domibus Regum sunt? Quando enim præcepit Rex Baltassar, nonne (f) jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor, pater

N 3

ejus

c) ad Rom. 16. v. 18.

d) ad Philip. 3. v. 19.

e) Matth. 11. v. 8.

f) Dan. 5. v. 2.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. III.
§ II.

ejus, de templo, quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis Rex, & Optimates ejus, uxoresque ejus, & concubinæ? *Fortasse divites dicetis? at quis, nisi dives (g) epulabatur quotidie splendide? Fortasse juvenes? at scimus Jobi filios, ac filias, in ipso ætatis flore, inter choreas subita morte fuisse interemptos. Vel certe senes? at Noemum etiam senem vidimus crapula oneratum. Non adfero (Præteritio) sapientes, de quibus scriptum est (h): Vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes. Nec memoro plebejos, & mendicos quorum è grege plurimos belluonum, licet reperire. Nunquid etiam mendicitas ebrietatis fructus esse solet? qui diligit epulas in egestate erit, qui amat vinum, & pingua, non ditabitur, inquit sapiens (i). Id unum profero: diluviu non ante venisse, ac perdidisse omnes, quam (k) in diebus Noe cum edebant homines, ac bibeant. En! quam verissimum est: ventri omne hominum servire genus.*

Quid, dico, genus? imo totus ipse etiam, quantus quantus est, impenditur homo. Cujus enim (Enumeratio partium totius integralis per distributionem) nutriendi gratia laborat manus? currunt pedes? perorat lingua? vigilat oculus? torquetur intellectus? affligitur voluntas? memoria fatigatur? Cur tot (Repetitio) gravissimi persæpe labores suscipiuntur? cur tot insomnes traducuntur noctes? cur tot remotissimæ peragran-

g) Luc. 11. v. 26

h) Eccli. 19. v. 2.

i) Prov. 21. v. 17.

k) Luc. 17. v. 27.

vagrantur regiones? transcendentur montes? tra-
jiciuntur maria? innumera vitæ discriminina ade-
untur? quam ut congestis opibus lautius tractari,
splendidius haberi, delicatius nutrirî, ac tum de-
rum dici queat: beatus Venter!

PARS I.
 CAPUT. II.
 ARTICULUS. IV.
 § I.

Verum, O insanos mortales! Quid, oro,
tanta cura, tanto studio fovetis? an nescitis
(Definitiones cum compensatione) quid sit
Venter? Nunquid venter est saccus stercorum?
Et vos stercora hæc, DEI instar, adorabitis?
Nunquid gravissimum est humano in corpore onus?
Et vos oneri adhuc onera adjicietis? Nunquid acer-
rimus est vestra inter viscera hostis, Et inimi-
cus? Et hunc colubrum amicitia coletis? O tem-
pora! O mores! O ingentem hominum stultitiam!
Quare si sapitis Christiani, nolite diligere ventrem.
Scitote: inimicos esse crucis Christi, quo-
rum DEUS venter est, & gloria in confusio-
ne ipsorum.

ARTICULUS IV.

LOCUS A GENERE, ET FORMA.

§ I.

Præcepta hujus Loci.

I. *Natura Loci.* Rationem Generis, &
 Formæ, sive speciei, strictius usurpant Phi-
 losophi; quam Oratores. Hi enim omne
 id genus dicunt, quod latius patet, ac
 multis, quæ complectitur, est commune:
 sive dein ea specie inter se differant, sive
 aliquo solum accidente, vel alio quocun-
 que modo. Ita homo Generis nomen obti-

N 4

net,

PARS. I.
 CAPUT. II.
 ARTICUL. IV.
 § I.

net, cum de *paupere, divite, nobili, docto, rudi, Laico, Sacerdote* prædicatur. Forma autem, sive species est, res quælibet particularis minus late patens, ac sub aliquo genere contenta. Sic *Vir, Femina, probus, improbus* hominis species dicuntur apud Oratores. Sæpe etiam Forma cum Genere confunditur ita, ut quidquid multa continet, tametsi non specie, sed numero solum sint diversa, Genus à Rhetoribus appellatur. Sic *Deus* de tribus personis, numero tantum differentibus, *Patre, Filio, & Spiritu Sancto* dictus, Generis vicem obit.

II. *Usus Loci.* Adhibetur hic locus, cum Hypothesis ad thesim revocatur. Id autem plerumque fit: 1. in Exordiis, aut Introductionibus, vel etiam dum Syllogismo, aut Enthymemate tractantur partes Orationis in Confirmatione: tunc enim solent quædam præmitti generatim, quæ rationem *thesis* habent, unde postea descenditur ad *hypotesin*. Ita S. Cyrillus, Patriarcha *Alexandrinus*, Joannis Evangelium explanare orsus, prius universe laudat Evangeliorum doctrinam: *Exquisita* (inquit) *profecto est divinitusque defluxa omnium Evangelistarum doctrina. Nam cum quasi ab alta specula cuncta circumspiciat, auditorum undique commodum ita colligit, ut qui veritatem divinorum sitiunt dogmatum, si recto animo Scripturarum sensum inquirunt, facile quidquid eis conferat, in ea inveniant &c.* Postea à *thesi*,
 sive



sive Genere delabitur ad *hypothese*m, seu ad commendandum speciatim Joannis Evangelium. Cum ergo mirabilis, exquisitaque Sanctorum Evangelistarum doctrina sit, Joannis Evangelium, si quis sublimitatem mentis, atque acumen consideret, & quam magnus sit sententiarum in eo cumulus, cogitet, longe omnium, non injuria præstantissimum ducet &c. Cavendum tamen, ne diutius (quod tyrones solent) Generi, ac thesi immoretur. Valde profecto erraret, si quis Divum Joannem Apostolum laudaturus magnam orationis partem muneris Apostolici laudibus impenderet. 2. Revocatur *thesis* ad *hypothese*m, quando ratio aliqua difficilior est refellenda: tunc enim remoto Genere facile removetur Forma. Aut si ejusmodi Sancto panegyris foret construenda, cujus res gestæ minus sunt perspectæ, summi possunt argumenta à Genere, & communi loco, quo Sancti Martyres, aut Confessores solent celebrari. Vel denique cum exaggeratius quidpiam dicendum habemus. *Quid agis Pilate? cum ais: quem vultis dimittam vobis, JESUM an Barabbam? Ergo comparari potest Dominus cum servo? Creator cum creatura? pietas cum impietate? scelus cum sanctitate? justitia cum iniquitate? homicida cum hominum Servatore. Nescis, divino conjugis monito, nihil tibi cum justo agendum esse? Et tamen ne dimittas Cæsaris gratiam, dimittis latronem, condemnas innocentiam, spernis DEI amicitiam. O iniquam compara-*

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. IV.
§ I.

PARS I.

CAPUT. II.

ARTICUL. IV.

§ I.

tionem! O perversum iudicium! Barabbam dimittere, *JESUM* autem condemnare.

III. *Ratio argumentandi.* Ornatur hic locus, maxime à Forma, iisdem figuris, quibus partium enumeratio, nimirum: Repetitione, Subjectione, Interrogatione, distributione &c. Modus autem præcipuus argumentandi in eo positus est: quidquid Generi tribuitur, vel negatur, id speciei pariter sub eo genere contentæ attribuitur, vel negatur. Ita *Ludovicus Bourdaloue* (k): *DEUM* mirabilem esse probat in Sanctis suis, argumento à Genere ad Formam: quia *DEUS* mirabilis est in operibus suis, igitur etiam in Sanctis, qui sunt præstantissimum *DEI* opus. Si *DEUS* per se, suaque natura spectetur; quoniam longe, multumque superat humanæ mentis aciem, nequaquam per se, suaque natura cadere potest in hominis intelligentiam, & admirationem. Nihilominus ut ex ejus operibus eum agnoscimus in terris; ita iisdem ex operibus nobis proprie in terris suspiciendus est, atque admirandus. Forma. Sunt autem Sancti præstantissimum *DEI* opus; atque adeo in iis est, quod Propheta testatur, nostra potissimum dignus admiratione. Mirabilis *DEUS* in Sanctis suis. Reliquos modos, passim notos, prætereo.

§. II.

k) Tom. 1. Serm. in festo OO. SS. de Christ. Sanct.

§. II.

Paradigmata hujus Loci.

PARS I.

CAPUT. II.

ARTICUL. IV.

§ II.

I. *Paradigma* : à Genere ad Formam, sive à Thesi ad Hypothesim. *Thema ab Hypothesi* : summa hominum temeritas est, vivere in peccato mortali. *Argumentum à Thesi* : quia summa temeritas est, se exponere gravissimo periculo : at in peccato mortali viventes gravissimo se exponunt animæ periculo ; summa igitur temeritas est vivere in peccato mortali (l)

EXERCITATIO.

Thesis. *Ab ipsa natura ita sumus animo comparati*, Auditores, ut si graviore in aliquo rerum, aut vitæ discrimine nos versari contingat, confestim de remedio trepidi circumspiciamus ; absit vero, ut periculum (ni temerarii esse velimus) quasi è portu securi intueamur. *Experiri licuit hoc in navigio Jonæ* : qui tametsi horrendos inter Cœli fragores, & maris exasperari furorem, velut sui, ac præsentis periculi oblitus, aurem in utranque dormierit ; socii tamen discriminis aut clamabant, aut gemebant, aut consultabant, aut laborabant ; ut se ab impendenti naufragio expedirent. Homo enim (ait (m) *Divus Thomas*) magis inclinatus est ad timorem, quo mala fugit ; quam ad audaciam, quo mala invadit. *Et si quem secus agere contingat, næ ego hominem hunc ingenti vesania, vel saltem temeritate præditum esse dicam.*
Hy.

l) Vide Segneri serm. 1. Quadr. n. 2. m) Apud Segneri serm. 1. Quadr. n. 2.

PARS I
CAPUT. I.
ARTICUL. IV.
§ I.

Hypothesis. *Licet rem hanc verissimam comperiamus in rebus corporis pericula, minus atrocia, attinentibus; gravissime tamen falli videmus, cum res agitur de æterno salutis discrimine: quod omni alio longe horribilius est; cum damnum animæ inferat, nulla unquam ætate reparandum. Ettamen in eo, quis crederet? ut plurimum mortales magis fidunt, nec magnopere illud timent, sed spernunt: non fugiunt, sed anhelant: imo, quod fædius est, ambabus, ut ajunt, ulnis amplectuntur. Verum peccatores! quid est, obsecro, quod animos vestros in tam aperto æternæ damnationis periculo usque adeo securos facit, ut omni metu liberi lætum ducere spiritum audeatis? Non ergo perspectum est vobis? illo ipso temporis momento, quo scelus aliquod vel mente, vel lingua, vel opere perpetratis, jam intortum in vos esse æterni interitus fulmen; paratas jam ardere flammæ, quas divina succendit justitia; ignis succensus est in furore meo, super vos ardebit, inquit (n) Jeremias: promptos adstare tortores. Et quid moratur? ne vos confestim, ut potest, eo præcipitet; quam ut rumpat vitæ filum, quo super apertum inferni hiatus, quasi super puteum abyssi suspensos tenet.*

Complexio. *Creditis hæc peccatores? si creditis? per DEUM Immortalem! vos oro, qua temeritate, ne dicam insania (respondete) in hoc rerum articulo positi, securi in peccato vitam vere, sapide cænam sumere, jocos, & ludos exercere, quieta mente somnum capere; imo non capere modo*

n) Jerem. 15. v. 14.

modo, sed in ipso scortorum sinu Samsonis instar
altum dormire valeatis?

II. *Paradigma*: à Forma, sive specie ad
Genus. *Thema*. Christus non fuit Vir (ut
calumniati sunt Judæi) scelestus, sed San-
ctus. *Argumentum* à Forma: quia nemo eum
prodit fuisse superbum, vel alio quocun-
que vitii genere contaminatum; sed ajunt
fuisse Virum humilem, modestum, pati-
entem, pauperem, benignum &c. (o)

E X E R C I T A T I O.

*At demus tantisper, dum veritas explorati-
or reddatur, Christum non esse Sanctum, non ef-
se DEUM, sed esse, ut fingitis, hominem im-
probum, hominem scelestum, ac omni flagitiorum
genere contaminatum. Dicite, oro, qui fieri po-
terat, ut hoc ad usque temporis momentum nihil
quidquam de illius sceleribus constiterit? Cur ne-
mo ullus scriptorum de eo, non dico facinus
quoddam, sed vel minimam perpetrati facinoris
umbram posteritatis, ut poterant, ac de homine
palam nefario debebant, memoriæ prodiderit?*

*Forma. Non diffiteor equidem in Christum Ser-
vatorein fastus, & superbiæ, imo etiam blasphem-
iæ notam à Judæis fuisse impactam idcirco,
cum homo esset, se ipsum fecerit DEUM. Cum
(p) homo sis, facis te ipsum DEUM. At
hoc ex omnibus unum tandem (si ita appellari
potest) crimen erat, quo Christum Virum San-
ctissimum, imo ipsam Sanctitatem, majori suo
scele-*

o) Vide Segneri serm. 20. Quadr. n. 3.

p) Joan. 10. v. 33.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. IV.
§ II.

*scelere sceleratum poterant calumniari. Quis ta-
men credat, ut homo blasphemus, fastu ac superbia
tumens, qualem Christum esse falso ferunt, non
aliis etiam pluribus, ac turpioribus vitiis, ac
criminibus fuisset implicatus? Novimus: scele-
ra etiam suos habere nexus, ac societates: su-
perbia præsertim, quæ omnium mater est, aut
nutrix vitiorum. Initium omnis peccati est
superbia, qui tenuerit illam, adimplebitur
maledictis, inquit sapiens (q). Hinc enim
nascitur (Distributio cum repetitione) o-
stentatio, hinc ambitio, hinc aliorum contemptus,
hinc luxus, lascivia, hinc invidia, hinc ira,
hinc odia, hinc rixæ, hinc avaritia, cæteraque
omnia vitiorum genera ortum trahunt; adeo, ut
quem superbum dixeris, jam hoc uno nomine sce-
lerum omnium pestem, ac colluvionem dixisti.
Atque istud est, cur Romani Regem Tarquini-
um, cum vellent flagitiorum omnium quoddam
quasi compendium appellare, una voce superbum
dixere: Hominem libidine præcipitem, a-
varitia cœcum, crudelitate immanem, furo-
re vecordem, vocaverunt superbum, & pu-
taverunt sufficere convitium, inquit (r) Pa-
catus.*

*Forma. Cur igitur de tot, tantisque
criminibus, ne unum quidem, ut ante dixe-
ram, fuerit Christo inflictum: quin imo com-
munis omnium gentium, ac populorum consensus
(Repetitio) Virum ait fuisse pium, fuisse hu-
mitem, fuisse patientem, fuisse modestum, so-
bri-*

q) Eccli. 10. v. 15. r) In Panegyri Theodosii.

brium, castum, ac misericordem. Qui cæcis reddidit visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis loquelam, mortuis vitam, ut Sancti Evangeliorum Scriptores testantur. Vel si his fidem abrogatis, testatur Philo Hebræus, testatur Flavius Josephus, testatur ipse etiam Lentulus Præses Romanus, qui, datis Romam literis, Christum humana conditione superiorem fuisse virum scripsit. Quem Tiberius Cæsar Deorum numero adscriptum voluit; Pilatus vero hominem justam agnovit, sola Judæorum invidia neci datum.

Genus. Huncne ergo, tantumque Virum scelestum dicere audebimus? Absit Christe! tam nefarium de te facinus vel cogitare. Fuiſti Virorum sanctissimus: imo ipse DEUS; nec enim tanta virtute præditus, ac mentis compos te dicere DEUM potuisses, ni re ipsa DEI filius extitisses.

ARTICULUS V.

LOCUS A SIMILITUDINE, AC DISSIMILITUDINE.

§. I.

Præcepta hujus Loci.

I. Natura Loci. Similitudo est rerum disparium in aliqua re convenientia. Sic Christus Apostolos Luci comparavit: *Vos estis Lux mundi*: nam licet *Lux*, & *Apostoli* sint res diversissimæ; in eo tamen conveniunt, quod mundum illustrent. Dissimilitudo verò est: rerum duarum, aut plurium

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. IV.
§ II.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. V.
§. I.

um in aliqua affectione collata differentia. Ita *Salvianus* confert ambitionem cum charitate, explicata utriusque differentia: *Ambitio quædam finis est charitatis; charitas enim patiens est pro æternis; ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus; ambitio divitibus. Charitas omnia suffert pro veritate; ambitio pro vanitate. Utraque omnia credit, omnia sperat; sed longe dissimili modo.*

II. *Species hujus Loci.* Tres loci hujus præterea species dicuntur: I. est *Parabola*, sive narratio verisimilis, ad mores informandos idonea ob eam, quam habet cum re ad persuadendum assumpta convenientiam. Differt ab apologo, & fabula: quia licet hæ moribus instituendis æque conducant, sunt tamen narrationes penitus fictæ. Ut apud *Æsopum* conjuratio membrorum in ventrem. *Parabolarum* usus apud orientales, *Hebræos* præsertim, frequentior erat, idcirco *Christus* parum, aut nihil sine *parabolis* loquebatur eis. Ejusmodi sunt: *duo homines ascenderunt in Templum. Simile est regnum Cælorum decem Virginibus. Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.* Attendendum, ne *parabolæ* sint viliores, obscuriores, vel longiores. Optimæ erunt è sacris literis, aut è *Patribus* desumptæ adjecta apodofi, seu morali doctrina. Ut illa *Ambrosii* de *Cornicibus Ciconias* deductibus, in exemplum hospitalitatis adducta. *Exercitum, credas cum suis signis pergere*

gere; sic omnes viandi, comitandique, & præeundi ordinem servant. Cornices autem deducunt eas, ac dirigunt, velut quibusdam turmis stipatricibus persequuntur. &c. Postea subicit apodosim. Discant homines hospitalia servare jura, & ex avibus cognoscere, quid religionis hospitibus sit deferendum, quod obsequium deputandum. 2. Exemplum: quod est dicti alicujus, vel facti expositio. Magnum pondus habet ad persuadendum: cavendum tamen, ne exempla sint vilia, inepta, & anilia, qualia pleraque sunt, quæ incertis autoribus narrantur, sine circumstantiis loci, temporis, & personarum. Validiora sunt sacra, quam profana: præsertim si ex Scriptura, aut Patribus, vel ex Historia Ecclesiastica, aut ex vitis Sanctorum ab autoribus synchronis fuerint relata. Quomodo autem exempla Rhetorice sint ornanda, alibi dicemus. 3. Inductio: quæ est coacervatio multarum rerum similium, aut dissimilium, vel exemplorum, ad aliquid concludendum. Ut illa Gregorii Magni (r). Sic uva calcibus tunditur, & in vini saporem liquatur. Sic oliva contusionibus expressa suam amurcam deserit, & in olei liquorem pinguescit. Sic per trituram areæ à paleis grana separantur, & ad horreum purgata perveniunt. Quisquis igitur appetit plene vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare: ut tanto post ad Judicem mun-

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. V.
§. 1.

O

dior

r) Hom. 15. in Evang.

PARS I. *dior veniat, quanto nunc ejus rubiginem ignis*
 CAPUT. II. *tribulationis purgat.*

ARTICUL. V.

§ II.

III. *Ufus Loci.* Hic locus non eam vim habet ad probandum, quam ad ornandum, explanandum, ac illustrandum. Unde *Gallis* Oratoribus ratiocinationi assuetis haud est frequens: contra *Itali* amoeniore dicendi forma delectati venustissimis creberrime similitudinibus, ac exemplis suas dictiones aspergunt. Mihi autem ita videtur: cum similitudo lucis instar se habeat propositam veritatem illustrantis, pleni- que sint similitudinibus tam Scripturarum, quam Sanctorum Patrum libri; postquam solidis rationibus thema suum probaverit Orator, adhibeat etiam similitudines, & exempla ad rem suam, ut dixi, collustrandam factura, rudio- rem praesertim apud auditorem, similitudinibus (ut mea me docuit experientia) admodum capi solitum. Sit exemplum ex Segneri (s). *Gratiam* (ut dicimus) *Sanctificantem* pro Concione explicandam habes, quam si quoddam DEI donum esse dixeris, quod animam mirum quantum exornat, acabilem reddit ad divina opera peragenda, verum equidem dices; at veritatem hanc clariorem facies, cum similitudine hac illustraveris: *sicut ferrum, tamen si natura sit frigidum, grave, ac flecti nescium; mox tamen, ac ardenti foco fuerit injectum, ita candescit, ut non jam ferrum, sed ignis*

s) *In Instir. Paroch. c. 7.*

ignis esse videtur: fitque momento tractabile, ac idoneum omni formæ. Haud secus anima, licet naturæ viribus relicta nullum salutare opus efficere queat, Gratiæ tamen sanctificantis virtute instructa ita attollitur, ut opera divina, vires sibi congenitas multum superantia, valeat producere, atque illud Pauli usurpare: Non ego, sed Gratia DEI mecum. Denique valet locus similitudinis ad amplificandum; at de hoc alibi dicendum erit.

IV. *Fontes hujus Loci.* Ut locus hic suum pondus, ac pretium habeat, certis de fontibus fumatur, ac quibusdam conditionibus, ceu totidem legibus, instruitur. I. Similitudines, aut dissimilitudines non sint nimium viles, aut remotæ; sed populares, à rebus plerumque naturalibus ductæ, ut à Cælo, astris, agro, pratis, vineis arboribus &c. Sic Christus Apostolos luci, sali: Doctrinam Evangelicam semini: Ecclesiam agro, thesauro, ovili, vineæ: fideles arboribus, ovibus, palmitibus, se ipsum Pastori, vitæ assimilat. Ego sum Pastor bonus, ego sum vitis vera &c. Unde similitudinem excogitaturus Orator, videat, cum quibus naturæ rebus propositum suum directe conveniat. Si nihil ejusmodi repererit, ad ejus contrarium se convertat, cujus postea similitudine rem suam illustret. Hoc autem duplici modo institui posse docet *Manzador*: I. Si negetur rei cuiquam convenire proprietas, in ejus contrario reper-

O 2

ta;

PARS. I. ta; quod ipsum dein adumbret similitudi-
 CAPUT. II. ne, cum apodosi ad rem contrariam alla-
 ARTICUL. V. ta, vel sine illa. V. g. *Hic Vir tam se gra-*
 § I. *tum suis præbet benefactoribus, ut magnopere*
caveat (negatio proprietatis contrariæ)
ne beneficiis malefacta rependat, hominum ingra-
torum more (Contrarium) qui non secus (a-
podosis ad contrarium) adversus benefacto-
res suas exerunt linguas; quam vile trifolium
(Similitudo contrarii postposita apodosi)
adversus imbrem irrigantem acculeos exporrigit
suos. Vel sine apodosi. Hic ingratus ho-
mo nihil industriæ, & conatus adhibet (nega-
tio proprietatis in contrario repertæ) ut
de suis benefactoribus bene vicissim mereatur.
Dissimilis profecto (Similitudo contrarii si-
ne apodosi) Matri suæ telluri, quæ pro com-
misso sibi bono semine amplissimos reddere fructus
solet. 2. Utimur similitudine à contrariis
 petita, cum rerum duarum, vel plurium
 similitudinem, & convenientiam exhibe-
 mus quidem; sed in rebus prorsus opposi-
 tis. v. g. *Non sic piscis angitur in reti: nec*
avis in laqueo: quam Beata Catharina de Ric-
ciis in libertate. Hic piscis, & Catharina
 sunt duo similia in angore convenientia,
 at circa res prorsus oppositas, ac dissi-
 miles, libertatem nimirum, & captivita-
 tem. 3. Amœnior reddetur similitudo,
 si ab eruditione Historica, vel Philoso-
 phica rerum naturalium fuerit repetita: qua-
 les adhibent *Itali Oratores, ut Segneri, Cata-*
 neo.

neo. &c. Sit exemplum ex Cæsare (t) Calini. Herodotus memorat infortunium Pastoris cujuspian, cui nomen Evenii erat. Pascebat hic gregem ovium, quem superstitiosi Persæ cum Soli consecraverint, idcirco Solis oves appellaverunt. Accidit forte, ut Evenio sub meridiem indormiscente, vigil ad damna inferenda lupus agnum è grege rapuerit. Exciti canum latratu vicini, lupum quidem impune abire siverunt; incurio tamen pastori oculos eruerunt; indignum rati, ut is Solis lucem videat, qui se in custodiendis ejus oviculis præbuit negligentem. Ab Patres, Matresque familias! Divini Solis grex est familia vestra: oviculæ DEI sunt filii, ac filia vestra. En! centeni in eorum damna vigilant lupi, & vos dormietis? non attendetis? non vigilabitis? Cavete: ne vestri etiam oculi eruantur, id est, in tenebras exteriores conjecti nunquam Divini Solis lumen intueamini; cum DEI gregem curæ vestrae creditum neglexeritis; quem tamen si non potius, perinde saltem, ac oculos vestros curare debebatis. 4. Omnium elegantissimæ sunt ex Scriptura, vel ex Patribus depromptæ, vel saltem in apodosi eorum sententiis confirmatæ. Ita Segneri (u) peccatores peccatis suis inhærentes, Orygi Venatorum laqueis, dum capitur, indormienti assimilat, quod postea Isaia testimonio confirmat. Memoriam proditum est: certas in Africa belluas (quas Oryges dicunt) tauris silvestribus haud mul-

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. V.
§ I.

t) In Samu. rom. 1. Serm. 67. u) Serm. 1. Quadr.

PARS. I. *tum absiniles inveniri. Hæ tam stolidæ viri-*
 CAPUT. II. *bus confidunt, ut in ipsis (dum incidunt) Ve-*
 ARTICUL. V. *natorum retibus altum dormiant, nec ullo equo-*
 § I. *rum hinnitu, vel infesto canum latratu se si-*
nant excitari, ut se laqueis mature expedirent.
An non hæc est bruta temeritas? tanta profecto
quin major esse videtur audacia peccatorum.
Quid dico videtur? imo certum est oraculo Isaie:
dormierunt in capite omnium viarum, si-
cut Oryx illaqueatus, pleni indignatione
Domini (u) &c.

V. *Methodus usurpandi hunc Locum.*
 I. *Occulte in modum definitionis. Ut il-*
la Christi: ego sum via, veritas, & vita.
Semen est verbum DEI. Venite post me,
faciam vos fieri piscatores hominum. II.
Cum notæ similitudinis, aut dissimilitu-
dinis adduntur, sine probatione tamen,
& explicatione. Ut: ecce ego mitto vos, si-
cut oves in medio luporum. Venatione (x)
ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. III.
Cum similitudo, aut dissimilitudo suis parti-
bus, id est: protasi, & apodosi breviter al-
latis constat. Hæc autem apodosi jam præ-
it, jam sequitur protasim, sive similitudi-
nem: idque vel cum notis similitudinem
exprimentibus, vel sine illis. 1. Sequitur
cum notis. V. g. Prov. 25. 7. 20. Sicut ti-
nea vestimento, & vermis ligno; sic tristitia
viri nocebit cordi. 2. Sequitur sine notis.
Ut in illo Bernardi Sermone de S. Mich.
Equum

u) Isa. 51. v. 20. x) Jerem. Thren. 3. v. 52.

Equum indomitum flagella domant; animam im-
mitem contritio Spiritus, & lachrymarum. 3.
 Præit cum notis in allato supra de ingra-
 to homine exemplo. 4. Præit sine notis.
 V. g. *Magnæ animæ gravissimos casus sine sensu*
doloris ferunt: viles urticæ vix tactæ confestim
urunt. IV. Cum dictis constat partibus; sed
 fusius oratorie deductis. En exemplum
 Cæsaris Calini! *Observastis, (Prothasis) quid*
naturæ ductu agere soleant Struthiones. Hi
non incubant ovis aliarum volucrum more, sed
condunt sub arenam, oculis assiduo in locum de-
fixis. At quid putatis prodesse continuum hunc
intuitum? Est nonnemo Physicorum, qui igneas
quasdam particulas profluere docet ex oculis Stru-
thionum, quæ postea calore temperato dum am-
biunt ova; una ea feliciter excludunt. Ego
vero (si dicere fas est) totam hanc pullos exclu-
dendi virtutem à radiis solaribus provenire puto.
Si ita? Quorsum igitur spectat tam intentus ma-
terni oculi aspectus? sedulam nempe præstat vi-
gilantiam, ne ova ceterorum animalium pedi-
bis proterantur, aut à ventis abripiantur. Præ-
clara sane (Apodosis) Parentum idea! Recta
filiorum institutio, progressus eorum, sancta vi-
vendi disciplina, à radiis Divini Solis provenire
debet; attamen vos jugiter adfistere oportet, ne,
deficiente Vestra attentione, conculcentur à Dæ-
monibus, aut à vitiis abripiantur &c.

VI. *Ratio ornandi hunc Locum.* I.
 Per *Comparisonem*: cum similia, aut dissi-
 milia ad invicem conferuntur, atque utro-

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. V.
§ 1.

rumque convenientia, vel disconvenientia exhibetur. Sic exemplum ex Beato Fulgentio, dissimilitudinem Natalis Christi cum Natali Martyris Stephani conferente. *Heri celebravimus temporalem sempiterni Regis nostri natalem: hodie celebramus triumphalem militis passionem. Heri enim Rex noster trabea indutus, de aula uteri Virginalis egrediens, visitare dignatus est mundum: hodie miles de tabernaculo corporis exiens triumphator migravit in Cælum. Ille sempiternæ Divinitatis majestate servata, servile cinctorium carnis assumens, in hujus sæculi campum pugnaturus exivit: iste depositis corruptibilis corporis indumentis ad Cæli palatium regnaturus ascendit. Ille descendit carne velatus: iste ascendit sanguine laureatus &c.* 2. Per fictionem; cum fingimus nobis similitudinem, aut dissimilitudinem particula conditionali, vel aliis verbis fictionem indicantibus. Ita S. Basilius (y) suadet Baptisma non esse differendum: *Si servus hominum esses, & proposita esset servis libertas, nonne ad statam diem accurrisses, patronos conduxisses, & Judices invocasses, ut omni molimine in libertatem asseraris? --- Cum autem te servum non hominum, sed peccati, præco ad libertatem vocat, quo liberet te à captivitate, & Civem æqualiter cum Angelis faciat, & filium DEI te declaret per gratiam adoptatum, & hæredem honorum Christi, nondum tempus tibi esse dicis, ut quæ dantur, suscipias?*

O

y) Conc. Exhort. ad S. Baptisma.

O prava impedimenta! O turpem, & profanam occupationem! 3. Ornatur similitudo æque, ac dissimilitudo per Hypothiposim. Sic Cæsar Calini (2) describit hominem suspiciosum ducta ab equo pavido similitudine. For-
san accidit aliquando vobis, pavidum in rheda vel plaustro habere equum. Prob! quanta solitudine, quanta attentione, quanta anxietate curatur equus hujusmodi. Modo videtis eum caput altum erigere: mox repente oculos vibrare, ac subsistere: jam subito verti in latus, aut retrorsum ea vehementia; ut & vos, & semetipsum trahat in præcipitium: mox iterum tanto impetu fertur in cursum, ut ventum prævertere videatur. Quid porro timet? quis eum insectatur? quem fugit? folium nempe, frondem, aut saxum secus viam positum, vel panni centonem ab aura ventilatum; imo persæpe nescitur, cur paveat, nisi quod pavidus esse asseratur. Haud absimilis est ejusmodi equo homo suspiciosus. Hic etiam perinde subito conturbatus cernitur à jucundo hominum consortio recedere, nulli amicorum amplius fidere, sociis, vel familiarissimis, succensere. Quam vero ob rationem id agat, nemo ullus facile divinaverit: nam sæpe irascitur, & non est, qui ipsum offenderit: conqueritur, & non est, qui ipsum læserit: tristatur, & non est ratio, quæ illum turbaverit, nisi quia umbris agitur, suspicionibus torquetur, verbo: pavidus equus est, nulla arte consanandus.

O 5

§. II.

2) In Samuele Tom. 1. Serm. 68.

PARS I.

CAPUT. II.

ARTICULI V.

§. II.

§. II.

Paradigmata hujus Loci.

I. *Paradigma*. A simili per Inductionem, Parabolam, & Exemplum. *Thema*: Peccandi occasiones sunt fugiendæ. *Argumentum*: 1. Per fictionem ab inductione plurium similium, ut latronum, pestis, incendii, Colubri. 2. Per Hypothiposim à Parabola familiaris serpentis, Herum suum occidentis. 3. A collectione plurium exemplorum, maxime Josephi Ægyptii, per comparisonem.

EXERCITATIO.

Tametsi ex acie fugere, rem homines vulgo turpem, ac probrosam esse ducant; pugili tamen Christiano, cum bella adversus animæ hostes (carnem præcipue) geruntur, non est modo indecorum; sed persæpe in una fuga tota hominis salus, & victoria reposita esse videtur. In occasione peccandi (inquit (a) Augustinus) apprehende fugam, si vis invenire victoriam.

*Edicite quæso, (Inductio similium per fictionem) si locum quempiam latronibus infestum, aut peste, vel contagione infectum sciretis: si flamma domum repente vestram nocte corripere: si anguis, & coluber vos ex insidiis improvise invaderet: quid vobis videtur? an hujusmodi in periculis caput ultro interitui objicere-
tis? an silvam dictis atrociniis obnoxiam temere adiretis? nonne è flamma, & incendio vos con-
festim*

a) *Serm. 250, de Tempore.*

PARS I.

CAPUT. II.

ARTICUL. V.

§ II.

festim ejiceretis? quis vestrum uno, eodemve cubili securus auderet dormire cum serpente? Certe vel ad primum colubri, adhuc à longe positi, aspectum continuo fugeritis? En Christiani! Quid sunt peccati occasiones, nisi totidem latrones, quæ animam omnibus divinæ Gratiæ spoliant ornamentis? sunt incendia totum hominem quantum quantum est depascentia: sunt pestes, sunt colubri certissimam unicuique perniciem allaturi. Vis salvus, (Similitudo autoritate Scripturæ firmata) ac incolumis persistere? quasi à facie colubri fuge peccata, inquit (b) Sapiens, nec peccata modo, sed ipsa etiam, quæ serpentum instar sunt, pericula, haud dubio, ni fugeris, extremum tibi exitium importatura: Divini enim Spiritus dictum est: qui amat periculum, in illo peribit.

Refert Suidas (c) fuisse Philosophum, qui domi suæ usque adeo familiarem alebat serpentem, ut à suo eum latere nunquam dimiserit. Si iter fuerat suscipiendum (Hypothiposis) serpens comitem agebat: si animo indulgendum, maximum relaxationi campum dabat: si mensæ accumbendum, hunc unum hospitem, & convivam habebat, quem hominum insipientissimus suo ipsemet ore cibabat, manu leniter demulcebat, osculabatur, communi lecto thori velut socium adhibebat. Accidit tandem, ut graviore somno oppressus, cum forte in latus se converteret, serpenti incautus incubuerit. Hic tametsi fidissimum se hætenus socium præbuerit; quia tamen

b) Eccli. 21. v. 2. c) In voce Heraclides.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. V.
§ II.

men venenatus, nec lædi nescius serpens erat, offensus tam gravi pondere, lethali morsu beneficum ingratus ferit, ac extinxit Herun. Licet mihi jam ex vobis quærere Christiani (Scripturæ autoritate firmatur) cum Ecclesiastico (c): Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus, qui appropiant bestiis? Me equidem ne minima illorum miseratio teneret: veteri enim adagio admonemur: rem esse periculi plenam, viperam in sinu fovere; fovetis hanc Christiani toties, quoties peccandi pericula temere aditis: hanc noxiam familiaritatem non dimittitis: illam suspectam domum crebrius invisitis: cum ea muliere, fama, vita, moribus non æque probata, majori, quam par sit, licentia agitis: ne miremini, si venenati serpentis, idest Dæmonis, astu cum Eva, prima hominum parente, delusi, mortem vobis consciscatis.

Quare si vos aliqua salutis vestræ cura tenet, fugite pravas peccandi occasiones: quemadmodum eas omni cura, diligentia Sanctissimi semper (Inductio Exemplorum) fugere viri: fugit Jobus, qui alieno doctus malo (d) pepigi (ait) fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine: fugit Tobias, cum cæteri aureis vitulis sacrilegas victimas immolarent, hic solus (e) fugiebat consortia omnium, et pergebat in Jerusalem in templum Domini, & ibi adorabat Dominum DE-
UM

c) Eccli. 12. v. 13. d) Job. 31. v. 1. e) Tob. 1. v. 5.

UM Israel : fugit Hieronymus , qui se abdidit in
 eremum (f) ne me (inquit) capiat oculus
 meretricis , ne forma pulcherrima ad illi-
 citos ducat amplexus . Denique , ne multa
 referam , fugit Joseph Ægyptius , insigne illud
 tuendæ castitatis exemplar .

PARS I.

CAPUT. I.

ARTICUL. V.

§. II.

(Exemplum cum antithetis .) Hic
 cum esset pulcher facie , & decorus aspectu Ado-
 lescens , cepit Hera , turpi amore incensa , pri-
 mum blanditiis probissimum Juvenem ad flagitium
 pellicere , postea cum verbis nihil proficeret , ap-
 prebensa vestimenti lacinia castissimo illius pudori
 ausa est vim inferre . Quid tum Joseph ? no-
 verat illud sapientis : quasi à facie colubri fuge
 peccata , relicto (g) in manu ejus pallio fugit ,
 & egressus est foras . Vosne jam Christiani
 impune pericula adibitis , quæ tot Sancti cave-
 runt Viri ? Vos in occasionibus securi versabi-
 mini , quas illi cane pejus , & angue sunt aver-
 sati ? Vos tantum viribus , ac virtuti vestræ tri-
 buetis , quantum nec David , nec ipse Joseph , pro-
 digia Sanctitatis , ausi sunt tribuisse ?

Quisquis igitur animæ consulere cupis tuæ ,
 in occasionibus peccandi (repeto verba Augustini)
 apprehende fugam , si vis invenire victoriam . Si
 suspicam , hic etenim ex vero dici potest : in fuga
 salus .

II. Paradigma : A Dissimili per E-
 xemplum , & Inductionem Exemplorum .
 Thema : DEUS in peccandi periculis teme-
 re susceptis non adest hominibus præsi-
 dio

f) Adv. Vigilantium, g) Gen. 39. v. 12.

PARS I. dio suo. *Argumentum*: I. Ab inductione
 CAPUT. II. plurium exemplorum dissimilium, ut Saræ,
 ARTICUL. V. Rebecca, Josephi, Susannæ, quos in peri-
 § II. culis DEUS servavit quidem, sed non ultro,
 ac temere susceptis. 2. Ab exemplo Ju-
 dithæ, & Dinæ, per comparisonem, &
 antitheta. (i)

EXERCITATIO.

*Est non levis multorum existimantium opi-
 nio: DEUM, etiam in peccati periculis temere,
 ac ultro susceptis, sua præpotenti Gratia semper
 homini adfuturum. At licet DEUS Angelis
 suis mandaverit, ut nos custodiant in omnibus;
 hoc tamen præsidium non ubique, nec semper:
 non in præcipitiis, sed in viis; nec in viis qui-
 busque, sed in suis, quas adire necesse est, à Deo
 promissum habemus. Angelis (b) suis man-
 davit de te, ut custodiant te in omni-
 bus viis tuis, --- ne forte offendas ad lapi-
 dem pedem tuum, inquit David.*

*Inductio exemplorum. Non me latet
 quidem singulari DEI Maximi beneficio Saram
 intra Pharaonis, qui eam Abrahamo rapuerat,
 unguis incolumem perstitisse: Josephum è blan-
 ditiis Domine saluum effugisse: Rebeccam in
 domo Abimelechi, licet insane deperientis, inte-
 gram permansisse: Susannam in medio senum
 libidine ardentium nihil damni accepisse. Ve-
 rum nemo eorum se periculis ultro inconsulte ob-
 jecit: Sara enim, & Rebecca divino jussu, Jo-
 seph autem, & Susanna, si non necessitate, sal-
 tem*

h) Psal. 90. v. 11. i) Segn. serm. 16. Quad.

PARS I.

CAPUT. II.

ARTICUL. V.

§. II.

tem non sua voluntate, hæc discrimina adierunt. Non igitur miror eos singulari Divinæ Gratiæ præsidio fuisse protectos. At vehementissime admirarer, si vobis adesset, qui nulla charitatis, obedientiæ, gesti muneris, vel alterius cujuscunque necessitatis lege obstricti vosmet in pericula improvide conjicitis: vetus enim divini Spiritus (i) effatum est: qui amat periculum, in illo peribit.

Exempla Dissimilia. Comprobat rei hujus veritatem ingens illud, quod Judith inter, ac Dinam, Jacobi filiam, discrimen intercessit. Judith (ut nostis) multo vestium apparatu, exquisita formæ elegantia ad luxum composita superba Holofernus castra accessit: illic complures morata die, omnium, Holofernus præcipue, amorem in se traxit. Dina autem in fratrum consortio ad Salein Urbem appulsa, parumper è papilionibus excessit, ut innocenti curiositate videret (k) mulieres regionis illius. At vix columba hæc nidum deseruerat; continuo in accipitrem, regionis nempe illius principem, aspectu incidit, & confestim ingens læsæ pudiciticæ detrimentum fecit. Quæretis ex me, non dubito Auditores: unde acciderit, ut Dina, longe minori in periculo posita, gravissimam; Judith vero in gravissimo nulam suæ integritatis jacturam subierit? Nonne Judith (Antitheta) integro se armatorum exercitui miscuit? Dina autem fallendi temporis gratia paullum è tentorio exiit: Judith cum Viris procacibus conversata fuit; Dina peregrinas
solum

k) Ecclj. 3. v. 27. I) Gen. 34. v. 1.

PARS I. *solum mulieres visum iuit: Judith & videri,*
 CAPUT. II. *& amari voluit; Dina nll eorum vel cogitavit.*
 ARTICUL. V. *Et tamen infelix Dina turpiter cecidit: Ju-*
 § II. *ditib autem gloriosetriumphavit. Quæ, oro, tan-*
ti discriminis causa esse potest? dicam; sed men-
tem attentius huc advertite. Solet nempe DEUS
majori longe cura eos protegere, qui DEI cau-
sa pericula suscipiunt, quam qui propria lididin:
eadem ultro accersunt. En salva perstitit Ju-
ditib, quoniam non pravo animo, sed ex virtute:
non suo, sed DEI consilio, liberandæ nimirum
patriæ amore compulsæ, in castra processit: Di-
na vero muliebri solum curiositate ducta, Urbem
est ingressa, ut videret mulieres regionis
illius, ac idcirco ingens suæ pudicitiaë naufra-
gium fecit.

Discite Christiani, discite, temere non adi-
re pericula: præsto quidem semper est DEUS,
& nostræ dogma est fidei, in omni tentatione
resistendi, vincendique gratiam conferri; verum
in ea solum occasione, in quam vel necessitas,
vel proximi charitas, vel divina conjicit provi-
dentia; non vero cui nostra nos sponte implicat
libido, superba adducit temeritas; Divina etenim
lege constitutum est: qui amat periculum, in
illo peribit.

III. *Paradigma: A simili per me-*
thodum quadruplicem. Thema: Eleemo-
fyna est ars certissima ditescendi. Argu-
mentum: quia eleemosyna est æs Deo, fœnori
elocatum. Quod quadruplici tractandæ simi-
litudinis methodo deducitur.

EXER-

EXERCITATIO.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTIC. V.
§ II.

Si avari noſſent mortales, quam tuta, facilis, ac certa ditescendi ars sit eleemoſyna, nunquam proſecto pauperibus tam ſe duros, ac difficiles exhiberent.

Similitudo in modum definitionis. *Quid enim eſt eleemoſyna, quam æs quoddam, ſive pecunia, Deo, ſupremo Domino, in ſænus elocata? Credite Auditores, (Sine notis, cum apodoſi præpoſita) quoties acerbam egenorum ſortem miſerati, eorum inopia occurritis; toties datos mutuo nummos, Domino ſænori elocatis. Non meum, ſed Divini Spiritus eſt oraculum: ſæneratur Domino, qui pauperis miſeretur. Quasi diceret (cum notis, & apodoſi poſtpoſita) quemadmodum, ſænerator eo pecuniam elocat ſuam, unde commodati æris ſummam amplo cum fructu recipere queat; ita cum egeſtate preſſos erigitis, nummis veſtris quaſi ſænus exercetis. Nolite igitur exiſtimare, rem veſtram familiarem in anguſtias redigendam, ſi pauperibus, pro facultate veſtra, benigne faciatis. Nonne ſæneratori (breviter oratorie deducta, cum apodoſi, ſine notis) æs quod commodat: frumentum, quod mutuum dat, totum ſubinde in arcas, & crumenas redit? Et eleemoſynam pauperibus collatam, cum ipſi Chriſto conferatur, nequaquam redituram putatis? quin imo nudos operturi, vos ornabitis: eſurientes recreaturi, vos aletis: triclinia, cellas exbauſturi, amplioribus ea ſupplementis reſcietis. Intueamini mulierem illam, (Exemplum) quæ panem tametſi copioſum coxiſſet Eliæ, nunquam tamen bydriam ſuam vidit farina deſtitutam (ſine apodoſi)*

PARS I. si) fontis instar, unde quo plus aquæ hauritur, eo
 CAPUT. II. purior, largiorque prorumpere solet.

ARTIC. VI.

§ 1.

Quare advertite mentem avari mortales, si diti-
 scere, si fœnus securi vultus exercere, estote miseri-
 cordes, sublevate pauperes, aperite crumenas, re-
 serate arcas. Scitote: Domino fœneratur, quis-
 quis pauperis miseretur.

ARTICULUS VI.

LOCUS AB OPPOSITIS.

§ I.

Præcepta hujus Loci.

I. *Natura Loci, & argumentandi ratio.*
 Opposita sunt, quæ in eodem subjecto es-
 se non possunt; vel si fuerint necessario
 inter se pugnant. Quinque sunt eorum
 species. 1. *Adversa*, sive contraria, quæ
 sub eodem genere habitus, vel affectionis
 posita maxime distant, seque mutuo expel-
 lunt. Ut: justus, & peccator: castitas,
 & libido &c. In his affirmato uno, negatur
 alterum, & vicissim, si nullum medium inter-
 veniat. *Si quis dixerit, quia diligo DEUM, &*
fratrem suum oderit, mendax est. 1. Joan. 4.
 v. 20. Item: contrariorum contrariæ sunt
 rationes. Ita Paulus (m): *Verbum crucis pere-*
untibus quidem stultitia est; iis autem, qui salvi fi-
unt, & Dei virtus. 2. *Repugnantia*, quæ sibi
 opponuntur quidem; non tamen immediate;
 sed vel in causa, vel in effectu, proprie-
 tatibus, aut adjunctis. Ut si duo contra-
 ria

m) 1. ad Cor., 1. v. 18.

ria sumeres, verbi causa, gratiam, & peccatum; peccatum secundum se, gratiam vero secundum effectus, aut causas &c. tunc gratiæ effectus, quia repugnant peccato, & vicissim, vel etiam ipsi effectus inter se, erunt duo repugnantia. Ex istis ubi unum est, alterum esse nequit. Si peccatis contaminatus es, O homo! qui, oro, sperare potes, ut filius, & hæres DEI, cohæres Christi, divinæ consors naturæ dici queas? An non peccata reddunt peccatorem filium iræ, mancipium Diaboli, inimicum DEI? &c. Item Hieronymus (n): crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, & oblatos cibos, blandasque, & dulces literulas sanctus amor non habet. Præterea: quod uni tribuitur, illud alteri convenire nequit. Qui ex DEO est, verba DEI audit; propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis. Joan. 8. v. 47. Relata, quæ inter se ita referuntur, ut unum sine altero nequeat intelligi. Unde posito, aut negato uno, ponitur, aut negatur alterum. Chrysostomus (o). Vide, & Petrum Ecclesiæ columnam, quia & ipse habuit uxorem. Unde ergo liquet, quod uxorem habuit? ingressus est JESUS ad socrum Petri, & erat illa infirma, & tetigit eam, & reliquit eam febris, & stetit, & ministravit. Vides! quod & Petrus uxorem habuit. Ubi enim Socrus, manifestum, quod ibi

P 2

&

n) Epist. ad Neporianum. o) Serm. contra Jud. Gentiles, & Hæret. de Evang. Nuptiæ factæ sunt.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. VI.
§ I.

§ Uxor --- Ne incuses nuptias. Dein cui convenit unum relatum, alterum convenire nequit secundum eandem rationem. Ut Christus Matth. 22. v. 45. Si ergo David vocat eum (Christum) Dominum, quomodo filius ejus est? Denique quod dicitur, aut negatur de uno ex relatis; dicitur, & negatur etiam de altero. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & magister, inquit Christus, & vos debetis alter alterius lavare pedes. 4. Privantia, quorum unum est habitus, sive forma in subjecto habita, & existens; alterum vero est privatio, sive ejusdem formæ in subjecto capaci absentia. Ejusmodi sunt, vita, & mors: lux, & tenebræ: vestitus, & nuditas. Ita Paulus (p) eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. 5. Negantia, quorum unum affirmat, alterum negat de eodem subjecto. Ut sapiens, insipiens: probus, improbus &c. quæ vulgo contradictoria dici solent.

II. Usus Loci. Ingens oppositorum est usus. I. Valet ad probandum: affert enim rei oppositæ definitionem, partes, simile, causas, effecta, comparisonem, ita ut de quibus fontibus laudatur unum ex oppositis, vituperatur alterum. Sit exemplum: probandam suscepisti hanc sententiam: Deus superbis resistit, argumento à definitione; quia superbi sunt fures, imo publici raptores, qui DEO rapiunt laudem,
glo-

p) Ad Epbes. 5. v. 8.

gloriam, & existimationem, ei soli debitam: poteris ex eodem fonte ex adverso probare: *DEUS humilibus dat gratiam*; quia humiles sunt servi fideles, omnem, quæ uni debetur DEO, gloriam, & laudem fideliter reddentes. 2. Ornant Orationem: nam potissima acuminum, & argutæ dictionis subtilitas ab hoc fonte promanat: quæ ob pugnam, & contentionem contrariorum mirifice audientes oblectat. Cavendum tamen, ne admodum sit frequens, tunc enim fastidium adferet. Quid ornatius, ac illud Salviani (q) *O infelix, & miseranda conditio! bonis suis aliis præparare beatitudinem; sibi afflictionem: aliis gaudia; sibi lachrymas: aliis voluptatem brevem; sibi ignem perennem.* 3. Deservit amplificationi.

III *Modus tractandi hunc locum.* Tribus autem modis instituitur hæc ab oppositis amplificandi ratio. 1. Cum verba verbis opponuntur. Ut Paulus (r): *Spectaculum facti sumus mundo, angelis, & hominibus: nos stulti propter Christum; vos autem prudentes in Christo: nos infirmi; vos autem fortes: vos nobiles; nos autem ignobiles: --- maledicimur; & benedicimus: persecutionem patimur; & sustinemus.* Item S. August. (s): *Suscepit eum Martha; sicut solent suscipi peregrini; sed tamen suscepit famula Dominum: ægra Salvatorem: Creatura Creatorem: suscepit autem Spiritu pa-*

P 3

scenda

q) Salvian. l. 3. ad Ecc. r) 1. ad Cor. 4. v. 10.

s) Hom. in c. 10. Matth.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. VI
§ I.

scenda, carne pascendum. 2. Cum membra membris opponuntur. Ita S. Ambr. in persona Christi (t): *Non est meus, quem libido succendit; quia mea est castitas. Non est meus, quem cura minores spoliandi exagitat, quia mea est largitio. Non est meus, quem aura Nobilitatis inquietat; quia mea tranquillitas est. Pax sum ego; litigare non novi.* 3. Cum periodi periodis opponuntur. Ut Chrysofomus (u): *Ergo ubi conspexeris divitem veste ornatum, auro superbum, curru vectum, incessus magnificos incedentem, ne hominem beatum dixeris: temporariae enim divitiae, & quidquid bonum esse videtur, una cum vita hac corrumpitur. At monachum ubi videris singularem, humilem, mansuetum, quietum, pacificum, hominem emulare, fac videare emulato Philosophiae ipsius, fac preceris justis similis - - - Haec enim vere sunt bona salutaria, justa propter Christi benignitatem, ac prudentiam.*

IV. *Modus ornandi hunc locum.* I. Ornatur hic locus per antitheses, sive contraposita, et, per comparisonem: ut Hieronymus (x): *Tibi placet lavare quotidie: alius has mundities sordes putat. Tu attagenem ructas, & de comesto accipensere gloriaris: ego faba ventrem impleo. Te delectant, caccinnantium greges: me Paula, Melaniaque plangent. Tu aliena desideras: illae contemnunt sua. Te delibuta vina delectant: illae putant aquam fri-*

t) In Psal. 118. u) Libello de comparatione Regis, & Monachi. x) Epist. ad Asellam.

frigidam suaviorem. &c. 2. Per apertam similitudinem, aut dissimilitudinem. Ut: quemadmodum superbia homines DEO reddit inmane quantum invisos, ita magnopere gratos, & acceptos facit humilitas. 3. Usurpantur opposita, maxime in exordiis, per particulas adversantes: etsi, tametsi, equidem, quamquam, quibus subjunguntur atamen, tamen, at, sed, &c. Tametsi mundus plerumque homines opibus potentes, honoribus superbos, deliciis affluentes, felices, ac beatos existimet, at sapientissimus rerum arbiter DEUS, cujus in conspectu mundi hujus gloria est vanitas: divitiæ paupertas: superbia contemptus: deliciæ miseriæ: honor ignominia, nullum infelicitus, ac istud mortalium genus esse dicit. 4. Ornatur figura interrogationis. Ut illud Ambrosii (y): Quid ei dzerat, cui DEUS aderat? quis tam potens in suo domicilio, quam iste in alieno? quis tam abundans in ubertate, quam iste in fane? quis tam fortis in juventute; quam iste in senectute? 5. Per subjectio- nem, quæ multipliciter institui potest. 1. sine interrogatione cum particulis adver- santibus: at, sed, tam per affirmationem, quam per negationem. Cyprianus (z): Non fovetur culcitris corpus molliter; sed refri- gerio, & Christi solatio fovetur. Humi ja- cent fessa laboribus viscera; sed pœna non est cum Christo jacere. Squallent sine balneis mem- bra situ, & sordè deformia; sed spiritualiter

P 4

intus

y) De Jacob. l. 2. c. 9. z) Epist. 77.

PARS I. *abluitur, quod foris carnaliter sordidatur.* 2.
 CAPUT. II. *Cum interrogatione sine particulis.* Ita
 ARTICUL. VI. Paulus (a): *alligatus es Uxori? noli quærere*
 §. I. *solutionem. Solutus es ab Uxore? noli quære-*
re uxorem. 3. *Cum interrogatione, &*
particulis simul. Ut Hieron. (b): *pauper-*
tatem times? sed beatos Christus pauperes ap-
pellat. Labore terreris? at nemo athleta sine
sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides fa-
mem non timet. &c. Idem: (c) *cum inter-*
rogatione, & particula et repetita: Erras
Frater, erras, si putas unquam Christianum per-
secutionem non pati. Tunc maxime oppugnaris,
si oppugnari nescis. Adversarius noster tanquam
Leo rugiens, aliquem devorare quærens, circumit;
Et tu pacem putas? sedet in insidiis cum diviti-
bus, ut in occultis interficiat innocentem; Et tu
frondosæ arboris umbraculo tectus, molles so-
mnos futurus præda carpis? &c. 5. Speci-
 atim in confutationibus tractantur repu-
 gnantia, cum non singula singulis (ut ante
 diximus) sed multa quasi conglobata alte-
 ri opponuntur. Quod fieri potest vel per
 figuram interrogationis, vel sine illa cum
 particulis *at, atqui, cur, quia,* vel rela-
 tivis *qui, cui, quem* sæpius repetitis. Juvat e-
 xemplis declarare: *Ille DEUM vitæ, sa-*
lutisque suæ authorem odio prosequitur? qui pre-
ces fundit DEO assiduas, qui virtutem colit,
qui nullum pietatis, nullum religionis opus præ-
ter-

a) I. ad Cor. 7. v. 27. b) Epist. ad Heliodor.

c) Ibidem.

termittit. Item: Odii in supremum moderato-
 rem DEUM insinulatur, at illi Sacrificia pi-
 us offert, at templa diligenter adit, at scelus
 omne detestatur. Si proximum amas, cur igi-
 tur eum insectaris? cur injuria laceffis? cur ja-
 centem erigere non conaris? &c.

PARS I.

CAPUT. II.

ARTICUL. VI.

§ II.

§. II.

Paradigmata hujus Loci.

I. Paradigma: ab adversis. Thema: su-
 perbia est DEO invisa. Argumentum à con-
 trariis rationibus: quia humilitas est DEO
 acceptissima, quod per triplicem amplifi-
 candi modum tractabitur.

EXERCITATIO.

Opposita per similitudinem. Quem-
 admodum DEO, potentissimo illi rerum Mo-
 narchæ, grata semper, & accepta est hominum
 humilitas; ita summæ illius Majestati magno-
 pere invisa, ac detestanda est hominum superbia.

Conferte, ingentia illa divini amoris ar-
 gumenta, quo plerumque humilium animos pro-
 sequitur DEUS, cum ea agendi ratione, qua
 fertur in homines fastu, ambitione, ac superbia
 tumentes, quam disparem longe, & prorsus op-
 positam humilium, ac superbiorum conditionem in-
 venietis. (Oppositio membrorum) DEUS
 humiles tenerrimo semper affectu complectitur;
 superbos odio plusquam Vatiniano averfatur. O-
 dibilis coram DEO est, & hominibus su-
 perbia, inquit (d) sapiens. DEUS humiles,
 quo se deprimunt magis, eo attollit altius; contra

O 5

super-

c) Eccli. 10. v. 7.

PARS I. *superbos, quo se attollunt amplius, eo deprimit*
 CAPUT. II. *profundius. Christi namque (e) dictum est:*
 ARTICUL. VI. *omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui*
 § II. *se humiliat, exaltabitur. DEUS superbis,*
sive velut gloriæ hostibus insensissimis, ubi ubi
potest, acerrime obsistit; humilibus, tanquam
fidelissimis ejusdem gloriæ custodibus, amplissi-
mam, quam potest, gratiam impertitur. DE-
US humilium vota, ac preces benignus cum A-
bele suscipit, superbiorum cum Caini sacrificio ne à
longe quidem cognoscit. DEUS superbos, tamen-
si potentes, deponit de sede: humiles, licet egenos,
& pauperes, suscitatur de pulvere, & elevatur de
stercore, ut sedeant cum principibus, & solum
gloriæ teneant. Verissime dixisti Bernarde!
tanto fit quisque pretiosior DEO, quan-
to propter eum fit vilior.

Oppositio periodorum. *Quid enim est*
DEUS? nunquid summa est, quæ esse potest,
in Orbe majestas? cui omnis laus, omnis honor,
omnis uni debetur gloria: quem Angeli adorant,
suspiciunt throni, venerantur potestates. Quid
contra est homo? nunquid est pulvis? nunquid
cinis? nunquid quasi nihilum comparatus ad
DEUM. Substantia mea quasi nihilum an-
te te inquit David. Huncne ergo (opposi-
tio verborum) insolentius efferris; se contem-
ni: hunc crescere; se minui: hunc ambitiosius
gloriaris; se despiciatui haberi sustinebit? Quin
teste Isaia: gloriosos terræ (ait) humiliabo.
Ubi enim fuerit superbia, ibi erit & con-
tumelia, inquit Sapiens. Re-

Revocate, si libet, in memoriam infelicem, ac tristissimam Luciferi, & ejus sociorum Angelorum sortem. (Iterum oppositio periodorum) Quid, oro, nobilissimos hos spiritus, præcellentibus naturæ, & gratiæ præditos ornamentis, jam in cælo, beatorum nunc sed, locatos, rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos? dicetis: fastus, superbia, ambitio. Ita equidem! conscendam super astra; & exaltabo folium meum, & similis ero altissimo ajebat Lucifer. Quid contra Saullem, hominem (ut ipse confitetur) de minima tribu Israel, cui cognatio erat novissima inter omnes familias de tribu Benjamin, & tamen illo ipso, cum Patris asinas quæreret, tempore in regium evexit folium? dicetis: humilitas. Verissime! scriptum est etenim: nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es, unxitque te Dominus in Regem super Israel.

Ite jam superbi mortales! si DEO invisi, si odiosi, si detestabiles, si execrandi esse cupitis, fastui, ambitioni, superbiæ vestræ, per me licet, quantum volueritis, indulgete. Veniet ætas, erit tempus, cum humiliabitur superbia Assur. Ut enim humilitas virtus est DEO gratissima; ita superbia vitium est summe detestandum.

II. *Paradigma: à Repugnantibus. Thema: Lex Evangelica nequit non esse sancta, & Divina. Argumentum: I. ab effectis repugnantibus: quia repugnat, ut lex*

PARS. I.

CAPUT. II.

ARTICUL. VI.

§ II.

PARS I. ea non sit sancta, quæ præcipit frænare cupiditates, contemnere divitias, amare inimicos &c. 2. A causis repugnantibus: quia repugnat, ut legem tam difficilem, & arduam hominibus voluptati, ac mundo deditis persuadere potuissent homines viles, duodecim nempe piscatores &c. 3. Ab adjunctis repugnantibus: quia eam toti orbi persuaserunt, & quidem inter acerbissimas insectationes, tormenta, mortes, quas lætissimi subiverunt.

EXERCITATIO.

Nunquam poteram, ne modo quidem admirari possum satis, tantam in hominibus Judæis, & Paganis cæcitatem, ac pervicaciam reperiri posse, ut clariorem ipsa luce legis Evangelicæ veritatem non in dubium modo vocare; sed omnem omnino ei fidem, sanctitatem; divinitatem audeant abrogare. Si uspiam, hic certe, illud Pauli comprobatum reperio (d): animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI.

Repugnantia ab effectis. Agite: illudne sanctum non esse debet? (per congeriem cum repetitione relativorum) quod coercere libidines, quod moderari cupiditates, quod injurias pati, quod animo præcipit dominari. Hocne Divinum non est? (oppositio verborum cum congerie, & repetitione) quod opprobriis honores, quod odio amorem, quod malefactis benefacta rependere jubet. Nunquid mundus suadet

d) 1. ad Cor. 2. v. 14.

det (oppositio membrorum cum repetitione , & congerie) inimicos averfari ; lex autem Evangelica diligere ? mundus opibus accumulandis inhiare ; lex Evangelica contemnere ? mundus deliciis , ac voluptatibus indulgere ; lex autem Evangelica carnem docet castigare ? O Divinam Christianæ legis doctrinam ! quam universus agnoscit orbis , cui summi parent Reges , ac Principes , quam Sanctissimi consecantur Viri .

PARS I.

CAPUT. 12.

ARTICUL. VI.

§ II.

Repugnantia à causis. *At ex me quaeritis : quibus artibus , ac rerum adminiculis factum fuerit , ut homines voluptati , ac mundo dediti legem adeo naturæ adversam , moribus repugnantem , læti nihilominus amplecterentur ? An sapientum quempiam (Subjectio) Platonem , vel Aristotelem eo adhibitum fuisse putatis ? ut suscipiendæ illius necessitatem validissimis rationum momentis mundo demonstraret ; at ipsius Platonis exemplo docemur , leve in his præsidium esse , ubi morum agitur emendatio : cum omni Philosophiæ autoritate ne vel unum vicum potuerit legibus suis adstrinxisse . An Tullius quispiam , aut Hortensius , Principes Romanæ eloquentiæ Oratores , in Concionem assurrexerint , qui sermonis elegantia legis Christianæ dignitatem hominibus persuaderent ? at scimus Pauli testimonio Divinæ legis prædicationem non in sublimitate sermonis , nec in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis ; sed in ostensione spiritus , ac virtutis fuisse perfectam . An potentiorum unus aliquis Imperatorum , qualem*
fuis-

PARS I. fuisse memorant Julium, vel Augustum, ar-
 CAPUT. II. mis populum coegerit ad eam amplectendam? sed
 ARTICUL. IV. infirma mundi (inquit Paulus) elegit DEUS,
 §. II. ut confundat fortia, duodecim nempe Aposto-
 los, homines ignobiles, rudes, imbecilles, suis
 etiam vitiis obnoxios Piscatores, quos Divina
 ab alto virtute imbutos in mundum dimisit uni-
 versam Christi jugo subjiciendum. Quod etiam,
 quis credat? feliciter perfecere, (oppositio
 verborum) non armis, sed patientia: non o-
 pibus, sed penuria: non consilio; sed imperitia:
 non humana potentia; sed DEI virtute. Vix
 enim altissima (oppositio membrorum cum
 particula &) annunciabant mysteria nostram lon-
 gissime rationem excedentia; & continuo fidem
 invenerunt. Vix prædicabant legem hominum
 naturæ, & appetitionibus prorsus contrariam;
 & confestim eam admittebant. Vix sapienti-
 bus hujus sæculi, hominibus mundo, & carni ad-
 dictis proponebant; & eam illico recipiebant.
 Quod sane summum divinæ potentie argumentum
 esse debet.

Repugnantia ab adjunctis. Nondum satis.
 Cum lex Evangelica sic in orbem latius sparge-
 retur ab his duodecim, ut mundus existimaret,
 homuncionibus, innumeros nata est adversarios.
 Obstiteret huic falsorum Numinum cultores popu-
 li, bellum indixere Principes, artes omnes, &
 machinas, ut suo eam in ortu penitus succide-
 rent, ad novere Imperatores. Huc catastas,
 & equuleos: huc crucis, & flagella: huc rotas,
 & ferventia picis, aut liquati plumbi balnea:
 huc

huc ardentibus craticulas, & rogos, Neronis furor, Decii crudelitas, Diocletiani rabies, Trajani inmanitas adhibebant. At frustra. Vel inter vexationes lex Christi tanto altius cepit radices defigere; quanto acrius jactabatur, ut sanguis Martyrum (teste Tertulliano) semen fuerit Christianorum, eo plurimum, quo complurimum sanguis copiosius fundebatur. Succrescebat inde, velut à semente, Religio Christiana quam latissime non per Judæam solum, ubi exorta est, sed ad extremum usque orbem porrecta, ut Hieronymi ætate non à Barbaris modo, sed à cultissimis, ac doctissimis etiam gentibus in aulis Principum, in palatiis Cæsarum, prodigii instar lex Christi haberetur.

PARS I.

CAPUT. II.

ARTICUL. VI.

§ II.

Quis igitur tam cæcus, ne dicam vesanus, reperietur? qui legis Christianæ veritatem negabit, sanctitatem non venerabitur, divinitatem non agnoscet. Hic certe, sicubi, dexteræ virtus est excelsi: à Domino enim factum est istud, & est mirabile in oculis nostris inquit David.

III. *Paradigma: à Relatis. Thema: Sanctus Josephus fuit verus Christi, non quælem natura, sed jure, Pater: summis gratiæ donis instructus. Argumentum: à relatis: quia Josephus fuit verus Mariæ conjux, de qua natus est Christus, fons omnis gratiæ, & sanctitatis.*

EXERCITATIO.

Per particulas adversantes. Quamquam Divum Josephum Sanctissimum Christi Nutritium

PARS I. *trium nihil quidquam opere eo contulisse sciam, ut*
 CAPUT. II. *DEI Filius Virginis utero conceptus orbi na-*
 ARTICUL. VI. *sceretur; attamen cum Joseph verus Mariæ Chri-*
 § II. *sti Parentis conjux fuerit, nisi mea me fallat*
opinio, certum mihi compertumque est: Josephum
vere Christi, non quidem natura, sed jure Pa-
trém, & Christum à Josepho non natura; sed
jure, filium dici potuisse suum.

Relata. Hic ego vos compello celeberrimos
Juris Consultos, qui civilium institutionum
doctrina floretis: Baldos, Balsamones, cæteros-
que præstantiores veteris æque, ac recentioris
ævi legum peritos. Fidem, oro, perhibete: an non
communis hominum lege constitutum sit? ut quis
fructus cujuspiam jus, ac dominium obtineat,
haud oportere, ut eum inseverit, vel plantave-
rit, vel alia quacunque demum ratione ei prog-
ignendo laborem, ac industriam adhibuerit; sed sa-
tis esse, ut in solo, & agro suo, sive telluris
fœcunditate sponte nascatur, sive divinitus Cæli
prodigio illic procreetur, jam illico unusquisque
dicere poterit fructum esse suum. Si ita? re-
peto: tametsi Josephus nihil omnino contulerit ad
Christum, fructum illum divinissimum, in Ma-
riæ utero, tanquam in terra Virgine, grandi
DEI præpotentis miraculo progignendum, dicite
tamen, an non ille soli hujus, ac fundi Domi-
nus erat? nihilne juris, ac potestatis in eum ha-
buerat? Certe si Paulo fidem habemus: est ea vis,
& ratio conjugii, dum Vir, ac mulier in com-
munem vitæ societatem coalescunt, ita unum
quoddam corpus efficiuntur, ut neuter in suum
uter-

uterque in corpus alterius obtineat dominatum; FARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. VI.
§ II.
tametsi postea mutua animorum consensione fieri possit, ut neuter jure suo uti velit. Mulier (inquit Paulus) non habet sui corporis potestatem; sed vir: & similiter vir non habet sui corporis potestatem, sed mulier (e). Si igitur fundus iste, in quo DEI filius, nobilissimus ille Cæli fructus, procreatus est, vere Josephi ager, ac fundus erat, quis negaverit Christum à Josepho, licet non natura, attamen jure vere fructum, ac idcirco filium dici potuisse suum.

Relata. Agnoscite jam Auditores excellentiam Josephi! Videte nobilissimam Viri conditionem! Si Josephus Christo, qui omnis gratiæ, omnium sanctitatis principium, & origo est, tam arcte conjunctus erat, ut eum suum agnoscere, suum vocare, illo, velut suo, frui poterat, cui, oro, verisimile videri queat? Josephum non esse Virum præcellentissimum, non summis Divinæ Gratiæ prærogativis exornatum. Quis unquam prædivite quapiam fodina potitus est, & tamen auri penuria laboravit? Quis sua in potestate fontem uberrimum habuit, & tamen aquæ indigus erat? Quis locupletissimum quoddam possedit emporium, & tamen mercibus caruerat? Talem enimvero, Auditores, Josephum diceretis, si in manu, ac dominatu suo omnis gratiæ, omnium cæli thesaurorum arcam habuit, nec tamen ingentibus DEI donis, ac prærogativis ab eo instructus fuit. (f)

Q

ARTI-

e) Ad Corinthios 7. v. 4. f) Segn. serm. 39. Quadr.

ARTICULUS VII.

LOCUS AB ADJUNCTIS

§ I.

Præcepta hujus Loci.

I. *Natura, & usus Adjunctorum.* Adjuncta sunt ea, quæ rei, de qua agitur, non necessario, sed probabiliter solum adjunguntur. Vocantur etiam *circumstantiæ*, item *attributa*: quia rebus, quas circumstant, attribui solent. Frequentissimus est eorum usus, & Oratori maxime necessarius; cum nulla pene, quocunque in genere, Orationis pars sit, cui non deserviant. Et quidem 1. Servit ad Orationis divisionem facilius instituendam, cujus exempla jam ante dedimus. 2. Ad faciendam fidem, tam per affirmationem, quam per negationem, in statu saltem conjecturali. Ita *Hieronymus* negat esse Monachum, sæpius de pecunia loquentem (g): *Quem senseris tibi aut semper, aut crebro, de nummis loquentem, excepta eleemosyna, quæ indifferenter omnibus patet, institorem potius habeto, quam Monachum.* 3. Ad laudem, & vituperium: hæc enim ex tribus potissimum bonorum, aut malorum, fortunæ nimirum, animi, & corporis generibus, in adjunctis plerumque consistentibus, oriuntur. 4. Servit ad amplificandum, maxime in definitionibus, descriptionibus, hypothiposibus, in quibus concinnandis mire excellunt *Itali* Oratores.

II.

(g) *Epist. ad Paulinum.*

II. *Species Adjunctorum.* Adjuncta alia sunt *antecedentia*, alia *consequentia*, alia denique *comitantia*. Antecedentia rem antecedunt: ut causæ, consilia, injuriæ illatæ, vel acceptæ, consuetudo, minæ, susceptum iter, familiaritas, colloquia, animi propositum, conventicula, omnis denique ad rem aliquam apparatus. Qualis in extremo judicii die erit: *Surgent Pseudo-christi, & Pseudo-propheta, dabunt signa, & prodigia: sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum: stellæ cadent de Cælo, & virtutes Cælorum movebuntur: parebit signum filii hominis cum potestate magna, & majestate, qui mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos.* Consequentia sunt, quæ rem gestam consequuntur: ut pallor, rubor, incessus titubans, frequens anhelitus &c. Item in morte Christi: *Sol obscuratus est: factæ sunt tenebræ super universam terram: terra mota est: velum templi scissum est in duas partes: monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: Centurio glorificavit DEUM, denique omnis turba, qui simul aderant ad spectaculum, percutientes pectora sua revertebantur.* Comitantia sunt, quæ rem ipsam, vel personam, aut actionem aliquam comitantur, ut in Christi crucifixione: *cum ligno infami, duos inter latrones, innumero spectante populo, Paschatis die, ex invidia Judæorum, nudus Cruci fuerat affixus.* Hoc igitur comitantium adjunctorum genus aliud est

PARS I. *personarum*, aliud *actionum*, aliud denique
 CAPUT. II. *affectuum*, de quibus seorsim agere libet.

ARTICUL. VII.

§ I.

III. *Adjuncta Personarum*. Inter adjuncta personarum referuntur: genus, natio, patria, sexus, ætas, educatio; habitus corporis, fortuna, conditio, animi natura, vitus, studia, affectus, quæ, ut facilius intelligantur, singula speciatim sunt exponenda. I. *Genus*. Eo spectant parentes, majores, cognati, fratres, affines, conjux, liberi &c. quorum illustria, vel probrosa facta uberem laudis, aut vituperii materiam præbere solent. Ita Hieronymus (h) laudat Paulam à generis nobilitate: *Nobilis genere; sed multo nobilior sanctitate: potens quondam divitiis; sed nunc Christi paupertate insignior. Gracchorum strips, soboles Scipionum, Pauli hæres, cujus vocabulum trahit, Martiæ Papiæ, matris Affricani, vera, & germana progenies - - - Tali igitur stirpe generata, juncta est Viro Toxotio, qui Aneæ, & Juliorum altissimum sanguinem trahit: unde etiam filia ejus Christi Virgo, Eustochium, Julia nuncupatur, & ipse Julius à magno demissum nomen Fulio. 2 Natio*. An nempesit Hebræus, Græcus, Romanus, Israelita. Sæpe enim popularium vitia, ac virtutes in laudis, aut probri argumenta sumuntur. Ita Paulus negabat se virgis cædi posse, cum Civis Romanus esset. Si hominem (i) Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare. Creteneses autem vituperat:
 dixit

h) In epist. Paulæ.

i) Actor. 22, v. 25.

dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiae, ventres pigri* (k). 3. *Patria.* Quo nomine intelligitur natale solum, urbs, oppidum, unde quis ortum trahit. Sic Hieronymus *Vigilantium* (l) Hæreticum à genere, simul, & patria reprehendit: *Nimirum respondet generi suo, ut qui de latronum, & Convenarum natus est semine: quos Cn. Pompejus edomita Hispania, & ad triumphum redire festinans, de Pyrenæi jugis deposuit, & in unum oppidum congregavit, unde & Convenarum Urbs nomen accepit, hucusque latrocinetur contra Ecclesiam DEI, & de Vectonibus, Atrebatis, Celtiberisque descendens incurset Galliarum Ecclesias, portetque nequaquam vexillum Christi; sed insigne Diaboli.* 4. *Sexus.* Utrum mas sit, an fœmina? nec enim omnia, quæ à viro, eadem continuo à fœmina sperari, aut metui debent, ac vicissim. Idcirco mirum laudatur (m) *Mater Machabæa*, quod crudelem septem filiorum necem, animo mulierem superante, lætissima spectaverit. 5. *Ætas.* An nempe puer sit, vel adolescens, juvenis, vir, aut senex? nec enim cujuslibet eadem est ratio ætatis. Sic S. Ambrosius extollit martyrium S. *Agnetis* ab ætate (n): *Novum martyrii genus! nondum idonea pœnæ, & jam idonea victoriæ: certare difficilis; facilis coronari: magisterium virtutis implevit, quæ præjudicium vehebat ætatis*

Q 3

tis

k) *Ad Tit. 1. v. 12.* l) *Advers. Vigilantium.*
 m) *2. Machab. 7. v. 20. & 21.* n) *1. De Virgin.*

PARS. I. *tis* --- *Flere omnes; ipsa sine fletu: mirari ple-*
 CAPUT. II. *rique, quod tam facile vitæ suæ prodiga, quam*
 ARTICUL. VII. *nondum hauserat, jam quasi perfuncta donaret:*
 § 1. *stupere universi, quod jam divinitatis testis exi-*
steret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non
posset. 6. Habitus corporis. Comprehendit
mores, & formam exteriorem, quæ sermo
quidam est mentis, ac indicium interioris
nequitiae, vel probitatis. Sic Divus Am-
brosius commendat (o) modestiam: est eti-
am in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecun-
dia: habitus enim mentis in corporis statu cer-
nitur. Hinc homo cordis nostri absconditus aut
levior, aut jactantior, aut turbidior, aut con-
tra gravior, & constantior, & purior, & ma-
turior æstimatur. Itaque vox quædam est ani-
mi, corporis motus. 7. Fortuna, conditio. U-
trum sit prospera, an adversa? dives, an
pauper? nobilis, an ignobilis? privata, an
publica? eaque ingloria, vel rebus præcla-
re gestis clara &c. Ita S. Hieronymus mise-
ram, & pauperem ex divite Paulæ fortu-
nam describit: Testis est JESUS (p) ne unum
quidem nummum ab ea filiae derelictum; sed, ut
antea jam dixi, derelictum magnum æs alienum,
& quod his difficilius est, fratrum, & sororum
immensam multitudinem, quos & sustentare ar-
duum, & abjicere impium est. Quid hac vir-
tute mirabilius? fœminam nobilissimæ familiæ,
magnis quondam opibus tanta fide omnia dilargi-
tam, ut ad egestatem pene ultimam perveniret.

8.

o) L. 1. de Officiis c. 17. p) In Epitaph. Paulæ.

8. *Natura*. Quorsum referuntur animi doctes : ut ingenii perspicacia, vel hebetudo, iudicium, prudentia, providentia. Memoria facilis, vel difficilis: tenax, aut labilis. Indoles animi in bonum, aut malum prona: comes, vel austera: audax, vel morosa: submissior, vel superba &c. Ita Gregorius Nazianzenus laudat S. Basilium (q) ab ingenio, & solertia: *Sic omnes probe doctrinas edidicit, ut uni tantum vacavisse crederes: sic summus in cunctis apparuit, ut si forte illum tanquam Oratorem interrogares, tantum novisse Rhetoricam videretur: sic item reliquas. Nec mirum: cum naturæ, ingenioque excellenti diligentiam, ac curam vehementem adhibuerit, quibus sane duobus proficere magnopere solent in scientiis homines.* 9. *Educatio, disciplina, studia*. Multum interest, à quo, & quibus disciplinis quis à puero instituat. Varia etiam sunt hominum studia: aliis rebus rusticus, forensis, negotiator: aliis nobilis, miles, laicus, sacerdos afficiuntur. Gregorius Nazianzenus (r) S. Basilium commendat ab educatione, & studiis: *Quid indolis, aut disciplinarum in Basilio fulserit, videamus. Prima ætatis rudimenta à Patre optima quidem in Ponto accepit --- non, ut sub Chirone Achilles, venari, equitare, citharizare didicit --- sed Grammaticam imprimis edoctus ---- Nec solum hanc, sed morum, ac pietatis studia, quæ si quis*

Q 4

singul-

q) *Monodia in Basilium.*r) *Ibidem.*

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. VII.
§. I.

singula, non ambo acceperit, similem monoculo dixerit --- *Hæc itaque Basilius probe retinens ex patrio, & domestico exemplo accepit: --- postquam vero ad ætatem virilem pervenit, melioris occasionem frugis, & laboribus alios addere labores cupiens, & dicendi studio incensus, ut in eo magis proficeret, Cæsarea in Cappadocia Metropolim venit, quæ tunc literarum gloriæ, & studiorum frequentia in Asia tota florebat. In hac brevi tempore adeo contendit, ut in omni fere disciplina æquales omnes superaret. Unde magnum apud eos populos est nomen affectus &c. II. Affectus. Horum nomine intelliguntur hominis vitia, ut *superbia, avaritia, luxuria, &c.* Item virtutes, ut *humilitas, castitas &c.* Denique affectiones, ut *amor, gaudium: spes, desiderium: timor, audacia &c.* At quoniam ad hominis laudem, aut vituperationem ex adjunctis personarum, quam frequentissime occurrunt adjuncta affectuum; idcirco seorsim cura majore sunt exponenda.*

IV. *Adjuncta virtutum, vitiorum, & affectionum.* Etsi hæc adjuncta eadem sint cum effectis alicujus virtutis, vitii, vel affectionis; ad ea tamen facilius investiganda singulares quidam loci Tyronibus sunt indicandi. Hæc porro effecta (de quibus pleni sunt libri) vel internis animi, vel externis corporis sensibus perficiuntur, perquirendum igitur, quid quævis virtus, aut vitium, vel affectio quovis sensu efficiant

ant. Et quidem 1. In *memoria*, quarum qui rerum recordationē habeant. 2. In *intellectu*, quibus rationibus ducantur. 3. In *voluntate*, quas rationes excitent. 4. In *oculis*, *fronte*, ut se prodant. 5. *Lingua*, in quos sermones erumpant. 6. In *auribus*, quibus de rebus audire ament. 7. *Manibus*, *pedibus*, *gestu*, toto denique *corporis habitu*, ut se gerant. 8. *Tempus*, quando. 9. *Locus*, ubi. Res clarior reddetur exemplo, v. g. *virtutis liberalitatis*. Homo liberalis 1. In *memoria*: non obliuiscitur miserorum. 2. In *intellectu*: alte sibi impressum habet: hanc esse *DEI*, & *naturæ legem*, ut qui abundant, egentioribus tribuant. 3. *Voluntate*: *alienæ calamitati non minus indolet*, ac *suæ*: animo simul ad opitulandum magno, nec opibus suis affixo. 4. *Fronte exporrecta*, oculo benigno egentes, velut ad petendum, *invitat*, petentesque accipit. 5. *Lingua*: sermonis lenitate *suauis*, nec tam *promissis*; quam rebus solatur mærentes. 6. *Supplicum quiritationibus* adeo non fatigatur, ut ad fiduciam aninet timidos. 7. *promptis semper ad largiendum manibus* 8. non moratur dando, ut *conduplicet beneficium*. 9. *Ingenuis egenis privatim*, mendicabulis ad fores, in templo, *compitis munifice largitur*. Ad hunc modum, expendi poterunt reliqua etiam virtutum, viti-
 tiorum, & affectionum adjuncta, præsertim cum Oratoria amplificatio instituenda erit. Quorum exempla sufficient Notæ in Cypriani Soarii Rhetoricam.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. VII.
§ I.

V. *Adjuncta actionum.* Cum hæc adjuncta plerumque verbis activis actionem significantibus exprimi soleant, idcirco *actionum*, item *verborum adjuncta* appellantur. Hoc vulgari versiculo continentur: *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, quæ si Tyro familiaria sibi reddiderit, ingentem amplificandi campum, & facilitatem experietur. Diligenter igitur expendendum, quid unius cujusvis *circumstantiæ* nomine intelligatur. 1. *Quis*, complectitur rei nomen, definitionem, partes, maxime personæ, de qua sermo est, circumstantias, jam ante à nobis diffusius explicatas. 2. *Quid*, indicat ipsam actionem, aut negotium, quod fit, factum est, aut fiet, ejusque antecedentia, comitantia. Atque in his duabus circumstantiis potissima Oratoriæ amplificationis summa consistit. *Ubi*, locum demonstrat, quo res acta est: Sitne publicus, an privatus? sacer, an profanus? propinquus, an remotus? opportunus, an importunus? celebris, an obscurus? &c. 4. *Quibus auxiliis*, explicat instrumenta, præfidia, authores, ministros, socios, adjutores. 5. *Cur*, causam efficientem, maxime finalem indicat, seu, quo consilio, spe, motu, quibus de rationibus actio fit instituta. 6. *Quomodo*, rei gestæ varios modos continet: an clam, palam, vi, casu, perluasione, necessitate, consilio, vel incitia, à volente, vel invito, celeriter, vel cum mo-

ra res evenerit? 7. *Quando*, tempus significat, an die festo, aut profesto: die, vel nocte: mane, aut vespere: æstate, vel hyeme: in juventute, vel pueritia: nuper, aut olim sit aliquid actum. Sit exemplum in hac Petri (r) sententia: *DEUS Angelis peccantibus non pepercit*. I. Quis: *DEUS infinitæ bonitatis, ac clementiæ Pater, ad ignoscendum paratior semper, quam ad ulciscendum*. Quibus: *Angelis, nobilissimis Spiritibus, primis divinæ potentiæ operibus, instructis summa sapientia, ornatis omni gratia, jam in cælo locatis*. Quid: *non pepercit, id est: nullum veniæ locum tribuit: quemadmodum Adamo, ac pluribus aliis tribuerat; sed acerrime castigavit, rudentibus è cælo detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Quibus auxiliis: *Michaele Archangelo, cum reliqua fidelium Angelorum turba, adversum rebelles gloriose pugnante*. Cur: *ob unum superbiæ peccatum, sola cogitatione semel admissum*. Quomodo: *nulla habita sive nobilitatis, sive sapientiæ, sive multitudinis ratione, cunctos subito, sine ulla penitendi mora, & gratia peccantibus indulta*. Ubi: *in teterrimum inferni specum præcipites egit*. Quamdiu: *ut tota illic æternitate admissi sceleris pœnas darent*.

§. II.

Paradigmata hujus Loci.

I. *Paradigma: Ab adjunctis antecedentibus, comitantibus, & consequentibus*. *Thema: pretiosa in conspectu Domini*

r) 2. Petri 2. v. 4.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. VII
§ II.

ni mors Sanctorum. *Argumentum*: 1. Ab *antecedentibus*: quia animam justī nec prae-
teritae vitae recordatio, nec bonorum affi-
cit jactura. 2. A *comitantibus*: quia justus
ex morte ingenti perfunditur gaudio, &
lætitia; cum sit finis vitae miseriarum, ac
beatae initium aeternitatis. 3. A *consequen-*
tibus: quia triumphantis instar, longo An-
gelorum comitatu, in Abrahæ sinum depor-
tatur &c.

EXERCITATIO.

*Si unquam diviniſſimus Spiritus multa
paucis sapienter est complexus, tum profecto,
cum pretiosam Sanctorum esse mortem affirma-
vit. Pretiosa (s) in conspectu Domini mors
Sanctorum ejus. Fingite, si vobis libet, u-
num aliquem sanctioris vitae hominem ultima fa-
ti necessitate ad extrema deductum. Quid, oro,
pretiosius, quid beatius ejusmodi Viri morte ef-
se potest?*

*Adjuncta antecedentia. Primum repeti-
te ea, quae mortem anteire solent. DEUM
immortalem! quae non angustiae, qui non dolores,
quae non sollicitudines hominem impium, in eo vi-
tae articulo positum, discruciant? sive ob acer-
biorem morbi vim, & vehementiam: sive ob
tristem vitae in sceleribus actae memoriam: sive
ob imminentem suarum, quas possidet, rerum
jacturam. Nihil quicquam eorum est, quod ho-
minem torqueat justum. Non corporis aegritu-
do: hanc etenim assiduo patientiae, & carnis af-
fli-*

flictandæ studiojam dudum didicit tolerare. Non graviorum præteritæ vitæ criminum recordatio: nullius enim minimi cujusquam admissi ejusmodi sceleris ream agit conscientia, vel si aliquando egit etiam, pridem illud salutaribus poenitentiae lachrymis studuit expiare. Non opes; has enim contemnebat: non honores; nam eos fugiebat: non voluptates, quas constantissime rejiciebat.

PARS I.

CAPUT. II.

ARTICUL. VII.

§ II.

Adjuncta comitantia. Jam si mortem ipsam spectemus. Non diffiteor unicuique, sanctissimo etiam viro, ab ipsa natura difficile admodum, & arduum esse è corpore discedere, cui intima vitæ societate adstrictus erat. At vir justus cum memoria repetit discessionem hanc, esse quamdam è claustro, & carcere, vel ex iniqua regione laqueis, & periculis plena, liberationem: esse omnium finem miseriarum: esse initium perpetuæ beatitatis, qua DEO æternum perfrui occipiat; tum enimvero incredibili solatio, & voluptate perfusus, extremam vitæ horam non tam operitur, quam, ut ocyus appeteret, ardentè desiderat, ut divino Numinis aspectu tandem potiatur. Unde cum morientium præsidii procuratur, ferventissimo calentis animi studio, qua voce, qua suspiriis JESUM vocantibus testatur cum (t) Paulo desiderium suum, ut possit esse cum Christo. Vel certe illud morientis ingeminat Aloysii: lætantes imus, lætantes imus (u).

Adjuncta consequentia. Quod postea dum morte sancte obita consequitur, Superi! quan-
ta

t) Ad Philip. 1. v. 23. u) In visa l. 2. Cap. 32.

PARS I.
CAPUT II.
ARTICUL. VII.
§. II.

ta illum gaudia excipiunt. Corpus quidem non secus, ac hominis improbi rigidum redditur, & exangue, omni sensu, colore, forma destitutum, in terram, unde ortum est, reconditur, vermium præda futurum. At anima triumphantis in mo-rem, ob relatam tribus de hostibus: mundo, carne, Dæmone victoriam, recta Coelum petit. Utinam! vobis liceret unius alicujus coelestia gaudia ingredientis animæ pompam intueri, ut olim Beata Magdalena de Pazzis Divi gloriam viderat Aloysii. Intueremini profecto ingentem cælestium Angelorum catervam venienti obviam effundi, qui summa novum hospitem excipiunt gratulatione, atque in Abrahamæ sinum deportant, ut illic paratis gaudiis æternum perfruatur.

Quis jam vobis ex hoc jucundo justis morientis spectaculo sensus est O Christiani? An non pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus? Vultis, quod impius olim, petebat Baalam, & turpissimi nunc etiam ambiunt peccatores, ut moriatur anima vestra morte justorum? Agite, monente Bernardo, ut prius vivat anima vestra vita justorum, tum enim vero fiet, ut moriatur morte justorum. &c.

II. Paradigma: ab adjunctis personarum. Thema: S. Aloysius est Juvenis Angelicus. Argumentum: ab adjunctis personæ: ut habitu corporis, genere, ortu, ætate, educatione, animi natura, victu, disciplina, studio virtutum, maxime pudicitiae.

EXERCITATIO.

PARS. I

CAPUT II.

ARTICUL. VII.

§ II.

Si videndi cujuscumque Angeli desiderium vos incessit Auditores, en Aloysium! ingens illud servatae innocentiae prodigium, videbitis in eo Juvenem Angelicum, de quo jam olim usurpatum erat: aut homo est sine carne, aut Angelus in carne.

Habitus Corporis. Nam si unumquemque ex oculis, ore, gestu, vultu, cæteroque corporis habitu legere, ac metiri solemus, fuisti enim nimvero Aloysi Angelus in carne: ea enim in te oris modestia, ea oculorum submissio, ea morum compositio, is pudor, ac ingenuitas, & divina quæpiam ipso è vultu gratia emicabat, ut si te hominem ignorassent, non hominem; sed Angelum humana specie de Cælo in terras delatum credidissent.

Genus. Verum provida sapienter prospexit natura, ut Aloysium ex hominibus ortum esse Angelum crederent: quemadmodum Angelici Spiritus res inter creatas naturæ præstant nobilitate; ita Aloysius pervetusta inter homines, ac principe, Regibusque cognata Gonzagarum de stirpe natus erat. Patre Ferdinando Castilionis Stiverorum in Gallia Cisalpina Marchione, Viro domi, militiæque clarissimo; Matre vero Martha Tana, Santenia, illustris apud Taurinos Sanguinis femina.

Ortus. Hæc peperit Aloysium. At quoniam præcellenti virtute, ac pietate conspicua mulier erat, haud alium poterat peperisse filium, quam Angelum, qui in ipso statim vitæ primordie

PARS I. *dio Sanctus redderetur. Sicut enim Beatos Spi-*
 CAPUT. II. *ritus eo, quo DEUS in cælo condidit, momen-*
 ARTICUL. VII. *to sua confestim gratia sanctos fecit; ita Aloyfi-*
 § II. *um festinato ob periculum baptismo ante gratia*
exornavit; quam penitus in lucem ederetur, ut
prius Cælo Angelus; quam terris homo nascere-
tur.

Ætas. Et quid putatis? responditne tam
divino favori Aloysius? imo vero suis virtu-
tibus cumulavit. Tanta enim in eo, adhuc pue-
ro, in DEUM religio, in superos pietas relu-
cebat, quantam in viro admirari deberemus. Vix
enim ætas integrum ei cum hominibus loquendi
usum contulerat, jam plenam cum DEO agen-
di facultatem habebat. Cum alii ne nosse quidem
poterant DEUM, jam eum Aloysius adorabat,
jam Angeli instar amabat, & ita amabat, ut
latebras quæsierit, ubi Angelicum expleturus
officium, cum solo solus agere posset DEO. Si-
quis de Aloysio percontabatur, responderi haud
poterat, ubi locorum esset; at tuto poterat, quo
cum esset, nimirum Angelus cum suo haud du-
bio erit DEO.

Educatio. Quam ille religionem reliqua
etiam ætate constanter retinuit. Dictu difficile
est, quam arduum sit in otio, in luxu, in delici-
is, in vulgari licentia, quibus plerumque Princi-
pum aulæ obnoxia esse solent, haustam à teneris
pietatem sartam, teetamque conservare. Ast A-
loysius tametsi potissimam lubricæ vitæ partem
apud Magnum Hetruriæ, item Mantuæ Ducem,
ac Regem Hispaniæ exegerit, promiscuo homi-
num,

num, ut res ferebat, usu semper implicitus; nihilominus vel ipsas inter delicias, vitæque aulicæ irritamenta, ita mentis integritatem, quam in Baptismo, vestem velut candidam, Angelus induerat, ab omni labe puram, intactamque servavit, ut in ea confirmatus crederetur.

Natura animi. Et quod mirandum amplius, licet Aloysius vivido fuerit præditus ingenio; non ad condiscendas modo artes, & scientias; sed etiam ad arma, si fors tulisset, tractanda comparato: ea tamen in eo fuerat omnium animi motuum, ac sensuum temperies; ut ne primo quidem eorum impetu incitaretur; quasi sensus omnis expers Angelus extitisset.

Victus. Et tamen, quis credat? sic ab omni remotus vel criminis umbra, tam se durum, & asperum in se præbuit, ac si gravissimorum scelerum pœnas de se repetendas haberet. Undecimum agebat ætatis annum, cum ejusmodi orsus est inediæ genus, quod vos ægrius creditis, quam ille tolleravit. Si integrum (quod raro admodum eveniebat) absorbuit ovum, jam opipare, lauteque coenasse cum Apicio belluone sibi videbatur, tanta erat abstinentiæ severitate, ut hoc vitæ tempus perpetuum quodammodo ejus jejunium videretur: sumptus enim ab eo cibus, ut compertum est, vix unciam appendebat. Nimirum: in hoc etiam Angelis similior fieri volebat, qui nullo ad vitam proroganda egent cibo.

Vitæ Disciplina. Accedit: sæpe ter etiam in die jam funibus, jam catenis tenerum in corpus accerrime deserviebat. Accidit interdum,

R

cum-

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. VII.
§ II.

cum flagella deessent, & cilicia, ut canum lora, vel equorum calcaria in supplementum adhiberet. Mollem lectulum clam injectis asserum fragmentis asperabat eo consilio, ut ocyus è somno exciretur ad laudes, (quod Angelorum est) DEO persolvendas: magnam quippe noctis partem, rigido etiam hyemis tempore, solo tectus indusio, aut præ languore jacens, ac pronus in Oratione traducebat.

Virtus pudicitiae. Verum Aloysi! quid obsecro esse poterat, quod hanc in te severitatem debuerat promereri? lascivia fortasse tuum aliquando corpus contaminasti? quam expiare oportebat, ne forsitan quantum fuerat in deliciis; tantum postea esset in tormentis. Ast O Deum immortalem! quis unquam olitor regii cuiuspiam horti flores sic ab omni aeris intemperie illesos servavit, ut suum Aloysius pudicitiae florem intaminatum conservaret. Siqua, certe hac in re, Angelum se præbebat; imo Angelis superiorem: cum teste Ambrosio, major est victoria Virginum, quam Angelorum. Angeli sine carne vincunt; Virgines in carne triumphant.

Adjuncta virtutis pudicitiae. Triumphavit Aloysius: toto etenim vitæ decursu ne cogitationem quidem, vel imaginem minus decentem in animum admisit unquam: persuasus Virginitatem rem esse DEO gratissimam, ut olim Divus de Coelo audierat Hungaricæ dux, Emericus, cujus postea exemplum secutus Aloysius: novennis adhuc virginalem castimoniam Florentiæ ad aram Virginis interposita voti religione
DEO

DEO in perpetuum consecravit. Quam ille dein tam arcte custodivit, ut nihil manibus ejus fuerit purius, ac continentius: nunquam ullum ex eo verbum prætextatum, minusve decens fuerat auditum: quin obscæna loquentes cane pejus, & angue fugiebat. Oculos vero ingenua modestia à promiscuo obtutu ita abstinebat, ut non modo eos nunquam in faciem intenderit Mariæ Austriacæ Hispaniarum Reginae, quam plures annos honorarios inter Ephebos fere quotidie salutabat, sed etiam ab ipso (quod mirere) Matris aspectu severissime cobibebat. Amplius dico: tanta erat Aloysius pudicitia, ut eam (insigni profecto DEI præpotentis beneficio) nullo mentis, aut corporis motu, & pugna castitati inimica senserit attentatam.

Adeste jam Auditores, & si fortasse, ut ante dixeram, nondum licuit vobis Angelum intueri, spectate Aloysium, quem animi natura, habitus corporis, vitæ ratio, morum disciplina, studium castimonie, juvenem vere Angelicum effecere; at ita spectate, ut ejus ad exemplum pari vitæ ratione incitati, vos pariter Angelos effingatis. Dixi.

ARTICULUS VIII.

LOCUS A CAUSIS.

§. I.

Præcepta hujus Loci.

I. *Natura, & species loci.* Causa univ-
erse est id, unde aliquid fit. Triplex est:
I. *Efficiens*, à qua aliquid fit. Hæc alia est

R. 2

pro-

PARS I.
CAPUT. II
ARTIC. VIII.

§ I.

producens, ut DEUS mundum creans: pater filium generans: artifex artefactum fabricans: minister Sacramentum administrans. Alia *conservans*, ut lex Civitatem: sobrietas valetudinem. Alia *destruens*, ut febris fanitatem: peccatum gratiam. Alia *instrumentalis*, ut Sacramentum gratiæ, & justificationis. Alia *impellens*, seu *moralis*, ut Dominus imperando: consiliarius consilium dando: palpo adulando. 2. *Materia*: ex qua aliquid fit, ut calix, cum ex auro fiat, baptismus aqua constet, homo formatus fit ex terra; idcirco causa materialis calicis est aurum: baptismi aqua: hominis terra. 3. *Formalis*: per quam res in sua natura constituitur, & à rebus cæteris distinguitur, sive dein ad rei essentiam pertineat, ut anima ad hominem; sive solum accidat, ut calor igni: exterior figura humano corpori; sive artificialis sit, ut forma imagini; sive tribuat denominationem subjecto, ut peccatum, vel gratia animæ; vel sit exemplum, aut idæa, cujus ad imitationem, & normam fit aliquid, ut vita Christi homini Christiano. 4. *Formalis*: propter quam aliquid fit, istiusmodi est: beatitudo cœlestis homini: sanctitas Sacramento: pax bello &c.

II. *Ufus loci*, & quidem Causæ efficientis. I. Valet ad amplificandum, cum multæ causæ effectrices conglobantur. Ita Segneri Concione prima Quadragesimæ:

Quid

Quid enim est obsecro, quod vel momentum vi-
 tæ vobis adpromittere possit? an lapis Bezoar à
 solis ortu petitus? an liquati uniones? an aurum
 potabile? an succi, & Fulepia gemmata? reme-
 dia sane, quæ sola invenit ambitio, ut nec mori
 quidem absque luxu liceat. &c. 2. Ad hortan-
 dum, & suadendum, ut: hoc præcipit DEUS,
 hoc Angeli suadent, hoc ratio dicat, hoc San-
 ctorum exempla monent, nisi poenitentiam egeritis,
 omnes similiter peribitis. 3. Ad dissuadendum,
 ac dehortandum, ut Job (x): Manus tuæ
 fecerunt me, ac plasmaverunt me totum in circui-
 tu, ut quid repente præcipitas me? Memento,
 quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulve-
 rem reduces me. Nonne sicut lac mulxisti me,
 & sicut caseum me coagulaisti? &c. 4. Ad
 conjecturas faciendas. Hinc excusamus
 factum alicujus: quia non voluntate; sed
 casu, aut violente, vel ratione aliqua gra-
 viore commotus fecerit, ut Noe nudita-
 tem, Lot incestum, Jacob simulationem.
 5. ad rem laudandam. Ita Petrus Pazma-
 nus (y) templi Hierosolymitani dignitatem
 commendat: quia ejus ædificandi DEUS ip-
 se author erat Davidi, & Salamoni. 2.
 Usus causæ materialis. I. Valet ad commen-
 dationem, ac descriptionem artefactorum.
 Item ad extollendum, vel minuendum rei
 alicujus pretium, ut si cum eodem Pazma-
 no dictum Templum Hierosolymitanum ex-
 tolleres à materia, & pretiosis ornamentis,

R 3

quo

x) Job. 10. y) Conc. 2. Domin. 24. post Pentec.

PARS I.
CAPUT II.
ARTIC. VIII.
§ I.

quorum dives erat: vel avaritiam vituperares; quia inhiat pecuniis, glebæ terræ, aut humani corporis pulchritudinem elevares; cum sit faccus fordium, &c. *Pater De la Columbiere* (z) probat: quærendum esse cœlestem paradysum, à materia, qua constare eum scribit Joannes in Apocalypsi sub nomine sanctæ Civitatis. 3. *Causæ Formalis.* Pariter servit ad descriptionem, ad laudem, & vituperium rei alicujus, ut si hominem extolleret ob animæ præstantiam: Mundum ob mirum, qui in eo relucet, DEI artificium: sobrium ob temperantiam: doctum ob scientiam: indoctum vero vituperares ob ignorantiam. *Causæ Finalis* idem usus est, ac reliquarum.

III. *Modus argumentandi ex hoc loco.* Universe negata causa negatur effectus. Non est deditus ebrietati; nec igitur vitis inde provenientibus. Anima est experta materiæ; non igitur est corruptioni obnoxia. Nullum perpetrandi criminis finem habuit; non ergo illud fecit. 2. Affirmata causa necessaria, affirmantur effectus. Ut: DEUS Matrem suam à communi hominum lege exemptionem habere potuit, & voluit; sine macula igitur concepta fuit. Gratia divina est instructus, quis eum DEI filium, & amicum, divinæ consortem naturæ, hæredem cœli, cohæredem vero Christi negaverit? 4. Quæ causis insunt, conveniunt, aut repug-

z) *Columbiere serm. in festo OO. SS.*

pugnant, etiam effectibus inesse, convenire, ac repugnare debent. Mundus à DEO sapientissimo rerum opifice conditus est; numeris certe suis absolutus esse debet. Ita Daniel probabat idolum Bel non edere; cum *intrinsicus sit luteus, & forinsecus æreus* (z); æs autem, & lutum nec edunt, nec bibunt. 4. Qui finem expetit, ea debet amplecti, vel remove media, quæ conducunt, vel obsunt. Castitatem fervare cupis? carnem doma.

§. II.

Paradigmata hujus Loci.

Paradigma à quadruplici causa, in illud Matthæi: reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO. *Thema*: anima hominis reddenda est DEO. *Argumentum* a quadruplici causa: 1. ab *efficienti*: quia DEUS animam creavit. 2. A *materiali*: quia homo eam non ex terra; sed à DEO inspiratam accepit. 3. A *formali*: quia condita est ad imaginem, & similitudinem DEI. 4. A *finali*: ut DEO æternum in cælo perfruatur.

EXERCITATIO.

Quemadmodum Christus divinissimus Servator ea, quæ sunt Cæsaris, reddenda præcepit Cæsari; ita quæ sunt DEI, nos reddere jussit DEO. Reddite, inquit (a), quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO. At quaeritis ex me fortasse Auditores: quid in homine il-

R 4 lud

z) Dan. 14. v. 6.

a) Matth. 22. v. 21.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTIC. VIII.
§ II.

lud esse potest? quod DEUS peculiari quodam jure suum valeat dicere, à nobis debitum veluti tributum exigere; nos vero summa cura, ingenti sollicitudine, ac industria obstringimur ei reddere. Si Divo fidem habetis Augustino, quod nummus est Cæsari; hoc anima est DEO. Quærit DEUS, ait Augustinus (b), nummum suum; sicut Cæsar suum. Nummus Cæsaris est argentum habens imaginem Cæsaris, juxta illud: cujus est imago hæc, & superscriptio? dicunt ei Cæsaris. Nummus DEI homo est, imaginem habens DEI. En jam videte! quid à vobis repetat DEUS, & vos repetenti quid reddere tenemini DEO.

A causa efficienti. Si enim Christus Servator noster sum ex vobis quæreret, ut olim ex Pharisæis percontatus erat. Heus Christiani! dicite cujus est hæc imago, & superscriptio? quis eam in vobis tam belle effinxit artifex? cujus Appellis, aut Zeuxis duxit manus? quid tum, oro, sciscitanti responderetis DEO? nunquid curvato poplite, sublatis manibus, ingenti submissione grates redderetis? manus tuæ fecerunt me! tua miseratione, ac beneficentia de nihilo educti sumus: te authorem operis, ac dominum profite-mur. Si ita? reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO. Si Reges, ac Principes juste à populo repetere possunt numisma census, quoniam à Principibus, ad quos communi hominum lege jus iudicandæ pertinet monetæ, illud acceperunt. Quid existima-tis?

b) Tract. 40. in Joan.

tis? an animam reposcenti Numini reddere detrectabitis? quam Divus vocat Augustinus DEI monetam, ipsis divinae potentiae manibus proculsam, & signatam; vobis autem insigni beneficio collatam, ut ea in usum libertatis vestrae, dum vita suppetat, frui valeatis.

A causa materiali. Verum est hominem spectato corpore (Mosis testimonio) ortum de limo esse pulverem: formavit DEUS hominem ex limo terrae, ac idcirco corpus terrae reddi debere, quorsum divino Numinis decreto rursus est ei revertendum: in sudore (ait (c) Moyses) vultis tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. At anima ex infinitis divinae sapientiae, & potentiae thesauris condita, licet à nihilo originem trahat; haud tamen in nihilum, vel in pulverem relabatur: cum omnis expers sit pulveris; sed ad DEI sinum, & manus, unde processerat, iterum eam regredi oportebit, ut illic aeternum vivat: revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum, ait Sapiens (d). Hancne ergo, O christiani, divinis manibus eripietis? hoc pulcherrimum DEI opus sceleribus vestris Orco addicetis?

A causa formali. Mementote animae vestrae conditionis, ac dignitatis, quam adeo praecellentem habetis, ut creatis quibuscunque rebus antecellat. Haec enim est ad imaginem, ac simi-

R 5

litu-

c) Gen. 3. v. 19.

d) Eccles. 12. v. 7.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTIC. VIII.
§ II.

litudinem *DEI* creata : hæc tot perfectionibus cumulata , ut res inter cæteras principatum obtineat ; pro hac reliquæ conditæ sunt creaturæ , ut ei deserviant , & ex earum comparatione , tanquam ex oppositis umbris , animæ decor , & pulchritudo magis elucescat : hæc non solum est umbra divinitatis (ut ait Tertullianus) sed vera ejus imago , quæ substantiæ suæ unitate naturæ divinæ unitatem representat ; tres vero personas tribus exprimit facultatibus , memoria videlicet , intellectu , ac voluntate.

A causa finali. At quorsum , quem in finem his eam dotibus exornatam putatis ? fortasse , ut his ornamentis instructa res supra cæteras se gloriosius efferre queat ? ita eni vero ; sed in Domino. Fortasse , ut deliciis , ac voluptatibus perfruat ? sic equidem ; at non caducis ; sed cælestibus. Iste , iste animæ nostræ finis præstitutus est , ut quamvis corpore de terra si nus ; impressæ tamen imaginis memores non terrena ; sed cælestia sapiamus : non præsentia ; sed futura , perpetuam nempe beatitudinem in uno *DEO* repositam , inquiramus. Poterat quidem *DEUS* ea hominem condere ratione , ut exactis compluribus in *DEI* servitio annis , totus , quantus quantus est , incensi instar sacrificii consumptus , in nihilo non redigatur. Quod ipsum certe grande servitutis nostræ præmium fuisset , in ejus , à quo conditi sumus , honorem consumi. At *DEUS* Optimus Maximus non solum labores nostros singulari volebat præmio afficere ; sed in præmium istud semetipsum , quo grandius nullum esse potest ,

poteſt, conſtituit: ego merces tua magna nimis ait (e) Moſes. Idque tanta beneficentia, ut quodvis leve etiam obſequium, ab amicis præſtitum, æterna velit felicitate remunerare. O ſingularem DEI clementiam! O ingentem benignitatem!

Agite igitur mortales! reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt DEI DEO. En! animam veſtram à DEO, ſupremo rerum opifice, conditam accepiftis; reddite ergo animam DEO, tanquam opus ſuo opifici. Creatæ eſt ad imaginem, ac ſimilitudinem DEI; reddite tanquam imaginem ſuo prototypo, ac exemplari. In eum à DEO finem eſt evecta, ut DEO æternum perfruatur; nolite committere, ut tam nobiliſſimo fruſtrata fine, damnum ſubeat nunquam reparandum &c.

ARTICULUS IX.

LOCUS AB EFFECTIS.

§ I.

Præcepta huius Loci.

I. *Natura, & ſpecies loci.* Effecta ſunt, quæ de cauſis oriuntur. Tot eorum ſunt genera; quot cauſarum. Et quidem *Cauſæ efficientis* effecta ſunt, quæ ab illa efficiuntur, ut DEI: cælum, terra, homo &c. *In principio Creavit DEUS coelum, & terram. Creavit DEUS hominem ad imaginem ſuam. Ebrietatis: lumen rationis extingueret, ingeni aciem obtundere, luxuriam accendere*

e) *Gen. 15. v. 1.*

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. IX.
§ 1.

dere &c. *Causæ materialis* sunt, quæ prodeunt ex materia. Ut Nabuchodonosoris statua effectus est auri, argenti, æris, ferri, & luti, è quibus visa est confecta esse. *Causæ formalis*, v. g. Gratia divinæ effectus sunt: esse filium, & amicum DEI, hæredem DEI, cohæredem Christi &c. *Videte* (f) *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus.* *Causæ Finalis*, ut Beatitudinis cœlestis effectus sunt: labores, vigiliæ, virtutum exercitationes, quas ad consequendam beatitudinem, tanquam media, adhibere debemus.

II. *Usus loci.* I. Valet ad descriptiones, & amplificationes. Chrysostomus (g): *Quid enim ebrietate miserabilius? Mortuus est animatus, ebrius: dæmon est voluntarius: morbus veniam non habens, ruina excusatione carens: commune generis nostri opprobrium. Non enim in conventibus tantum inutilis ebrius, aut in privatis, & publicis negotiis; sed etiam solo est aspectu omnium gravissimus, foetores exhalans teterrimos, eructationes, & oscitationes. Et voces ebriorum insurves, atque moleste, eos qui spectant, & si nul sunt, extreme abominatio-nis implent. Et quod malorum caput est, cœlum ebrii invisum hic morbus efficit, nec æterna bona assequi permittit; sed post vitæ hujus opprobrium, & illic tali morbo laborantes pœna manet æterna. Hanc igitur improbam consuetudinem recidamus, & Paulum audiamus*
ai-

f) 1. Joan. 3. v. 1. g) Hom. 1. ad popul. Antioch.

dicentem, vino modico, utere. Etenim ipsum modicum propter infirmitatem permisit, quem nisi infirmitas vexasset, neque modicum admittere discipulum coegisset &c. 2. Valet ad laudem, & vituperium, quæ rerum bene, vel male gestarum enumeratione constant: & causæ bonitas, vel malitia: utilitas, vel detrimentum: dignitas, ac præstantia ex effectibus cognoscuntur. Sic rerum opifices, & inventores suis ab artibus in Scriptura (b) commendantur, ut Jabel ab arte pastoritia: qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum Jubal à musica: ipse fuit pater canentium cythara, & organo. Tubalcain ab arte fabrilis, & ferraria: sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & ferri. Enos deinde à colendo DEO: iste cæpit invocare nomen Domini &c. Divus vero Chrysofomus octo homiliis laudat (i) S. Paulum à factis egregiis. 3. Valet ad refellendum, cum adversariorum objecta ab oppositis effectibus refelluntur, quod etiam ad repugnantia referri potest, cujus ibi exempla dedimus.

III. *Modus argumentandi ex hoc loco. 1. Posito effectû ponitur causa. Ita Paulus è Creaturis, tanquam effectibus, DEUM dari probat. Invisibilia (k) ipsius à Creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divi-*

h) *Gen. 4. v. 20. & reliquis. i) Vide homilias octo de laudibus Pauli. k) Ad Rom. 1, v. 20.*

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. IX.
§ I.

vinitas: ita, ut sint inexcusabiles. 2. Ex negatione effectus à causa necessaria provenientis sequitur negatio causæ. Sic S. Hieronymus sceleris cum Paula falso infimulatus à subornato quopiam rumigerulo homine (qui postea quæstionibus subjectus cuncta inficiatus erat) ita se purgat epistola (1) ad Afellam, data in ipso itineris procinctu Hierosolymam versus: *Pene certe triennium cum eis vixi, multa me Virginum crebro turba circumdedit --- Dicant quid unquam in me aliter senserint, quam Christianum decebat? pecuniam cujusquam accepi? munera vel parva, vel magna non sprevi? in manu mea æs alicujus insonuit? obliquus sermo, petulans oculus fuit? nihil mihi aliud objicitur; nisi cum Hierosolymam Melania, & Paula proficiscuntur. Isti crediderunt mentienti; cur non credant neganti? idem est homo, qui fuerat: fatetur infontem, qui dudum noxium loquebatur &c.* 3. Ex bonitate, aut pravitate effectus probatur bonitas, aut pravitas causæ. Sic Christus argumentatur: *omnis arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit.*

IV. Ratio exornandi hunc locum. I. Per congeriem effectuum, quæ dupliciter institui potest. I. *Verbis: (m) ut S. Chrysol. Quoties ciborum cruditas vitalia ejicit, inficit stomachum, corrumpit sanguinem, vitiat humores, succendit choleram, extremum febris gignit incendium; toties æger mentem perdit, amittit*
sen-

1) *Epist. ad Afellam, m) S. Chrysol. serm. 41.*

sensum, fertur desideriis, contrariis urgetur, salutaria respuit, quærit noxia. Dein nominibus substantivis in modum definitionum conglobatarum. S. Basilius (n): *Quid igitur hoc morbo perniciosus esse possit? corruptela vitæ, pernicies naturæ, inimicitia eorum, quæ nobis à DEO data sunt, contrarietas adversus DEUM &c.* 2. Per Distributionem, ut Vieira (o): *Bona hujusmodi vel sunt bona naturæ, vel fortunæ, vel gloriæ, vel gratiæ. Bona naturæ DEO non nisi uno verbo constiterunt suæ omnipotentiae, qua illa creavit: bona fortunæ illi constiterunt una mica suæ prudentiæ, qua illa distribuit: bona gloriæ illi constant una visione suæ essentiae, qua se communicat. Et bona gratiæ quanti illi constiterunt? Crux illud loquatur: constiterunt vita DEI, constiterunt sanguine DEI, constiterunt anima DEI, constiterunt honore DEI. &c.* 3. Ornatur figura Complexionis. Ut idem Vieira (p): *vultis scire, quis credat DEO? inquit Spiritus Sanctus: qui facit hoc, quod ille mandat. Qui credit DEO, attendit mandatis. Si facitis, quod ille mandat, creditis DEO; si non facitis, quod ille mandat, non creditis DEO; sed creditis vobis, creditis vestro appetitui, creditis Diabolo; sicut credidit Eva. Hinc dicebat David: quia mandatis tuis credidi. At nostra fides sistit in credo, non transit ad mandata. Dicente nobis DEO, quod sit unus; credo; dicente, quod*

n) Homilia de invidia. o) Vieira p. 2. serm. de B. V. de Gratia, p) Vieira p. 2. in Domin. V. Quad.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTICUL. IX.
§. I.

quod sint tres personæ; credo; dicente quod cœli, terræque sit Creator; credo; dicente quod sit homo factus; credo. Sed si dicat nobis; non jurabis, non occides, non adulterabis, non facies furtum, non credimus. Hæc nostra est fides, hæc Christianitas! 4. Cum refellimus, eleganter usurpantur effecta per interrogationem, subjectionem &c. Sic Divus Chrysoströmus ab effectis confutat Christum non fuisse magum seductorem; sed DEUM. (q) *Quid igitur ais? unde prævaluit? (nimirum Christus) quia, inquis, seductor fuit? at non hoc præcepta loquuntur. Deinde, & multi seductores fuerunt; & tamen nullus obtinuit. Sed quia magus fuit? verum longe aliud ejus dogmata contestantur. Sed, & magorum multa sæpe fuit copia; nec tamen ullum hujus potentie nomen auditum est --- Unde liquido patet, quod Christus non fuerit magus, non seductor, sed quod è contrario horum extitit emendator, & vere divina virtus, nec ulli omnino superabilis. Idcirco, & ipse cuncta vicit, atque perdomuit.*

§. II.

Paradigmata hujus Loci.

Paradigma ab effectis. Thema. Mors non est malum homini metuendum. Argumentum ab effectis: quia mors hominem liberat ab omnibus vitæ miseriis, & perducit ad gaudia cœlestia. Quod amplificatur per figuram subjectionis, complexionis, distributionis, & congeriem.

EXER.

q) *Hom. 4. de laudibus Pauli.*

EXERCITATIO.

PARS I.

CAPUT. II

ARTICUL. IX.

§ II.

Vereor magnopere Auditores, ne fortasse de mortis bono cum Ambrosio verba factururus, nihil omnino, aut parum admodum fidei apud vos obtineam: cum plerique mortalium non jucundam; sed tristem: non optandam; sed rerum, quæ dari possunt, omnium maxime metuendam mortem esse putent. At credite AA. siquid incommodi, aut metus est in morte; illud non mortis; sed vitium est morientis. Non mors ipsa (inquit (r) Ambrosius) terribilis; sed opinio de morte, quam unusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro sua conscientia perhorrescit. Suae igitur unusquisque conscientiae vulnus accuset, non mortis acerbitatem.

Subjectio. Date si potestis, vel minimum mali genus, cujus mortem pro merito condemnare possitis. Animam, aitis, à corpore separat? separat; verum ut è carcere, ac vinculis in libertatem asserat. Hominem vita spoliat? spoliat; sed ut alia, cælesti nempe, æternum donet. Mundi bonis privat? privat; sed cuiusmodi? nunquid fallacia, onere, miseria plenis? illudne ergo malum, quod malorum est finis, quod terminus calamitatum, quod atrium felicitatis.

Congeries cum interrogatione. Quis, oro, dolet Viator, cum sui metam itineris comminus aspicit? Quis non letatur agricola, cum amplissimam jactæ sementis messem videt? Ullusne captivorum timet, cum suas infringi compedes intuetur?

S

tur?

r) Libr. de bono mortis,

PARS I.
CAPUT II.
ARTICUL. IX
§ II.

tur? nunquid ardentissime exoptat miles felicem prælii videre exitum, ut partæ victoriæ prosperitate perfruatur. En AA. quid sit mors? (Congeries definitionum) Est laborum requies, terminus peregrinationis, liberatio à vinculis, victoriæ consummatio, clavis Cæli, porta æternitatis, initium omnis beatitudinis.

Complexio. Quid enim hominem ab his vitæ ærumnis, egestate, querelis, tædio liberat? nonne mors? Quid famem, sitim, æstum, frigus, cæterasque Cæli injurias penitus propellit? nonne mors? Quid à gravissimis mundi, carnis, ac Dæmonis tentationibus tutos præstat? nonne mors? (Conversio) Vultis jurgia disrumpere? disrumpet mors: lites dirimere? dirimet mors: dolores lenire? leniet mors: tristitiam tollere? tollet mors: solamen habere? solabitur mors. (Congeries definitionum per verba) Mors enim est, quæ vitæ miseras sepulchro claudit, cæli januam aperit, sanctorum consortio addicit, in æternam beatitudinem transcribit.

Exemplum. Atque istud crediderim, cur sanctissimus Mediolanensium Antistes Boromæus mortem, tristi plerumque habitu conspicuam, in lætiores commutaturus, falcis, & clepsydre loco binis ex auro clavibus adumbrari curavit. Volebat enim significare: mortem finem esse, & principium. Finem: quo terrestrium clauditur porta miseriarum; initium: quo cælestium aperitur janua deliciarum, (Distributio) ubi nullus cum Abele Cain, qui occidat: nullus cum Isaaco Ismael, qui pugnet: nullus cum Jacobo Esau, qui persequatur.

O felicem! O beatam igitur mortem! ubi tam diu moraris? cur adesse renuis? quando optata Cæli gaudia referabis? Veni, veni tandem O mors! noli tardare: da finem miseriis, da principium gaudiis. Jam satis est laborum, satis infelicitatum, veni, & libera me de corpore mortis hujus: coarctor enim desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.

PARS I.
CAPUT II.
ARTICUL. X.
§. 1.

ARTICULUS X.

LOCUS A COMPARATIONE.

§. I.

Præcepta hujus Loci.

I. *Natura loci.* Comparatio est duarum, vel plurium rerum in aliqua re, quæ utrique sit communis, inter se collatio, ut: *si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister vester; & vos debetis alter alterius lavare pedes (s).* Ubi commune utrique est *lavare pedes*. Differt à similitudine: hæc enim versatur in qualitate, ut: bonitate, sapientia &c; comparatio vero in quantitate, ut: rerum magnitudine, vel æqualitate &c.

II. *Species loci.* Triplex est comparationis genus. I. *A majori ad minus*: quando ex re majori, id est: probabiliori, ac verisimiliori, tanquam ex antecedente, infertur res minus probabilis, ac verisimilis. In hac argumentatione semper in consequenti dicitur *multo minus*, estque utraque propositio fere negans, nisi figura quapiam vestiatur, ut

S 2

illud

6) Joan. 13. v. 14.

PARS. I.
CAPUT. II.
ARTICUL. X.
§ I.

illud (t) Petri: *si justus vix salvabitur; impius, & peccator ubi parebit?* Si justus, cui verisimilior, ac probabilior est salus, difficulter tamen eam obtinebit, multo minus peccator, cui salus minus est probabilis, ac verosimilis, eam consequetur. 2. *A minori ad majus*, cum ex re minori: id est, minus probabili, ac verosimili, tanquam ex antecedente, infertur majus, id est, probabilius, ac verosimilius. In hac argumentandi ratione in consequenti dicitur *multo magis*, estque utraque propositio affirmans. Si *faenum* (u) *quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos pusillæ fidei.* 3. *Parium*: cum ex re æque probabili infertur aliud perinde probabile. Ita Mater Machabæa filium est hortata, ut fratrum exemplo necem fortiter subiret: *Peto nate (x) ut aspicias ad cælum, & terram --- ita fiet, ut non timeas Carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.*

III. *Ufus loci.* Magnam hic locus habet vim. I. ad probandum, & movendum. Ita Christus hortatur Discipulos, ad diligendos inimicos: *Diligite (y) inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in Cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: & pluit super justos, & in justos.*

t) 1. Petri 4. v. 18. u) Luc. 12. v. 28. x) 2. Machab. 7. v. 28. & 29. y) Matth. 5. v. 44.

justos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne publicani hoc faciunt, & si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne, & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. 2. Ad refellendum. Sic Chrysofost. (z): Christi, & sanctissimæ Crucis mira patrandi virtutem non fuisse magicam, sed divinam, probat à pari aliorum Magorum, & in crucem actorum latronum exemplo, qui nihil rerum ejusmodi, quæ Christus fecerat, poterant patrasse. Unde igitur illam Dæmones reformidant? nisi de virtute Crucifixi. Si enim illam per se ipsam timerent: quamquam & hoc ipsum de his esset indignum, cum & ante illum plerique crucifixi sint, & cum ipso etiam duo. Quid igitur si invocet aliquis nomen latronis, vel alterius cujuscunque crucifixi, Dæmone forte timebit, ac fugiet? nequaquam; quin imo ridebit, si vero JESUM addideris Nazarenum, velut ab igne repente diffugiet. Quid igitur ais: unde prævaluit? &c. 3. Servit ad laudem, & vituperium, quod sacri Oratores in panegyricis præsertim creberrime usurpant, unum alteri Sanctum comparantes. Ita Chrysofostomus eleganti Oratione (a) Divum Paulum vetustis comparat Patriarchis, ut Abeli, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, ac cæteris, denique etiam Angelis. Restat, ut Paulum jam Angelis comparemus, Ideoque relinquentes terram ad Cœlorum fastigia transeamus. Sed nullus sermonis

S 3

no-

z) Hom. 4. de laud Pauli. a) Hom. 1. de eodem.

PARS I. nostri accuset audaciam. Si enim Joannem, & Sa-
 CAPUT. II. cerdotes DEI scriptura Angelos nominavit, quid
 ARTICUL. X. mirum si præstantiorem omnibus Paulum illis vir-
 § I. tutibus conferamus. Quid ergo in Angelis magnifi-
 cum prædicamus? quia profecto cum omni cura o-
 bediunt Deo, quod David quoque admirando dice-
 bat: potentes virtute facientes verbum illius &c.
 huic enim bono æquale est nihil prorsus, etiam si sint
 millies incorporei: hoc est enim quod maxime præ-
 stat eos beatos, quod obediunt præceptis Dei -- hoc
 & in Paulo animadverti potest, cum omni diligen-
 tia, & cautione servatum &c.

IV. Ratio ornandi hunc locum. Hic locus
 perinde ornatur, ac similitum. 1. Per conge-
 riem, sive inductionem plurium comparatio-
 num. Chrysostomus de Christo (b) Quid vero
 præsentia? nonne etiam multo mirabiliora dicenda
 sunt: nonne Crux prædicatur, & totus ad cre-
 dendum mundus accurrit? --- Nunquid non innum-
 meri Crucifixi sunt? nunquid non duo latrones cum
 Domino pependunt? nunquid non multi sapien-
 tes? nunquid non multi extiterunt potentes? Cu-
 jus igitur aliquando sic nomen obtinuit? Et quid
 dico potentes, atque sapientes? Nunquid non fue-
 runt Reges inchoyti? quis ita sibi terrarum orbem
 tam brevi tempore subjugavit? &c. 2. Per fictio-
 nem. Chrysostomus (c). Etenim quæro ex te:
 si quem suspicamus fabrum esse, ad opus vocemus,
 sequaturque ipse: deinde manus admovens materiæ
 ad ædificium paratæ, ligna, itemque lapides aver-
 tat, opus autem sic coagmentet: sic domum ædificet,
 ut

b) Hom. 4. de laudibus Pauli. c) l. 4. de Sacerd.

ut statim ea collapsura sit, num ille se se abunde hac defensione tutaturus est, si dixerit: ab aliis se coactum; non autem ultro ad ædificandum accessisse. Certe nequaquam, idque jure optimo: oportebat enim vel aliis ad id vocantibus pedem referre, ac tergiversari. Itane vero quod ligna, ac lapides avertit faber; huic nullus prorsus suffugii locus, quo minus pœnas pendat: qui vero animas negligenter ædificans perdiderit, hiccine alienam vim abundans sibi suffugium, præsidiumque putabit? 3. Per antithesim. Sic Chrysof. (d) Paulum cum Moysse comparat. Moyses cum cæteris optavit perire; Paulus pro cæteris: non enim cum pereuntibus perire voluit; sed ut salvarentur alii, ipse de gloriæ æternitate decidere: ille quidem Pharaoni; hic autem Diabolo quotidie repugnabat: ille pro una gente; iste pro universo orbe certavit: non sudore; sed sanguine vice sudoris undique profluente: cum non solum habitabiles mundi partes; verum etiam deserta ad cultum religionis adduceret: nec solum Græcorum populos; verum etiam barbarorum.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. X.
§. I.

§. II.

Paradigmata hujus Loci.

Paradigma à Comparatione parium.

Thema: in quovis statu possunt homines esse Sancti. Argumentum à pari: quia multi hominum è quovis statu sunt in cœlo, qui fuere Sancti. Quod amplificatur per fictionem, conversionem, complexionem, subjectionem, antitheta, congeriem.

S 4

EXER-

d) Hom. 1. de laudibus Pauli.

EXERCITATIO.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. X.
§ II.

Etsi DEUS, teste (e) Gentium Apostolo, eo nos consilio vocavit vocatione sua sancta, ut essemus Sancti; plurimi tamen mortalium vel naturæ inertia: vel certè (quod verosimilius est) fovendæ mollioris vitæ licentiæ causa intam excelsa, ac præcipiti loco Christianam fingunt esse sanctitatem, ut identidem illud Israelitarum usurpent (f): quis nostrum valet ad Cælum ascendere? quasi dicerent: ardua admodum, ac difficilis res est sanctitas, nen est iis prædita viribus hominum voluntas, ut ad ejus fastigium non dicam pervenire; sed vel conniti queat. Verum ut olim Israelitas; ita modo Christianos alia longe sapere, ac loqui jubet DEUS. Mandatum hoc (inquit) quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in Cælo situm, ut possis dicere: quis nostrum valet ad Cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, & opere compleamus -- sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud.

Fictio. Attollite, si libet, pigri mortales oculos in cælum, quos vestra in terram vobis defixit ignavia. Fingite vos ingentem illam beatorum cælestis regni Civium multitudinem intueri, quæ tanta est, ut numerus omnem superet stellarum numerum: quærite ex uno aliquo eorum: Beatæ animæ! quis vos in hunc, excelsum adeo, sanctitatis montem perduxit? quibus eo gradibus, ac viis eniti poteratis? ergone quis nostrum valet ad
Cæ-

e) 2. ad Tim. 1. v, 9. f) Deut. 30. v. 12.

Cœlum ascendere? *Ita enimvero, Christiani, valet: nam licet sanctitas vim patiatur, & violenti rapiant illam; nos vero fragiles, peccatisque obnoxii simus; haud tamen ita est aditu difficilis, ut ad eam nunquam perveniri queat; omnia possum in eo, qui me confortat, aiebat Apostolus.*

PARS I.
CAPUT. II
ARTICUL. X.
§. II.

Complexio. *Fam liceat mihi ex vobis querere Christiani, quod olim sanctitatis viam initurus ex se quaesierat Augustinus: poterant hi, & hæ, & tu non poteris, quod isti, & istæ(g)? Ac si diceret: si tot innumeri ex omni hominum statu; & conditione viri sancti, ac mulieres, medias inter mundi illecebras, humana perinde, ac nos compede constricti; divino tamen auxilio adjuvi, vitæ sanctimoniam poterant adipisci; & tu non poteris, quod isti, & istæ? Si tot magnanimi Athletæ generose valuerant certare; ac promissam certantibus justitiæ coronam consequi; & tu non poteris, quod isti, & istæ? si his licuerat omnia obtinendæ sanctitatis obstacula removere, & laboris plena ejus officia explere; & tu non poteris, quod isti, & istæ?*

Subjectio. *Si non poteris, DEUM bonum! quid, oro, causæ adferes, ne potueris, magno illo judicii die: cum dominus ad judicandum venerit cum potestate magna, & majestate, quod non illico Sanctorum pone adstantium exemplo divinus refellere possit Jdex. Dices: mundi negotiis, & occupationibus distenti eramus; an non Sanctos eadem distinuere? In ancipites, & periculi*

S 5

culi

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. X.
§. II.

culi plenas incurrimus occasiones; an non in eadem sancti incurrere? rapuit nos consuetudinis æstus; an non sancti fortiter ei resistere? Domandæ erant libidines; an non Sancti multo acriores domuere? At nos teneriori fuimus natura comparati: O delicatos, ac molles trosculos! Ergo cælitæ ferrei erant, aut ænei? non perinde ac vos ex ossibus, & nervis: ex carne, & sanguine compacti? gravissimis tentationibus exagitati?

Antitheta. Componite, si placet, statum vestrum cum eorum statu: officia cum officiis: pericula cum periculis, quod discrimen vos inter, ac illos invenietis? non aliud profecto; ac istud: quod illi austeram, & severam; vos mollissimam egeritis vitam: illi suas frænare cupiditates; vos relaxastis: illi acerrimis, quam poterant fortissime, tentationibus obstitere, vos blande excepistis: illi peccati fugere pericula; vos ultro adiistis: illi virtutis erant studiosi; vos inimici. En discrimen!

Congeries. At dicetis: nos in ea vitæ conditione positi fueramus, quæ virtuti, ac Christianæ sanctitati non poterat non esse inimica. Sed, oro, conferte iterum cogitationem in augustum illud gloriæ templum, ubi Beati cum DEO regnant cives, quot illic reperietis, qui eundem olim, quem vos, gradum obtinuerunt, in eisdem vinculis, negotiis, numeribus adstricti fuerunt. Invenietis, qui aulas principum, ut vos, secuti fuerant; qui inter arma vitam exegerant, qui reipublicæ clavum tenuerant; qui matrimonii iugo impliciti liberos susceperant; divitiis abundaverant; paupertatis premebantur. Et tamen hæc inter summam adepti sunt

sunt sanctitatem; & tu non poteris, quod isti, & istæ? Credite Chrysofomo (h): quod neque divitiæ impediunt, neque inopia, neque militia, neque negotiatio, neque nuptiæ, neque pueri, neque servitus, neque opificium, neque aliquid tale - - - nullum enim ad pietatem est obstaculum.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICULUS XI.
§ I.

Quare, Auditores christiani, excutite torporem: Sancti estote: DEUS enim idcirco vocavit nos vocatione sua sancta, ut essemus Sancti Æmulemini charismata Sanctorum meliora, ut quemadmodum ii ingenti conatu studuere Sanctitati; ita vos studium hoc nunquam dimittatis &c.

ARTICULUS XI.

DE LOCIS GENERALIBUS,
ET USU LOCORUM.

Locis jam explicatis addendi sunt etiam *Generales*, inde dicti: quia probando cuilibet fere themati, in genere præsertim deliberativo, argumenta *generatim* sufficiunt. Ejusmodi sunt *possibile, facile, honestum, utile, necessarium*, & his contraria, ut *impossibile, difficile, turpe, noxium* &c. De his breviter agemus.

I. *De Possibili*. Utimur hujus loci argumentis, cum aliquid faciendum suademus,
præ-

h) *Chrysof. contra Gentiles, & Hæreticos serm. de Evang. nuptiæ factæ sunt: ubi eleganter probat per inductionem: nullum vitæ statum obstaculo esse posse pietati.*

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. XI.
§ II.

præsertim si rei *impossibilitas* obtendatur. Hæc autem refellitur 1. Sires facta esse ostendatur. Sic divinorum mandatorum observantiam possibilem probabis 1. ab exemplo Zachariæ, & Elifabeth, qui erant (i) *justi ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* 2. ab exemplo hominis Evangelici de se testimonium perhibentis: *omnia (k) hæc (nempe mandata) custodivi à juventute mea, ob quod Christus (l) dilexit eum.* Dein si ostendatur nullum esse obstaculum, ne res fieri queat; imo adesse omnia ad rem perficiendam media, & adjuncta. Ita eandem divinorum mandatorum observantiam demonstrabis, si huic nihil officere probes depravatam, ac pronam in malum voluntatem, nec gravissimas, quibus impetitur, tentationes; cum eas vincendi facultas in nobis posita sit: nec divina ad hoc præstandum deesse Auxilia. *Omnia possum (inquit (m) Paulus) in eo, qui me confortat. Fidelis DEUS est (n) qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Contra ab opere suscipiendo deterremur exposita rei *impossibilitate* 1. quia licet id sæpe fuerit pertentatum, nunquam tamen perfectum. 2. Quia nullæ ad hoc vires, media, in-

i) *Luc. 1. v. 6.* k) *Matth. 19. v. 20* l) *Marc. 10. v. 21.* m) *Ad Philip. 4. v. 13.* n) *1. ad Cor. 10. v. 13.*

instrumenta, ceteraque loci, temporis adjuncta habentur.

II. *De facili.* Hoc ostenditur 1. Si capita difficultatis (mollem, ac timidum morari solita) confutentur, vel per negationem, aut diminutionem, vel per compensationem majoris utilitatis inde proventuræ. 2. Ab adjunctis præsertim actionum: *quis, quid, ubi* &c. Ut si jejunium observatu facile probes. 1. A circumstantia personæ *quis*: *Quia est ætatis perfectæ, virium integrarum, naturæ fortis, ac solidæ* &c. 2. A circumstantia *quid*: *quia jejunium est carnis abstinencia, ac una diei refectio, quæ tanti fieri baud debet, cum amplissima mercede compensetur.* 3. A circumstantia *ubi*: *quia eo in loco vacatur jejunio, ubi omnia abstinentiæ suppetunt adjumenta.* 4. Quibus auxiliis: *quia DEUS jejunantibus gratias, & vires sufficiet.* 5. *Cur*: *qui jejunium vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, ac præmia, ac proinde parva difficultas magnis utilitatibus compensatur.* 6. Si jejunandi modus exhibetur &c. Contra rei difficultas oppositis rationibus urgetur.

III. *De Honesto.* Quidquid detracta utilitate per se ipsum laudabile, ac decorum est, dicitur honestum, ut sunt, honor, gloria, ac omnia virtutum genera. Contra inhonestum est, omne, quod inglorium, turpe, indecens, ac probrosum, aut cum vitio aliquo conjunctum est. Unde suasurus quidpiam, v. g. injuriarum condonationem, ab honesto

PARS I.
CAPUT II.
ARTIC. XI.
§ I.

honestate, ostendes I. illam esse laude, gloria dignam apud omnes sana ratione præditos. 2. Esse virtuti conjunctam, ut clementiæ, ac magnanimitati, quarum postea explicanda est natura, actus, partes, argumenta, exempla &c. 3. Eam esse conformem rectæ rationi, legi naturæ, amorem hominum præcipienti; dein civili: pacem mutuam imperanti, ne discordiis humana pereat, aut turbetur societas. Demum divinæ: dilectionem inimicorum jubenti. Similibus ab opposito argumentis mendacii in honestas argui potest.

IV. *De utili.* Utile dicitur, quod commodum aliquod confert; contra noxium est, quod incommodum parit. Ratione modi, quo spectari potest, multiplex est utilium, ac noxiorum genus. I. Aliud est *privatum*, aliud *publicum*: illud rebus publicis, Ecclesiæ, regnis, urbibus; istud privatis, ut familiæ cuiuspiam, ac personæ &c. prodest, aut obest. 2. Ratione ordinis, & gradus: aliud est *humanum*, sive, ut ajunt, *temporale*, ut divitiæ, honores &c. aliud *spirituale*, ac *divinum*, ut gratia, salus animæ &c. Rursum alia sunt bona *animæ*, ut virtutes, scientiæ &c. alia *corporis*, ut pulchritudo, sanitas &c. alia *fortune*, ut opes, honores &c. Denique horum alia sunt, quæ cum honestate conjunguntur, ut amor virtutum &c. alia ab ea separantur, ut divitiæ &c. Ab his omnibus ad suadendam v. g. liberalitatem argumen-
tum

tum duci potest. 1. A commodo privato :
quia per eam privata hominum miseria sublevatur.

2. A communi: *quia per eam multa pia opera Rei-*
publicæ, & Ecclesiæ utilia instituuntur, ut templa,

scholæ, monasteria &c. 3. A commodo cum
 honestate conjuncto : *quia eleemosynam dare est*

opus honestum, quod homini parit gloriam, lau-
dem &c. Eleemosynas ejus enarrabit omnis Eccle-

sia Sanctorum. Præterea est cum virtute clemen-
tia, misericordiæ conjuncta. 4. A commodis

fortunæ : *quia eleemosyna est quoddam foenus,*
quod auget homini commoda fortunæ, ut opes.

5. A commodis animæ : *quia parit bona divi-*
na, & spiritualia, ut gratias impetrat, peccata

redimit. Similiter à noxio dissuadeir potest
avaritia. Utili adjungunt jucundum, hone-

stam animi, aut corporis voluptatem com-
plectens. Talis est divina gratia, quæ sum-

mam hominibus conciliat animi pacem, so-
latium, voluptatem cum in vita, tum in

morte.

V. *De Necessario.* Necessarii nomen hic
 latius usurpatur, pro eo, quod ob aliquam

causam, libere tamen, fieri oportet: absur-
 dum enim foret ea suadere, aut dissuadere,

quæ secus fieri nequeunt absolute. Argu-
 menta necessitatis sunt: 1. *Utilitas:* ut nisi

res fiat, magna inde detrimenta consequen-
 tur. 2. *Præceptum divinum,* aut *humanum:*

obstringens ad aliquid faciendum, vel omit-
 tendum. 3. *Decentia:* ætati, sexui, con-

ditioni conformata. 4. *Ratio:* singula actio-
 nis

PARS I. nis attributa causas examinans, atque inde
 CAPUT. II. rei fuscipiendæ, vel prætermittendæ neces-
 ARTICUL. XI. sitatem exponens. Res clara est: non eget
 §. II. exemplo illustrari.

§. II.

De usu Locorum.

U^Sus locorum est, ratio inveniendi facile argumenta, ex locis jam explicatis, ad probandum quodcunque Orationis thema. En duos hujus usus modos!

I. *Ex visceribus causæ*, si nempe argumentum ducatur à prædicati, aut subjecti, vel affectionum in themate repertarum, definitione, notatione, conjugatis, partium distributione, causis, contrario, simili &c. Res patebit exemplo. Sit pro concione probandū hoc v. g. thema: *Spiritus Sanctus non venit nisi ad cor purum*: Subjectum est *Spiritus Sanctus*; hinc argumentum duci potest I. A definitione: *quia Spiritus Sanctus in sacris literis dicitur amor, charitas*, qualem (o) charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus, *item*: *Charitas (p) DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis; sed charitas, amor non fertur in objectum, nisi bonum, & amabile, quale est cor purum &c.* 2. *Quia Spiritus Sanctus est sponsus animæ nostræ, sed omnis sponsus vult sponsam castam, & puram &c.* 3. A conjugatis: *Spiritus Sanctus dicitur Sanctus, quia fons est omnis omnino sanctitatis; at sanctum illud habetur,*
 quod

o) 1. *Johan. 3. v. 1.* p) *Ad Rom, 5. v. 5.*

quod expers est omnis crimini's, igitur Spiritus S. non venit nisi ad cor pariter sanctum, id est ab omni scelere purum. 4. A contrario: Spiritus iniquitatis, ut Diabolus cor amat impurum, igitur Spiritus sanctus diligit cor purum. 5. A simili: Sicut Noe columba, cum non haberet, ubi sicco pede requiesceret in arcam revertit; ita Divinus spiritus non requiescit, nisi in corde ab omni sordium unda perpurgato. &c. Similiter duci possunt argumenta à prædicato. 1. Per definitionem: Cor hominis, id est anima, est habitaculum, ac templum Spiritus Sancti: Templum (q) DEI estis vos, & Spiritus DEI habitat in vobis; at templum debet esse purum, ut Salomonis &c. 2. A simili: Si Aſſveri Regis sponsæ non ante regium conspectum, ac thalamum subiere, quam duodecim mensium spatio mundatæ, pretiosis unguentis delibutæ, ac vestibus ornatae apparerentur; quid dicendum de anima Divini Spiritus sponsa?

II. Ex thematis sensu. Non est necesse, ut semper divisim in subjecto, vel prædicato quærantur argumenta; sat erit thematis sensum mente prius complecti, ad hunc postea probandum locos consulere Oratorios, quæ nempe sit ejus definitio, quæ partium distributio, quod genus, quæ causæ, quæ effecta, quod simile &c. Si loco ex uno difficile formetur argumentum, transeat ad alterum, ut jam ante monueram. Declaratur exemplo. Sit thema concionis: *in pervincen-*

T

dis

q) I. ad Cor. 3. v. 16.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. XI
§ II.

dis respectibus humanis oportet nos esse sancta quadam impudentia præditos. Argumenta. I. A definitione: quia humanos curare respectus, est hominum opiniones pluris facere, ac DEUM. 2. Ab adjunctis personarum: quia ii, quorum gratia vano agimur respectu, sunt homines sæpe viles, rudes &c. 3. A causis: ut efficiente: quia hic respectus provenit ab animo prorsus pusillanimitatis; dein finali: quia est studium vane placendi hominibus. 4. Ab effectis: quia est ommissio piorum operum, & multorum perpetratio malorum. 5. A comparatione: quia veteres christiani ne supplicii quidem, ac morte crudelissima, averti à DEO potuerunt. Similiter duci poterunt argumenta ex locis generalibus. 1. A necessario: quia si hominibus nolumus displicere, cogimur in multis displicere DEO. 2. Ab utili: quia hanc de humanis respectibus victoriam ingentibus præmiis Deus cumulat. 3. A difficili: quia arduum est uni placere, ut non pluribus displiceas. 4. A noxio: quia DEUS hunc contemptum non fert inultum. 5. Ab inhonesto: quia turpe est christianum in DEI obsequio hominum verbis, ceu quibusdam ventis, velut arundinem agitari.

His, ac similibus modis poterunt in alio etiam quolibet thematis genere erui argumenta, quæ postea in aliquam argumentationis formam, alibi tradendam, sunt redigenda.

CAPUT

LIBER II.
CAPUT III.

291

PARS I.
CAPUT. III.

DE INVENTIONE ARGUMENTORUM EX LO-
CIS CONCIONATORIIS.

PRæter communes Rhetorum locos, paulo ante explicatos, dantur etiam *Loci Theologici*, quibus ad stabilienda sua dogmata utuntur *Theologi*. Dicuntur etiam *Concionatorii*, quod ex iis, tanquam è sedibus propriis, sua eruant argumenta *Concionatores*. Hos *Melchior Canus*, doctissimus ex *Ordine Prædicatorum* in *Canariis Insulis* Episcopus, eruditissimo opere primus explanavit; sed ad usum Theologorum potius, quam Oratorum. Nobis ita disertis esse nec licet, nec oportet: breviter igitur ea solum perstringemus, quæ sacræ Eloquentiæ Tyronibus sunt profutura. Decem ejusmodi locos numerat *Canus*: *Scripturam sacram, Traditiones Apostolicas, Ecclesiæ autoritatem, Concilia, Sedem Romanam, SS. Patres, Doctores Scholasticos, Rationem Naturalem, Philosophiam, denique Humanam Historiam*. Licet horum omnium usus esse possit in Eloquentia Sacra; quatuor tamen distinctius, & frequentius ab Oratoribus sacris usurpantur, ut *Scriptura Divina, SS. Patres, Theologia, ac Historia*, hos igitur præteritis aliis explicabo.

T 2

ARTI.

292 INSTITUTIONIS
ARTICULUS I.
DE SCRIPTURA SACRA.

PARS I.
CAPUT. III.
ARTICUL. I.

§ I.

§. I.

Leges utendi Scriptura sacra.

Primus, ac fertilissimus Eloquentiæ Sacrae proprius locus est Scriptura Sacra, cujus in usu hæ leges servandæ sunt Tyroni.

I. Omnis concio, in quocunque thematis genere, nitatur authoritate *Scripturae*: secus in *profanum*, vel *Academicum* sermonem migrabit: nec sacri oratores erunt Verbi DEI prædicatores. Pro thematum autem diversitate in alio parcius, liberalius in alio *Scripturae* sententiis est utendum. Si fuerint communia, in iis humanæ utpote rationi conformioribus, sat erit unum, alterumve fundamenti instar substernere ad amplificationem; in *Evangelicis* vero, sensui repugnantibus, & unius Dei authoritate nixis, uberius possunt adduci, ut res fidei magis patefiant.

II. Non tamen sunt congerendæ, ad probandam præcipue rem eandem. Quorsum enim tot textuum farrago, si pauciores argumentum probent? Certe hac congerie non dabitur debitus amplificationi locus, ac cento fiet verius, quam Oratio. Dixi: *rem eandem*; non enim improbo in diversa materia, vel si novi quidpiam in modo, aut rei substantia contineant, vel ad illustrandum thema multum conferant,
plu-

plures, ac diversos adduci; eos tamen graves, ac pondere plenos, præsentique materiæ accomodatos esse volo. Pulcherrimum foret, si Orator suas confirmandi thematis sententias ex ipso diei Evangelio depromeret, aut assumptum pro concione sacrum textum pro præcipuo Orationis fundamento retineret, ad ciendos motus prudenter iterandum: in epilogo maxime, & complexionibus argumentorum.

III. Textus adferendi non sint prolixii. Prælongæ enim plurium periodorum sententiæ, in populari concione primum latine recitatæ, postea vernacule ad verbum redditæ, cum fastidiosis libri, capitis, versus, numeri, editionis citationibus sistunt alveum concionis, mentem Oratoris fatigant, auditori vero, præsertim rudiori, ingens fastidium creant. Satius erit longos hujusmodi textus solum vernacula memorare, vel certe interjecta paraphrasi membratim (ut infra dicemus) adferre, ac præter unum Authoris nomen, hoc, aut simili, modo relatum: *inquit Matthæus, ait in actis Lucas, vel: teste Apostolo, &c.* à reliquis citationibus abstinere, exemplo Patrum, & Evangelistarum, imo ipsius Christi, & Apostoli non aliter veteris legis testimonia citantium, quam *scriptum est: dictum est per Isaiam: ait Isaias &c.* In concionibus tamen Polemicis, ad conciliandam majorem dicentis fidem, addi poterunt reliquæ

PARS I.
CAPUT. III.
ARTIC. 1.
§ I.

etiam citationes. Similiter principes ad amplificandum sententiæ, in quibus vis Orationis consistit, possunt latine adduci, ac etiam repeti, ut inculcentur.

IV. Utendum probantibus potius, quam affirmantibus sententiis. Affirmantes simpliciter, aut dogma aliquod credendum affirmant, ut: *Verbum caro factum est*; vel agenda præcipiunt, ut: *diligite inimicos vestros*; aut vetant, ut: *videte ne quis malum pro malo alicui reddat*. Probantes autem præter effatum, dicti simul probationem, sive rationem amplificationi servituram continent, ut: *date, & dabitur vobis. Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est*. Tametsi utrique textus divinam DEI loquentis auctoritatem habeant, probantibus tamen vis major inest ad persuadendum; quam simpliciter affirmantibus, cum præter Divinæ revelationis momentum, simul ratiocinationem fidei basi nixam complectantur, præbeantque amplissimum tam Oratoriæ argumentationi, quam amplificationi fundamentum. Semper enim hi ad communes Rhetorum locos, unde peti argumenta solent, possunt revocari. Sic ex dicta ante sententia ducitur argumentum a relatis, vel comparatione: *æternus Pater est misericors, ergo etiam vos ejus filii misericordes esse debetis*, quod postea eo modo tractari, & amplificari potest, ut diximus de relatis, & comparatione.

V. Ex textibus tam affirmantibus, quam probantibus præ aliis usurpet *præcipientes*, vel *prohibentes*, aut *minitantes*, *promittentes*, *adhortantes*, *suadentes*. Servient hi debita cum amplificatione adhibiti (r) ad varios in genere morali affectus excitandos. Sic 1. *Promittentes* ob divinam DEI nec falli, nec fallere potentis promissionem excitant spem. Ut Isaia: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur. Amen Amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* 2. *Prohibentes* peccati fugam: & odium; *præcipientes* vero virtutis amorem suscitant. Ut: *fugite fornicationem. Diligite inimicos vestros &c.* 3. *Minitantes* terrorem incutiunt. Ut: *væ homini illi per quem scandalum venit. &c.* 4. *Adhortantes* serviunt faciendis adhortationibus, item excitando audaciæ, æmulationis &c. affectui. Ut: *Poenitentiam agite. Vigilate, & orate. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Pax vobis, nolite timere, ego sum. &c.* 5. Alii *solantur*, vel ad *commiserationem* movent. Ut Jobi: *miseremini, miseremini mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me.* Has igitur, & similes sententias bene perspectas habeat Orator, ut iis ad commovendos affectus opportune uti queat.

VI. Germanum Sacræ Scripturæ sensum proferat Orator, ad mentem Ecclesiæ,

T 4

vel

r) Vide Cap. IV. Art. 1. §. 2.

PARS I.
CAPUT. III.
ARTICUL. I.
§ 1.

vel SS. Patrum, aut scripturæ interpretum, vel aliorum authorum, quos Ecclesia, vel diuturnus usus approbavit, legendoque recepit, & imposterum recipiet, ut fanxit CC. *Lateranense*, ac *Tridentinum*. Non igitur sit alienus, aut male detortus, vel DEO indignus, aut pro arbitrato affectus. Unde si quem attulerit Orator, confestim SS. Patrum, vel celebriorum interpretum testimoniis confirmet.

VII. Multiplex est Scripturæ sensus :
I. *Literalis*, isque vel proprius : vel improprius, sive metaphoricus. Ut : *ego sum via, veritas, & vita*. In utroque alii textus sunt historici, ut : *Liber generationis JESU Christi, filii David, filii Abraham*. Alii dogmatici, ut : *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Alii speculativi, ut : *Ibi erit fletus, & stridor dentium*. Alii practici, ut : *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum*. Vel parabolici assumpta similitudine, aut comparatione aliud significantes. Ut : *Simile est Regnum Cælorum decem Virginitibus*. Alter sensus est *Mysticus*, sive *Spiritualis*, quia haud ita vocibus, quam ipsis rebus per voces sensu literali significatis à Spiritu sancto intenditur. Sic illud Deutor. 25 : *Non alligabis os bovi trituranti* mystice significat, teste Paulo, Viris Apostolicis tribuenda esse victui necessaria. Triplex est :
I. *Allegoricus* : res credendas, ac Ecclesiæ militantis exprimit. Ut : *manna Eucharisti*.

ristiam. Circumcisio Baptismum. Canæ Nuptiæ Christi cum Ecclesia: animæ justæ cum DEO conjunctionem. 2. *Anagogicus* ad res sperandas, & triumphantis Ecclesiæ proprias refertur. Ut: gloriam cælestem, salutem animæ &c. Sic Apostolus per Sanctuarium, à Summo Pontifice semel in anno ingredi solitum, significat Cælum, quod Christus æterna redemptione inventa semel introivit. 3. *Tropologicus*, sive Moralís ordinatur ad mores, sive res agendas. Sic apud Apostolum panes Azymi indicant morum puritatem. Accidit interdum, ut eadem sententia omnes hos sensus complectatur. Sic *Jerusalem* sensu *literalí Urbem*: *allegorice* Ecclesiam: *tropologice* animam: *anagogice* cælestem gloriam indicat. Ex his duo potissimum familiares sunt Sacris Oratoribus: *literalis*, & *moralis* pulcherrima sacræ Orationi argumenta præbentes; licet doctiorem apud Auditorem etiam *Allegoricus*, & *Anagogicus* adhiberi queat. Denique datur sensus *Accomodatitius*, cum verus à Spiritu Sancto intentus scripturæ sensus alteri simili, vel prope simili rei accommodatur. Sic *Zachariæ* textus de *Jesu* Sacerdote, filio *Josedech*, & *Zorobabel* dictus: *Hi sunt duo Olive* &c. ab Joanne Apoc. II. v. 4. *Enoch*, & *Eliæ* aptatur. Ita ageres, si sententias de *Josepho* Patriarcha scriptos, *Josepho* Christi Nutritio accommodares. Hic creberrime adhibetur à Sacris Oratoribus, maxime in Panegyricis,

PARS I.
CAPUT. III.
ARTICUL. I.
§ 1.

PARS I. ubi vim habet similitudinis ad exornandum,
 CAPUT. I. ac illustrandum opportunæ.

ARTICUL. I. VIII. *Conceptibus* (ut ajunt) *Scripturisti-*

§ I.

cis, vel figuris *Biblicis* sobrie est utendum. Sunt autem *Scripturistici conceptus* ex verbis scripturæ, aut diversis è locis inter se collatis, vel ex variis Interpretum lectionibus erutæ animadversiones, ac doctrinæ. Ut ex illo *Genesis: in principio creavit Deus cælum & terram*, inferres: cœlestia præ terrestribus esse curanda: DEus enim in creatione universi cælum terræ prætulit: prius enim memorat cælum esse conditum, quam terram. *Figure* autem *Biblicæ* sunt: facta scripturæ, sensum *Allegoricum*, vel *Anagogicum* habentia, fidei, aut morum veritates, velut in imagine, adumbrantia. Sic serpens æneus à *Moyse* exaltatus, Christum in cruce significat. Fuit ætas, quæ totam concionis horam ejusmodi *conceptibus*, vel *figuris* longe lateque explicandis traduxerat, quod hodiernis Oratoribus, præsertim *Gallis*, non probatur, maxime, si viles sint (ut antea relatus) ac debili fundamento nitantur, glossâ videlicet, aut *Symachi*, *Aquilæ*, vel *Theodotionis* versione, aut ex violentis medii, ac infelicis ævi authorum commentationibus depromantur. 2.) Si obscuro sint, & à vulgo hominum vix, imo nunquam intelligantur. 3. Si longæ narrationis circuitu, vel diffusiori interpretatione versionis, aut longiori applicatione protasis ad apodosim flumen Orationis interrumpatur.

tur. Si denique in levem desinant allegoriam, ac similitudinem. Unde *sobrie* dixi adhibendos; non tamen improbo graves, & maturos in ipsis Scripturæ, vel Patrum dictis fundatos, cujusmodi reperies in concionibus *Cardinalis Casini*, & plerosque apud *Italos* Oratores. Dein, si in Moralibus dictionibus post thema solide probatum in locum similitudinis usurpentur. Vel pro exordio, aut ingressu ad argumentum, vel pro ornatu, ac digressionem ad mores facilius instituenda, adhibeantur.

IX. Exemplis tamen *Biblicis*, vel comparationibus, parabolis, aut similitudinibus in Scriptura, vel apud SS. Patres repertis, ac etiam *moralibus* scripturæ locorum *applicationibus*, quas suis in *Polyantheis* referunt *Lobnerus*, *Mansius*, *Houdrius* &c. tuto poterit uti Orator, maxime, si præter exempli, ac similitudinis vim, doctrinam insuper, ac probationem confirmando themati opportunam complectantur.

§ II.

Modi Scripturæ Sacræ sententias usurpandi.

HOS modos feliciter Sacræ Eloquentiæ Tyro ex præstantium Oratorum, maxime Italorum, & Gallorum lectione, & usu, quam ex præceptis condiscet; adferam tamen eorum aliquos.

I. Cum periodi in Oratione ita apte disponuntur; ut Scripturæ sententiæ ne verbo mutatae partem, ac membrum efficiant. Excellit

PARS I.
CAPUT. III
ARTICUL. I.
§. I.



PARS. I.
CAPUT. III.
ARTICUL. I.
§ II.

cellit hac in re suis in concionibus *Cardinalis Pazmannus* tam rite eas usurpans, quasi periodis adnatæ viderentur. Sancti etiam Ecclesiæ Patres hunc plerumque modum tenent. Sit paradigma è S. Ambr. (s) *Licet ergo nubere; sed pulchrius est abstinere: sunt enim vincula nuptiarum. Vultis scire quæ vincula? Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit, soluta est à lege viri. Probatum est igitur vinculum esse conjugium, quo mulier ligatur, & solvitur. Bona mutui amoris gratia; sed major est servitus: Neque enim mulier sui corporis potestatem habet, sed vir. Et ne forte tibi non conjugii videatur ista servitus esse; sed sexus: Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Quanta ergo conjugii necessitas, quæ subijcit alteri etiam fortiorem.*

II. Cum verba Scripturæ dicto modo usurpantur quidem; sed mutatis, vel non integre allatis verbis. Paradigma dat (t) *Pazmannus. E divinis Spiritus Sancti nominibus, quibus afficitur in sacris literis, manifestum fit, qualibus Dei donis ornetur anima, quam Sanctus insidet Spiritus. Vocat eum Scriptura Spiritum Sanctum, Spiritum rectum, Spiritum principalem. Cur ita? quoniam eum, quem sua exornat præsentia, facit sanctum, facit rectum, facit principalem mundi, Deo nonisquæ victorem.*

III. Cum Sacræ Sententiæ sensus solum, non item verba adferuntur. Vel prius Scripturæ

s) L. 2. de *Vitæ*. Conc. in die Pentec.



pturæ sensus propriis Oratorum verbis adducitur, postea sententia in confirmationem allati sensus subjungitur. Qui creberrimus est *Italorum, & Gallorum* mos. Sit utriusque paradigma ex (v) Segneri. *Nostisne cur hoc illi vitium (ingratitude) adeo displiceat? Certe non aliam ob causam, quam quia ingratitude (exemplum primi) est ille ventus ab Ezechiele descriptus, qui fertilissimam Divinæ magnificentæ tellurem exsiccatur, & exarescere facit. Hinc Deus (exemplum alterius) tam amare in Psalmis queritur de iis, qui mala pro bonis rependunt, non quod injuriis afficiatur ab iis; sed quod Deum in nostra commoda tam fecundum, sterilem reddant. Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ. Psal. 34. v. 12.*

IV. Cum textus sacer præmittitur, cui postea Oratoris explicatio subjungitur. Segneri (x). *Per animam vestram vos obtestor! respiscite, ne aliquando cum afflictissimo Jeremia sermo lamentari cogamini: Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. Loquitur hic Propheta in persona peccatoris, & erubescit similem se fuisse aviculæ ab aucupe visere deceptæ, & quo tandem illicio? gratis, gratis omnino, unus milii grano est inescata. Ab Christiani! num vos quoque de borum numero esse desideratis? Quid enim sunt terrena bona malo æterno, in quod peccando vos induitis, etiam minimo comparata, nisi granum milii? imo nec hoc quidem. Et vos ob spem lucri tantilli insidiatores vestros ultro sequimini,*

v) Serm. 17. in Quadr. x) Serm. 1. Quadr.

PARS I. *mini, ut ab illis illaqueati, & constricti æternum*
 CAPUT. III. *pereatis ?*

ARTICUL. I.

§. II.

V. Cum sensus Scripturæ breviter præmittitur, postea textus subjungitur, ac iterum fusior Oratoris explicatio adjicitur, rursus in fine sententia repetitur: Bourdaloue (y): *Denique ea mercede percepta, quantumcumque insatiabili cupiditate laboremus, nos fore contentos: Satiabor (ait Psaltes) cum apparuerit gloria tua. Quasi dicat: ad id usque tempus, quæcunque mihi bona impertierit mundus, fortunæ præsentis pertæsus semper inuidebo. Ad id usque tempus vota votis nectens, cælestiumque honorum inanis, anxia, irrequieta semper mens erit. At ubi fuero gloriæ tuæ particeps factus, tunc videlicet expleta pectoris inanitate incipiam esse in tranquillo. Non jam experiar ardentem illam cupiditatis suam, qua urebar: non ravidam illam arcane ambitionis famem, qua consciebar: finem invenient vota, ac desideria mea, quoniam gloriæ tuæ possessione plenam felicitatem, plenam requiem, plenum gaudium nanciscar. Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

VI. Cum Sententia Sacra, longior præfertim, per partes adfertur, interjecta brevi, vel fusiori Oratoris explicatione. Segneri (z): *O miserandi! quam præstabat nasci servos, & mancipia potius, quam grandes. Ubi sunt Principes gentium (inquit Baruch) de quibus vobis sermo erat? qui dominantur bestiis terræ, quique ut carpentis vebantur, tot equos nutriunt? qui in avibus cœli ludunt, & ut venatione*

y) Serm. in festo OO. SS. z) Serm. 33. Quadr.

one fruantur, tantas canum cohortes sustentant? qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum, & qui ad locupletandas domos, & familias suas non horrent gemitus integris civitatibus extorquere. Ubi sunt, ubi sunt? Exterminati sunt (ait Propheta) & ad inferos descenderunt, & alii loco eorum exsurrexerunt. Purpuram, aurum, sceptrum reliquerunt posteris, & ipsi inter perpetuas torquentur flammis. &c.

VII. Si textus brevior primum integre adferatur, rursus per partes repetatur interposita Oratoris paraphrasi. Calini (a). Quod si securos vos o famuli desideratis reddere, in aedibus esse debetis, quemadmodum Psalter Regius describit Idolorum statuas in templis: Oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient: os habent, & non loquentur. Vos oportet videre, quasi non videretis, & oculos habere, quasi caeci essetis: oculos habent & non videbunt. Vos oportet audire, quasi non audiretis, & aures habere, quasi surdi essetis: aures habent, & non audient. Vos oportet loqui, quasi non loqueremini, & linguam habere, quasi muti essetis: os habent, & non loquentur.

§. III.

Praxis inveniendi argumentum è Scriptura.

I. In eruendis è Scriptura argumentis hunc universe modum cape. I.) Delecto themate v. g. *jurgia inter Christianos sunt vitanda,*

a) In Libr. 1. Reg. Tom. 2. Serm. 42.

PARS I.
CAPUT III.
ARTICUL. 1.
§ III.

da, consule indicem Bibliorum, vel Concor-
dantias, aut Polyantheas *Lobneri*, *Houdrii*,
vel locos communes *Hanapi*, aut *Theſaurum*
Merzii &c. Vide, quas illic probantes Scri-
pturæ sententias reperire queas sub voce *jur-*
gium, vel huic synonymis, ut *rixa*, *contentio*:
aut contrariis, ut *dilectio*, *diligo*, *amor*, *amo*,
charitas, item *odium* &c. Reperies in Con-
cordantiis sub verbo *jurgium*; in Indice ve-
ro Bibliorum sub titulo *Charitas fraterna* hanc
sententiam notari Gen. 13. v. 8. *Dixit ergo*
Abram ad Loth, ne, quæſo, ſit jurgium inter me,
& te, & inter pastores in eos, & pastores tuos: fra-
tres enim ſumus.

II. Ex hac sententia confice postea
quamdam argumentationem, v. g. Syllogis-
mum, vel aliam, ut libuerit. *Inter fratres jur-*
gia ſunt vitanda, ait enim Scriptura: ne, quæſo,
ſit jurgium - - fratres enim ſumus; ſed Chriſtiani
ſunt fratres, ergo jurgia inter Chriſtianos ſunt
vitanda. Factum ſic argumentum dispice, ad
quem locum Oratorium pertineat, reperies
ad definitionem, vel relata, eo igitur, quo
hi, modo pertractari poteſt.

III. Cum autem *κρίνομενον*, ſeu vis Ora-
tionis, in aſſumptionis probatione confi-
ſtat, ad eam ergo ſtabiliendam novas ratio-
nes extrinſecas, vel intrinſecas excogita. I.
Extrinſecas: nam Chriſtiani naſcentis Ec-
cleſiæ initio appellati ſunt fratres, quod po-
ſtea primum *Antiochiæ* in Chriſtiani nomen
eſt commutatum. Unde *Petrus* ſuis in epiſto-
lis

lis Christianos fratres nominat: *Fratres satagite certam facere vocationem vestram. Item: Fratres sobrii estote, & vigilate.* &c. Nec fratres solum, sed etiam Sancti sunt vocati, quibus erat cor unum, & anima una, ut *Lucas* ait in actis. Iisne cor unum? illine fratres Sancti, quos inter fervent odia, vigent jurgia? &c. Vel 2. Intrinsicas, quia sumus fratres tam natura, quam spiritu. 1. *Natura*: nam eodem *Ada* parente progeniti, naturæ similitudinem, ac communionem habemus. 2. *Spiritu*: quia ejusdem *Patris*, nimirum *Christi*, & *Matris*, nimirum *Ecclesiæ*, filii nominamur. Has, si novis è *Scriptura* dicto modo petitis sententiis, aut *Patrum* autoritate, vel *Theologicis* rationibus firmaveris, habebis argumentum è *Scriptura* erutum, ac solide probatum.

IV. Alii prius, ac *Scripturam* adeant, constituto themate v. g. *proximus est diligendus*, ipsum etiam argumentum ex aliquo *Rhetorum* loco v. g. ab oppositis, aut relatis constituunt: *quia qui non diligit proximum, non diligit Deum*: ad hoc postea probandum, si nihil è memoria succurrat, adeunt indicem *Bibliorum*, vel *Concordantias* &c. reperiunt verbo *frater*, *diligo*, item *odit*, hanc *Joannis* sententiam: *siquis dixerit, quia diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est*, quod dein novis rationibus confirmant: *quia proximus est imago Dei, filius Dei, membrum Christi, templum Spiritus Sancti*, quas si aliis è *Scriptura* dicto

PARS I.
CAPUT. III
ARTICUL. I.
§ IV.

jam modo depromptis argumentis, aut è Patribus, vel Theologia stabiliveris, erit solidum è Scripturæ fundamentis rursus erutum argumentum.

§. IV.

Modi Conceptuum è Scriptura formandorum.

I. Formatur conceptus, cum Sententiæ Sacræ singula verba in sensu literalis per adjuncta: *quis, quid, ubi, &c.* expenduntur. Hunc plerumque modum tenent SS. Patres, nobisque suo in eximio opere *Manna animæ* inscripto in exemplis proposuit Segneri. Declaratur paradigmate. Sit hæc sententia: *Tollite jugum meum super vos.* 1. Expende quid jugi nomine, & cur appelletur? reperies: hic legem Dei jugum (à jungendo) dici. Cur? quia sicut jugum bina plerumque animalia conjungit, ita lex Dei homines ad observantiam divinatorum mandatorum velut ad jugum adstringit. 2. Cur dicatur *tollite*, non item *ferre*? quia licet legis divinæ observantiam Deus nobis præcipiat, haud tamen ad eam voluntates nostras cogat, ut ad ferendum jugum coguntur animalia sub jugum missa. Simile est (b) Vierix: *Zachæus non alteri restitutionem mandavit, sed ipsemet restituit: Non dixit reddam; sed reddo: non dixit postea; sed ecce, idest, statim, & quia non expectavit crastinum, hinc illi Christus dixit: hodie scelus huic domui facta est.*

II.

b) p. 3. *Serm. de bono Latrone.*

II. Cum Sententiæ Sacræ non singula verba, sed unum præcipuum, vel totius sententiæ sensus ex toto contextu, vel ex antecedentium, aut consequentium textuum sensu examinatur. Segneri (c) : *Zachæus penitentia ductus, dum Christo diceret: siquid aliquem defraudavi reddo quadruplum, audiit à Christo: hodie salus huic domui facta est. Quid sibi vult hæc responsio? an non potius dicendum erat: huic homini, quam huic domui? nunquid non domus, sed ipse Zachæus fraudes, ac furta fecit? nunquid Zachæus ipse, non ejus domus damna reparare, ac suæ saluti consulere voluit. Verissime id quidem; attamen Christus rem melius longe novit, non idcirco dixit: huic homini, sed huic domui salus facta est. Si enim Zachæus non dixisset: siquid aliquem defraudavi, reddo quadruplum, si aliena reddere noluisse, quamvis solus peccatum admiserit; haud tamen solus, sed una domus ejus peccatum luitura fuisset.*

III. Eruitur Conceptus ex sensu Scripturæ Literali, aut Mystico, ut Allegorico, Anagogico, aut Tropologico, quem adferunt SS. Patres, vel Scripturæ interpretes, quos conceptum formaturus Orator diligenter consulere debet. Sit exemplum Tropologici ex S. Gregorio M. ab anonymo (d) allati. *Habet Joannes de Lazaro: prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes institis, dixit ei JESUS: solvite eum, & finite abire. Quæretis fortasse: cur Christus Lazarum non an-*

V 2

te,

c) Serm. 13. Quadr. d) In Serm. MSS.

PARS I.
CAPUT. III.
ARTICULI. I
§. IV.

te, ipsemet solverit, quam è tumulto prodierit? Nonne Christus perinde, imo magis, quam Apostoli Lazarum solvere potuisset? Cur ergo Discipulis solvendum commisit? Si rem nosse vultis; audite Gregorium: Lazaro ergo dicitur veni foras, ac, si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam egredere per confessionem, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem ergo foras solvant Discipuli, ut pastores Ecclesiae ei poenam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit. Quasi diceret: ligatus è tumulto foras prodiit Lazarus, ut postea ab Apostolis solveretur: nec enim anima peccatis mortua, & ligata in vitam gratiae valet redire, nisi prius peccatum è tumulto cordis per confessionem prodeat, Christique Ministris solvendum sistatur.

IV. Fit conceptus ex variantibus lectionibus, cum una relicta, altera assumitur, vel utraque conjungitur. Segneri. (e): *Contendite intrare per angustam portam (clamat Christus) contendite, contendite. Quid sibi vult hoc contendite? an non idem est, ac dicere: sudate, laborate, aut quod Græco aptius expressit vocabulo S. Lucas: agonizate, id est ea animi contentione, ac conatu contendite, qualem adhibere solent, qui in agone pro corruptibili corona decertant &c.*

V. For-

e) Serm. 21. Quadr-

V. Formatur conceptus ex conciliatis Scripturæ antilogiis, quod fit vel autoritate Patrum, aut Scripturæ interpretum, vel denique per alium Scripturæ locum. Anonymus (f): *Legitur apud Matthæum: nemo potest duobus Dominis servire. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, inquit Moyses. Apostolus vero: nolite fieri servi hominum. Et tamen, quis credat? Ephesius præcipit Paulus: servi obedite Dominis carnalibus, nec obedite quocunque modo, sed cum timore, ac trenore. Ipse etiam Apostolus de se scribit: omnium me servum feci. Si ita? duobus ergo Dominis servire licet? Licet enim vero, sed, advertite, cujusmodi Dominis? iis, quorum mandata non fuerint Dei, supremi Domini, legibus adve. sa. Homo enim homini vicaria solum Dei potestate præest, nec servus aliter hero, quam Dei Ministro parere debet. Servi (inquit Apostolus) obedite Dominis carnalibus --- sicut Christo non ad oculos servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, faciente voluntatem Dei ex animo. Discite ergo Heri in famulis vestris non homines; sed Christi servos intueri: non alia, quam legibus divinis conformia præcipere mandata. Discite famuli in Heris vestris Dei Ministros; ipsum imo Christum, venerari, eorum mandata solerter exequi; at ejusmodi solum, quæ Dei legibus fuerint conformata.*

VI. Formatur conceptus, cum latens in aliquo sacre sententiæ verbo similitudo eruitur, protasi, & apodofi instruitur. Ita

V 3

Cali-

f) In Serm. M. SS.

PARS I.
CAPUT. III.
ARTIC. 1.
§ IV.

Calini (g) ex illo Jobi: *in circuitu meo pueri mei*, latentem in voce *circuitu* similitudinem eruit, monetve parentes: æquali affectu ferri debere in omnes filios, ut centrum æqualiter distat à circuli peripheria. Res clarior fiet paradigmate. *Aliter se habebat Beatus Job, cujus filii (ut ipse testatur) circa eum, velut in circulo, consistebant: in circuitu meo pueri mei. Tales profecto esse decet Patres, ac Matres familias: habere se debent ad liberos, sicut centrum ad circulum se habet. Centrum (ut nostis) æqualiter omnia circumferentiæ puncta respicit: omnibus æqualiter vicinum est: ab omnibus æqualiter distat: ad omnia æqualiter extendit lineas suas. Ita bonus Pater, ac bona Mater æquali in omnes natos amore ferri debent. At dicetis: filius iste parum ingenio pollet? polleat; at filius vester est. Ille si domi vestræ manserit, magno erit oneri, & impensis stabit? stet; sed filius vester est. Ille perquam est subdulus, vaser, ac contumax? sit ita; attamen filius vester est. Id agite, ut nœvos illius, quod vestri est officii corrigere studeatis; quia tamen filius, & sanguis vester est, eundem illi, quem aliis locum in corde tribuat: in circuitu pueri mei.*

VII. Formatur conceptus ex comparationibus, & figuris Biblicis, cum figura explicatur in protasi; figuratum vero in apodofi. Ejusmodi sermo typicus habetur apud Calini: assumptam Virginem sub typo Eliæ in cœlum rapti adumbrans. *Fam à figura trans-eamus ad figuratum. Haud immerito affirmari potest:*

g) *In Lib. 1. Reg. Tom. 1. Serm. 5.*

test: Virginem quoque Deiparam in cœlum esse deportatam in curru ignito ab equis igneis: ignis quippe fuerunt ingentes flammæ charitatis, quæ sicut ipsa n. in vitæ circulo transtulerunt ad Deum; sic in morte portaverunt ad cœlum. Assseverari potest eam traductam esse à nube quadam lucidissima, quia erat illustrata radiis divini Solis, quo fuit amicta: Mulier amicta sole &c.

IX. Possunt etiam formari conceptus ex parabolis Evangelicis, exemplis Biblicis, & allegoriis. Ut: *lucis, salis, vinæ, montis*, cæterisque, si è mente scripturæ, vel Patrum, aut interpretum earum proprietates, & attributa rite rebus, quas significant, accomodentur. Non opus est illustrare exemplis, obvia sunt.

X. Denique formantur conceptus ex sensu accomodatitio, sive ex applicationibus locorum Scripturæ. Conceptum igitur facturus Orator, videat ope indicis Bibliorum, aut Concordantiarum, quæ sententia similem, vel saltem affinem assumpto argumento sensum habeat, hanc postea materiæ accomodet suæ. Dantur complures hujusmodi applicationum ideæ in Polyantheis Langii, Mansii, Lohneri, Houdrii &c. Sit paradigma ex Houdrio (i). *Scandalorum auctoribus id merito dici potest, quod Ezechiel Propheta dicebat Judæis ævi sui: sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel. Quasi diceret: Domus Israel! id est, christiani! si ratum fixumque*

V 4

est

i) *Bibl. Conc. titulo scandalum.*

PARS I.
CAPUT. III
ARTICUL. II
§ I.

*est vobis, Deum sceleribus vestris offendere, si constitutum in periculum aeternae damnationis vos con-
jicere; offendite, conjicite (ó funesta concessio) per
me licet; sed vosmet ipsos solos. Parcite inno-
cuis fratribus vestris. Nolite eos in idem salutis
discrimen involvere, sufficiant vobis scelera ve-
stra, inquit Ezechiel &c.*

ARTICULUS II. DE SANCTIS PATRIBUS.

§. I.

Leges utendi SS. Patrum testimoniis.

SANCTORUM Patrum nomine, non sunt intelligendi (ut ait Franciscus (k) Zacharias) Apostoli, aut Pontifices quicumque, nec Doctores solum, ab Ecclesia expresso suffragio declarati, sed veteres Scriptores Ecclesiastici, ab Apostolico ævo ad medium XII. Sæculum, quorum agmen claudit Mellifluus Clarævallis Abbas Bernardus, quos (ut inquit (l) Annatus) *ob eminentem doctrinam, insignem vitæ sanctitatem, & competentem antiquitatem, ut tales agnovit, sive tacite, vel expresse declaravit Ecclesia.* In horum usu Ecclesiasticæ Eloquentiæ Tyroni sequentes regulæ sunt servandæ.

I. Post Scripturæ autoritatem Oratori Sacro utendum testimoniis SS. Patrum. Licet enim singulorum doctrina errori obno-
xia

k) *In prodromo ad Theol. Moral. Hermanni Busenbaum à Claudio La-Croix illustratam.* l) *In Apparatu L. 4. de SS. PP. Art. 2.*

xia esse possit, ut *Cypriani* de Hæreticis rebaptizandis sententia, magnum tamen probabilitatis pondus habet, nisi communi Ecclesiæ sensui, vel expressæ definitioni advesetur; unanimes autem Patrum consensus falsitatis argui minime potest; secus damnabimus Ecclesiam in conciliis dicentem: *Hæc est Patrum fides*, ac prohibentem, ne quis adversus unanimes Patrum sensum scripturam audeat interpretari.

PARS I.
CAPUT. III.
ARTICUL. II.
§ 1.

II. Quadruplex est Patrum usus in Eloquentia Sacra. 1. Ad probandum Orationis thema. Ut si dandam pauperibus eleemosynam probares argumento in sententia *Chrysostomi* reperto: *Deus pauperes in hoc mundo esse voluit, ut divites peccata sua redimerent.* 2. Ad firmandum Scripturæ Sacræ sensum dubium. 3. Ad conceptum è scripturæ verbis auctoritate Patris eruendum, vel si erutus est, confirmandum. 4. Adferuntur in modum similitudinis, vel allegoriæ, ut alius inde conceptus Oratori commodus formetur. Sit exemplum ex (*m*) *Amadæo*. Olim Christiani (teste *Tertulliano*) de infantum cæde fuere accusati ob corporis Christi manducationem, cujus mysterium ignorabant; poterit Orator accusare Patres ebrietati deditos de filiorum cæde, quorum substantiam devorant, ut Deo ventri litent.

III. Quod supra de Scripturæ sententiis dictum est, idem de Patrum testimoniis re-

V 5

peten-

m) *In Eloq. Christ. L. 2. C. 4. Art. 2. Sect. 2.*

PARS I. petendum venit. 1. Ne multæ, ad rem præ-
 CAPUT. III. fertim eandem, sententiæ congerantur. 2.
 ARTICUL. II. Ne citationibus, aut longioribus latinis tex-
 §. I. tibus flumen Orationis turbetur. 3. Licet
 affirmantes Patrum sententiæ non sint negli-
 gendæ; probantes tamen cæteris præhaben-
 dæ. 4. Ex utrisque, præ aliis, deligendæ
 sunt: *suadentes, promittentes, prohibentes, abhor-*
tantes &c. ob rationem jam allatam.

IV. In legendis Patrum operibus ad-
 vertendum. 1. *Ad tempus*, quo scripserint.
 Multa primis sæculis controversa, postero-
 ribus sunt definita. Sic *Papias, Justinus, Ire-*
næus fabulosam de millenario Christi regno
 secuti sunt sententiam, serius dein ab Eccle-
 sia damnatam. 2. *Ad scribentis ætatem*. Mul-
 ta junior scripsit *Augustinus*, quæ senior re-
 tractavit. 3. *Ad modum scribendi*. An rem ex
 proposito, vel solum per transfennam (ut a-
 junt) pertractet? Dein, an loquatur in mo-
 dum docentis, vel concionantis? *Vincentius*
Lirinensis sæpe Patres dicendi ardore abre-
 ptos *hyperbolice* fuisse locutos ait. Sic *Chryso-*
stomus Græcos à scenis, theatris, ac Poëtarum
 fabellis abstracturus, ad legendas scripturas
 generatim hortatus erat, quod tamen de do-
 ctis, ac legendi potestate præditis intelliga-
 tur, oportet. 4. Advertendum *ad editiones*, ut
 sint probatæ, cujusmodi sunt, quæ *Ducæi, Pe-*
tavii, Sirmondi, Gretseri, Raderi, Pontani, Scot-
ti, Vigerii, Possini, Labbei, maxime *Maurino-*
rum Patrum studio, atque opera prodierunt.

V. Caveat, ne pro genuinis supposita, ac sublestæ (ut ajunt fidei,) opera citet Orator, pro concione præsertim Polemica. Crisostomus dabit de hoc aureus Bellarmini de Scrip- toribus Ecclesiasticis libellus cum Dissertatione *Philippi Labbe*, ac *Oudini* supplemento. Item *Fabricii* Bibliotheca Ecclesiastica &c. Similiter : in rebus controversis pluribus potius, quam paucioribus : item synchronis ; quam aliis adhærendum.

VI. Siquid in Patribus antiquatum, vel duriusculum, nec fidei satis conforme, vel unum alteri adversantem repereris, non damnes confestim, sed vel excuses, vel concilies, aut loca obscuriora explices per clariora : vel denique si discedendum est, cum reverentia recedas. Sic *Chrysostomum* (hom. 14. in Joan.) dicentem : *Deum ne no vidit unquam ; nam id, quod est Deus, non modo Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli, explicata : loqui de visione (ut ajunt Theologi) comprehensiva, non vero de intuitiva : nam in Parænesi ad Theodorum lapsum aliter scribit. Quid dicemus, quando regis cubiculis adaper- tisi licet ipsi Regem non per speculum, neque per ænigma, sed facie ad faciem : non per fidem, sed per speciem. Viden' hic visionem affirmat intuitivam, illic igitur negat comprehensivam.*

VII. In reddendis vernacula Patrum sententiis sensum potius, quam verba spectet Orator, nisi in verbis (ut sæpe fit) vis posita foret. Sic *Hieronymus à Ruffino* reprehensus

PARS I. sus de epistola *Epiphanii ad Joannem Hieroso-*
 CAPUT. III. *lymitanum* male reddita reposuit: non ad
 ARTICUL. II. verbum, sed ad sensum esse redditam, quod
 § II. interpretandi genus optimum ait epistola ad
Pammachium.

§ II.

Modi argumenta depromendi ex Patribus.

U Sus Patrum idem est, qui Scripturæ. Quæ
 igitur illic diximus de usurpandis senten-
 tiis, de conceptibus formandis, eadem hic
 proportione servari debent: solum ergo ad-
 feram modos argumenta depromendi.

I. Methodus est ex *Homiliis, Concionibus,*
 & *sermonibus* Patrum, usurpatis eorum argu-
 mentis. Fit autem hac ratione.

I. Constituta apud animum generatim
 materia v. g. de danda pauperibus eleemo-
 syna, inspice Patris alicujus, ut Basilii, con-
 cionem in illud Lucæ: *destruam horrea mea, &*
majora ædificabo, reperies illic inter cætera
 hoc argumento divitis avari in pauperes be-
 neficentiam urgeri: quia divites sunt paupe-
 rum villici, ac dispensatores, & ministri Dei,
 idcirco divitiis aucti, ut eas in pauperes ero-
 garent: *Considera o homo* (inquit Basiliius) *eum,*
qui dedit, memor sis tui ipsius, quis es? quid dispen-
sas? à quo accepisti? cur multis prælatus es? Boni
Dei minister es: villicus conservorum, ne puta,
omnia ventri tuo præparata esse: velut de alienis
statue, quæ in manibus habes parvo tempore te læ-
titia afficient, deinde fluxa peribunt; verum ratio
 de

de his exacte à te exigetur. Dein dispice, quibus hoc ille argumentum modis amplificet, rationibus confirmet, similitudinibus breviter, aut fuse allatis illustret, ut iisdem uti possis. Invenies amplificationem esse à contrario: Tu vero omnia simul foribus, ac vectibus conclusa tenes, & sigillis obstructa habes, & consilium contra te ipsum inis, stolido consiliario te ipso utens: quid faciam? promptum erat dicere: implebo animas esurientium, aperiam horrea, & omnes inopes vocabo, imitabor Joseph (exemplum liberalitatis breviter allatum) in humanitatis præconio magnanimam vocem emittens: quicumque egetis panibus, venite ad me, singuli dati à Deo beneficii, quantum satis erit, velut ex communibus fontibus (brevis similitudo) particeps futuri. Cæterum tu talis non es, unde? quia sane invides hominibus fruitionem; pravum autem consilium in anima congregans, sollicitus es non quomodo distribuas unicuique ad necessitatem; sed quomodo omnibus susceptis, omnes ipsorum utilitate prives.

II. Hoc Basilii argumentum rediges in aliquam argumentandi formam, v. g. Syllogismum quinque partitum, in quo 1. Sit hæc major, sive propositio: divites sunt villici, ac dispensatores pauperum. Ratio majoris: quia idcirco bona à Deo acceperunt, ut superfluam eorum partem in pauperes dispensarent. Rationis confirmatio, autoritate Basilii: Considera ó homo! eum qui dedit, memor sis tui ipsius, quis es? quid dispensas? à quo accepisti? cur multis prælatus es? Bori Dei minister es, villicus conservorum &c.

2. Sit

PARS I.
CAPUT III.
ARTICUL. II.
§ II.

PARS I.
CAPUT. II.
ARTICUL. II
§ II.

2. Sit minor, five assumptio: *at si divites villici sunt, ac dispensatores, obstringuntur ad largiendam pauperibus eleemosynam.* Ratio minoris à triplici argumento: 1. A definitione: *quia veri, ac fidelis dispensatoris est, res sibi creditas eorum, quorum interest, usibus fideliter dispensare. Quis putas (ait Christus) est fidelis dispensator, ac prudens, quem constituit dominus super familiam suam (pauperes) ut det illis in tempore (egestatis) tritici mensuram (eleemosynam). Beatus ille servus (id est dispensator) quem, cum venerit dominus, ita invenerit facientem.* Amplificabis sententia Basilii à contrario: *Ne puta igitur omnia ventri tuo præparata esse, velut de alieno statue, quæ in manibus habes --- Ratio de his exacte à te exigetur, quemadmodum Herus Evangelicus exegerat à villico iniquitatis bona domini dissipantis: redde rationem villicationis tuæ?* 2. A similitudine per Basilium allata: *quia divites sunt dispensatores communis instar fontis se habentes, qui jugiter manat, nemini clausus est, omni patet aquam haurire volenti; ita divitum borrea, scrinia, marsupia &c. egenis aperta esse debent. Tu vero (amplifica per contrariam Basilii sententiam) omnia simul foribus, ac vectibus conclusa tenes, & sigillo obstructa habes, & consilium contra te ipsum inis, stolido consiliario te ipso utens, ut dives Evangelicus usus erat, quid faciam? Promptus erat dicere: implebo animas esurientium, aperiam borrea, & omnes inopes vocabo, imitabor Joseph.* 3. Ab exemplo Josephi, supremi in aula Pharaonis œconomi, & Ministri famis tempore

pore uniuersa horrea aperientis, quod Basilius breuiter adfert, tu diffusius cum protasi, & apodosi oratorie deduces, postea rursus in apodosi per contrariam Basili sententiam amplificabis: *Cæterum tu talis non es. Unde? quia sane inuides hominibus fruitionem --- sollicitus es, non quomodo distribuas unicuique ad necessitatem; sed quomodo omnibus susceptis omnes ipsorum utilitate priues &c.* Demum in conclusione, ergo diuites obstringuntur ad dandam pauperibus eleemosynam, repetitis breuiter argumentis dehortaberis diuites ab avaritia, & ad excercendam in egentes liberalitatem excitabis. Ad ciendum affectum seruiet Basili sententia per distributionem, ac repetitionem amplificata: *quicumque egetis panibus (claudi, cæci, viduæ, orphani, mendici, ægri &c.) venite ad me, singuli dati à Deo beneficii, quantum satis erit, velut ex communibus fontibus, participes futuri.* Hæc si rite elocutus fueris, habebis deductum ex Basili homilia elegans argumentum.

II. Modus est ex *probantibus* Patrum sententiis ope Polyanthearum. Cum paucis Tyronum copia detur Patrum opera consulendi, en alium ex Polyantheis inueniendi argumenti modum trado.

I. Delecto themate, v. g. tempus vitæ recte est transigendum, adi *Vincentii Houdri* Bibliothecam: sub voce *tempus*, has in ea probantes, proposito tuo seruituras, reperies sententias. 1. Hieronymi: *Tempus semen-*

tis

- PARS I. *tis tempus est præsens, & vita, quam currimus;*
 CAPUT. III. *in hac licet nobis; quod volumus, seminare: cum*
 ARTICUL. II. *ista vita transierit, operandi tempus aufertur. 2.*
 § II. *Iterum Hieronymi: Exiguum temporis perituri æternitatis est pretium. 3. Bernardini: Tempus tantum valet, quantum Deus: quia in tempore bene consumpto comparatur Deus. 4. Laurentii Justiniani: Quis mente assequatur, quam pretiosum sit tempus? Norunt hi, qui amiserunt, ii enim grato animo erogarent opes, honores, delicias, & quidquid est voluptatis pro una hora.*

II. Allatas sententias dispone in aliquam argumentandi formam, v. g. collectionem Oratoriam, Ciceroni familiarem, in qua

1. Sit hæc propositio: *tempus vitæ recte est impendendum.*
2. Hujus ratio sit à simili ex Hieronymo: *quia tempus vitæ præsentis, quam decurrimus, est tempus sementis meritorum, in qua licet nobis, quod volumus, seminare; cum transierit operandi tempus aufertur. Quæ seminaverit homo, (inquit Paulus) hæc & metet.* Rationis confirmatio sit rursus ex Hieronymo, & Bernardino: *quia ex jacta meritorum semente, sive ex tempore bene consumpto, messis uberrima colligitur, id est, Deus comparatur, & beata æternitas emitur, & exiguum temporis perituri æternitatis est pretium.*
4. Exornatio, & amplificatio fiat à simili: *quis nisi deses, aut demens Agricola jaciendæ sementis, ex qua uberrimam certo messem habet sperandam, aut Mercator comparandæ facili negotio ingentis pretii margaritæ opportunam negligat occasionem? hoc agunt, qui suæ*
tempus

tempus vitæ male exigunt. Ubi enim copiosior messis sperari potest, ac in beata æternitate? in qua nec oculus vidit: nec auris audivit: nec in cor hominis descendit, quanta Deus diligentibus se præparavit. Quæ ditior est margarita, quam Deus? qui omnes thesauros, ac divitias bonitatis complectitur. Urgebis ratione à S. Laurentio Justiniano allata: Norunt hoc hi, sive damnati, qui amiserunt, id est, neglecto seminis, ac mercatus tempore omnium beata æternitatis messem, & obtinenda cælestis margaritæ spem perdiderunt, quanti pretii fecerint jacturam. Certe si grato animo erogarent opes, honores, delicias, & quidquid est voluptatis pro una horula, ut eam repararent. In complexione, igitur tempus recte est impendendum, adhortaberis ad bonum temporis usum verbis Apostoli: ergo dum tempus habemus, operemur bonum &c. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Vide quam solidum ex Patrum sententiis ope Polyanthearum depromi possit argumentum, si ingenio polleas ad inveniendum, & judicio ad disponendum.

PARS I.
CAPUT. III.
ARTICUL. II.
§ II.

ARTICULUS III.

DE THEOLOGIA.

§. I.

Leges utendi Theologia.

Theologia est DEI, rerumque divinarum notitia, fidei principiis innixa. Si momenta simpliciter adferat ex Scripturis, Conciliis, Patribus ad confirmandam veritatem, dicitur *Dogmatica*: cum vero ope Dialecticæ

PARS I. delectis sententiis luculentius explanat, est
 CAPUT. III. *Scholastica*: quoniam in scholis hæc forma lo-
 ARTICUL. III cum obtinuit, cujus parentem ferunt *Petrum*
 §. 1. *Lombardum*, Parisiorum Episcopum, Magistri
 sententiarum nomine compellatum. Si au-
 tem mores ad legis æternæ regulas exigat,
 vocatur *Moralis*: cum res fidei adversum Hæ-
 reticos tuetur, est *Polemica*: denique si ad mo-
 vendos in Deum affectus tendat, est *Asceti-*
ca. Omnium cognitio prodesse potest Sacro
 Oratori; at debite usurpata. Unde

I. Concionem paraturus Orator cave-
 at, ne quid sanæ Theologiæ adversum dicat,
 falsa pro veris: ambigua pro certis: parum
 solida, & errori vicina pro firmis, ac indubi-
 tatis credulæ multitudini adstruendo. Unde
 si concio sit *Didactica* in genere *Dogmatico*,
Polemico, aut *Catechetico*, diligenter consulat
 Theologos *Dogmaticos*, *Polemicos*, ac *Scholasti-*
cos. Si *Moralis* fuerit, adeat *Morales*; quan-
 quam *Vincentius Houdri* in sua Bibliotheca,
 toties à nobis memorata, quidquid Sacro O-
 ratori necessarium est cognitu, in quacun-
 que morum materia, doctissime collegit.

II. Ad rem nullam fide divina creden-
 dam adstringat Auditorem orator; nisi per
 Ecclesiam proponentem, discernentem, ac
 custodientem credendum quidpiam propo-
 natur Christi fidelibus. Unde licet *Theologi*
 sententiæ suæ doctrinam à DEO revelatam
 esse dicant; si tamen ab Ecclesia nondum sit
 definita, ut fidei caput non est adstruenda.

Sic

Sic tametsi *immaculatam* Virginis *Conceptionem*, Tridentini decreto, pium sit tenere, & asserere; haud tamen credendum est, ut fidei momentum; cum ab Ecclesia nondum sit propositum.

PARS. I.
CAPUT III.
ARTICUL. III.
§ II.

III. Caveat conceptus è *Theologia* sublimiore petitos, quos populus vel non intelligat, aut perperam intellectos in offensam trahat: nec dissolvendis quæstionibus *Theologicis* admodum occupetur, ni Sacrae Eloquentiæ majestati detractum velit. Vitet formulas, ac loquendi modos scholis usitatos: nec turbam authorum citet: fat erit ad dissolvendam quæstionis difficultatem graviores attulisse. In amplectendis sententiis consultius sequetur mediocritatem, quam nimium rigorem, aut libertatem. Denique, siquid è *Theologia* depromitur, illud non sicce, & anguste, sed Oratorie (ut ait (n) *Rapinus*) debita cum amplificatione usurpetur.

§. II.

Ufus Theologiæ.

Theologiæ usus potissimum est in argumentis depromendis, quæ copiosissima solet Sacris Oratoribus suppeditare. Duplicis exempla dabo: *Dogmaticæ*, & *Asceticæ*; nam eadem est reliquarum ratio.

I. *Dogmaticæ*. Sit festo SS. Petri, & Pauli die dicenda Concio Dogmatica de Petri
X 2 Prin-

n) In animadversionibus super Eloquentiam Sacram è Gallico Italice redditis § X.

PARS I.
CAPUT. III.
ARTIC. III.
§ II.

Principatu in Ecclesia. Consule Theologi-
am Scholastico Dogmaticam P. Gabrielis An-
toine Societatis nostræ Præsbyteri. Ad pro-
bandum hoc thema, cætera inter dabit istud
argumentum: *quia Petrus habet claves Ecclesiæ.*
Quod erit major, sive propositio. Hujus
ratio ex verbis Christi Petro dictis, & ab An-
toine allatis; *Tibi dabo claves Regni cælorum*
&c. Dein erit assumptio: *sed Regnum cælo-
rum est Ecclesiæ; claves autem significant supre-
mam potestatem, ac principatum.* Ratio primæ
partis est I. A variis parabolis ubi Regni
cælorum nomine Ecclesiæ intelligitur: *simi-
le est Regnum cælorum, idest Ecclesiæ, decem Vir-
ginibus.* Ab autoritate Gregorii: *Regnum cæ-
lorum præsentis temporis Ecclesiæ dicitur; at in
omni Regno est Rex, Princeps, ergo etiam in Ec-
clesiæ. Quis ille? nisi Petrus, qui habet claves Ec-
clesiæ.* Unde Ratio secundæ partis est: *quia
per traditionem clavium (ut ait Antoine) Petro
promissam intelligitur primatus, seu suprema pote-
stas: ut patet ex aliis scripturæ locis, quæ e-
runt rationis confirmatio. Sic Isaia C. 22. fu-
tura Eliacim in summum Sacerdotem insti-
tutio clavibus exprimitur: Dabo clavim domus
David super humeros ejus, & aperiet, & non erit,
qui claudat. Item Apoc. 3. Hæc dicit sanctus,
& verus; qui habet clavim David, qui aperit, &
nemo claudit. Cum ergo metaphora clavium signi-
ficet in illis locis supremum Principatum, etiam in
dictis Christi. Exornabitur, & amplificabitur
à similitudine per Antoine allata: sic ex com-
muni*

muni sensu, & usu hominum, secundum quem Christus loquitur, cui traduntur claves civitatis, is instituitur, vel declaratur Rex, aut Governator Civitatis &c. Hic confutari possunt argumenta contraria, quæ brevitatis causa prætereo. Ergo Petrus habet supremum in Ecclesia principatum, quod est complexio. Hæc si Oratorie expoliveris, dabit solidum Theologia Dogmatica argumentum.

II. Ulus Asceticæ. Sit hoc thema Morale, & Asceticum: Deus sæpe calamitates immitit ad ostendendam solummodo potentiam suam. Quod si in modum Christi deducere velis, dabit Drexelii (o) Gymnasium patientiæ. ad hoc probandum. 1. Exemplum: hominis à suo exortu cæci, ac per Christum sanati, de quo dicitur (p) neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo. 2. Causam: quia Deus summus est vitæ, re, unque nostrarum Dominus, stricto in nos jure præditus. Licet igitur moribus essemus Jeremiæ, Danielis, aut Baptistæ, ad ostendendam tamen potentiam potest nos innumeris premere calamitatibus; quemadmodum morbis, morte premit infantes; licet nullius culpæ à se perpetratæ reos. 3. Contrarium: quia valetudo, honores, facultates, cæteraque hominis bona sunt Dei dona, & beneficia, quæ si subtraxerit, nemini ulli injuriam inferet. An non licet mihi facere, quod volo, inquit (q) Christus. Amice non facio tibi injuriam, tolle quod tuum est, & vade. 4. Testimonium: subtrahit nobis (in-

X 3

quit

o) p. 1. C. 2. § 4. p) Joan. 9. v. 3. q) Matth. 20.

PARS I. quit (r) Augustinus) aliquando, quæ necessaria
 CAPUT. III. sunt, & atterit nos, ut sciamus: quia Pater, &
 ARTICUL. IV. Dominus est, non solum blandiens, sed & flagel-
 § I. lans. 5. Simile: sicut in Principis arbitrio posi-
 tu n est, huic equum, illi torquem, nihil isti donare;
 ita cum subditi simus, nec ab opere clientelæ immu-
 nes, nemini cuiquam injuriam inferet, si majesta-
 tis utatur jure. Atque hoc, aut simili, modo
 depromere potes in alio etiam thematis ge-
 nere (quod præstantissimi faciunt Oratores)
 quamplurima ex Ascetis argumenta.

ARTICULUS IV.

DE HISTORIA.

§ I.

Leges utendi Historia.

Historia est rerum gestarum memoria. Hu-
 jus cognitio necessaria videtur Sacro
 Oratori: cum, in genere præsertim suaſorio,
 magnum pondus habeant exempla parium,
 majorum, ac minorum; aliqua tamen in
 ejus usu sunt servanda.

I. Licet fuerit ætas Concionatorum,
 qua maximus, ac creberrimus Historiarum
 usus erat, adeo, ut toti Concioni fundamen-
 tum præbuerit quodpiam exemplum Orato-
 rie deductum, cujusmodi Historicæ Concio-
 nes complures reperiuntur apud *Michaëlem*
Pexensfelder, & alios superioris ævi, in *Germa-
 nia* præsertim, Concionatores. At mos hic
 jam evuluit apud præstantiores hodierni tem-
 poris

r) Tom. 8. in Psal. 62.

poris Oratores: quia tamen Historica exempla magnum sacrae etiam dictioni adferunt ornatum, & non parum, rudiores maxime, oblectent Auditorem, non omnino abstinentium puto, si iis Auditor capi videatur, praefertim dum in similitudinis locum, vel ad Orationis ingressum, aut argumenti introductionem, vel ad mitituendas (quod *Itali* faciunt) morum digressiones, aut ad expolientiam Orationem parce, ac sobrie adhibeantur. Unde

II. Historiae sint probatae. Quas inter principatum obtinet *Biblica*, nec à recentioribus Oratoribus excludi solita. Alterum locum habet *Ecclesiastica*, à primorum maxime saeculorum Scriptoribus conscripta, vel si exempla ab Ecclesiae Patribus sint relata, quibus major semper solet haberi fides. Dein recentiorum, ut *Baronii*, *Spondani*, *Pagii*, *Dunshil*, ac caeterorum. Postea vitae Sanctorum à Synchronis, ac probatis auctoribus editae. Denique variorum ordinum Annales, quibus omnem adimere fidem temerarium foret. Procul vero habendae sunt, nescio, quae legendae, Chronica, caeteraque ignorantissimo aëvo ab incertis, vel saltem obscuris auctoribus confarcinata. Unde ad majorem Historiae fidem Scriptoris nomen diligenter est referendum.

III. Sacra potius, quam profana adhibeantur exempla: hæc enim magis addecent sacrae dictionis sanctitatem. Fuerant quidem

PARS I.
CAPUT. III.
ARTICUL. IV.
§ I.

(ut jam ante memini) infelicia Concionatorum tempora, quibus è profanis variorum regnorum, gentium: vel ex naturali animalium, arborum, mineralium &c. quin ex fabulosis Græcorum Historiis depromptæ eruditiones, & exempla maximam Orationis partem occupabant, & profanorum authorum: ut *Plinii, Senecæ, Plutarchi*; ac Philosophorum: ut *Epicteti, Aristotelis, Diogenis, Socratis* sententiæ princeps Concioni argumentum præbebant. Hæc tamen recentiores salubriter correxere, profanam, si debeant, eruditionem condimenti instar parce, breviter, ac sobrie usurpantes. 1. *Parce*; ne sit profanorum exemplorum, ac sententiarum congeries. 2. *Breviter*, sine longis descriptionibus, & amplificationibus. 3. *Sobrie*, non in locum principalis argumenti; sed in modum similitudinis, vel certe ornatus gratia, ut allatæ rationes solum illustrentur, aut exornentur. Optimum foret, si ejusmodi profana sententia, vel eruditio, Scripturæ Divinæ (quod *Petrus* facit *Pazmannus*) vel alia Sancti Patris sententia, aut exemplo, prioris profanæ eruditionis sensum continente, confirmetur. Vel certe in modum comparationis majorum, aut minorum adducantur, v. g. *hæc si Ethnici homines, ac Gentiles Philosophi solo naturæ ductu sensere, ac fecere. Quid agendum est vobis ó Christiani?* &c. Idem sentiendum de *symbolis, hieroglyphicis, emblematis, ænigmatis, adagiis, apophtegmatibus, & apologis* &c.

Deni-

Denique curandum, ut exempla historica sint apta proposito: non vi intrusa; sed ex rebus nata,

PARS I.
CAPUT. III.
ARTICUL. IV.

§ II.

§ II.

Modi Historiam usurpandi.

QUÆ similitudinis, eadem methodi sunt Historiæ usurpandæ; adferam tamen hujus etiam exempla, ut videant Tyrones præcepta, qui sint in usum deducenda. Quomodo autem diffusius Oratorie sit tractanda, dicam in Narratione.

I. Cum breviter aliquid adfertur ex Historia, non in modum similitudinis, sed argumenti rem confirmantis. Segneri (*s*): *Date mihi veniam, si vos acerbius increpe n peccatores, dicamve vos omnium longe rudissimos esse, quibus stimulus mortis perspectus non est. Non sunt jejunia, quæ mortem accelerant, quin oppositum potius promittit Ecclesiasticus: qui abstinens est, adjiciet vitam. Secus surget è tumulo rediivus Romualdus, qui austeris pœnitentiæ operibus in centum annorum spatia vitam extendit, & mendacii vos arguet: idem facient Hieronymi, Antonii, Arsenii, idem innumeri carnis suæ severissimi castigatores Anachoretæ, qui vitam in longiorem produxere ætatem, quam ullus Lucullorum effœminatissimus valuerit protraxisse.*

II. Cum Historia breviter adhibetur in modum similitudinis cum apodosi sine notis. Pazmannus (*t*): *Utinam Deus vi, & efficaciâ Xenocratis Philosphi, mentem, ac linguam hodie*

X 5

dona-

s) Serm. 1. Quadr. 1) Couc. 1. in Dom. 1. post Epiph.

PARS I.
CAPUT III.
ARTICUL. IV.
§ II.

donaret meam. Hic Polemoni Adolescenti (ut scribit Laertius) temulente scholam ingresso, gravibus adeo argumentis ebrietatis fugam, & horrorem persuaserat, ut sobriam semper postea egerit vitam. Utinam (inquam) Auditores! meo etiam hodierno sermone hæc vis inderetur, ut exposita vitii hujus perniciofa turpitudine perpetuum ebrietati nuntium mitteretis.

III. Cum Historia breviter adfertur sine apodofi, cum notis tamen similitudinis: ut, sicut, instar, similis, dissimilis &c. Nolite igitur fallaciter vobis blandiri peccatores: permitto vos in mortis articulo dolere posse, sed Antiochi instar, qui doluit se affixisse Hebræos, at mortis metus, & arrosæ carnis fætor hunc illi dolorem expressit &c. Item Segneri (v): si nondum attente perpendistis: quid sit æternum torqueri? eja! ite actutum, & Isaiæ consilio sine mora in conclave concedite, ibi clausis fenestris, extincta lampade, tota animi contentione expendite; ac tum reversi responsum date. Certus sum vos haud absimiles redituros Trophonii Magi ab antro egressis hominibus, qui tanto specus istius horrore perciti fuerunt, ut nullum postea hilaritatis, ac lætitiæ sensum potuerint edidisse.

IV. Cum exempla in modum similitudinis congeruntur. Item apodofi contraria instruuntur. Segneri (x) Si vos aliquando (quod propitii avertant superi) in æternæ damnationis interitum prolabi contingat, quis tantæ clementiæ, ac potestatis erit, ut inde vos eripiat?
Abso-

v) Serm. 7. Quadr. n. 6. x) Ibidem.

Absolon duro quondam exilio multatus, ope Purpurati reditum impetravit; Joseph obscuro carcere mancipatus, tandem à pocillatore Pharaonis asseruus est in libertatem; Jeremias in cisternam luto, & uligine plenam projectus, ut lenta illic morte contabesceret, Abimelechian nactus est, qui porrecto fune miserum extraxit. Vos vero quis extrahet de altitudine ventris inferi? quis funem porriget? quis scalas applicabit? Credite: qui descenderit ad inferos, non ascendet, inquit Jobus.

PARS I.
CAPUT. III.
ARTICUL. IV.
§ II.

V. Cum exemplum, maxime profanum, in apodofi Scripturæ, vel Sancti Patris (ut ante diximus) sententia, allati exempli sensum complectente, confirmatur. Segneri (y) *Legitur Scytharum Rex Itansiva, Dario Regi hosti jurato munus rarum, ac insolitum misisse: tria nimirum diverse indolis animalia: glirem, piscem, & volucrem cum sagitta veneno illita, ad significandum (teste Clemente Alexandrino) nisi se talpæ instar cavernæ abdiderit, aut piscis instar undarum fluctibus absconderit, vel in modum volucris in nubes, & auras avolaverit, manus, & sagittam suam haud evasurum. Barbara hæc erat Scythici Regis, & plena fastu jactantia! At dicite peccatores, an manum Dei effugietis? Neutiquam certe: Regius enim Vates ait: Si ascendero in cælum, ut volucris, tu illic es. Si, talpæ instar in terram defossus, descendero in infernum, ades. Si, piscis instar Oceani fluctibus immersus, habitavero in extremis maris, illic tenebit me*

y) *Serm. 5. Quadr. n. 10.*

PARS I.
CAPUT. IV.

me dextera tua, ac divinæ justitiæ sagitta depre-
hendet &c.

C A P U T IV.

DE INVENTIONE AFFECTUUM.

PRæcipuum Sacri Oratoris officium pos-
tum est in permovendis animis Audi-
torum, quod minime præstabit Orator,
nisi tractandorum affectuum artem habuerit
perspectam. Est autem universe affectus ex
mente *Quintiliani*: motus animi ex apre-
hensione boni, vel mali exortus, sive ejus-
modi animi æstus tacite, vel occulte expres-
sus stylo Oratorio, quo auditorum volunta-
tes ad amorem, aut odium: desiderium, vel
fugam, aliamve rei cupiditatem impelluntur.
At ista affectus descriptione profani Rheto-
res potissimum animi passiones in appetitio-
ne (ut ajunt) sentiente constitutas, & in cau-
sis, maxime Judicialibus, concitari solitas intel-
lexere. Sacros autem apud Oratores (ut
belle advertit *Matthias Heimbach*) affectuum
nomine non has solum passiones, sed omnem
uniuscujusvis christianæ virtutis, sive *Theo-
logicæ*, ut Fidei, Spei, Charitatis; sive *Mora-
lis*: ut patientiæ, humilitatis, pœnitentiæ, in
Deum fiduciæ actum, & motum in Auditoris
voluntate excitandum intelligi debere. Hi
affectus ratione naturæ alii sunt lenes; alii
vehementes: illi placide; hi acriter, imbris
instar vehementioris, animum afficiunt. Ra-
tione vero modi, quo ab Oratore exciuntur,
alii

alii sunt aperti; alii occulti. Hos clam, & tacite excitat Orator, vel rei alicujus viva ut ajunt) descriptione, aut graviori amplificatione, vel quapiam figura Rhetorica. In illos palam, & aperte ipse etiam prorumpit Orator, & quasi præit Auditori ad eosdem in animo eliciendos. De his ergo affectibus primum generatim; postea de unoquovis agam speciatim.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. I.
§ I.

ARTICULUS I.

DE AFFECTIBUS GENERATIM.

§ I.

Leges tractandorum universe Affectuum.

I. Affectus sint convenientes Auditori. Non omnium eadem sunt ingenia, nec iidem mores hominum. Sic probi ducuntur virtutis amore; improbi, & obdurati ne pœnarum quidem metu percelluntur: Nobiles, ac ingenui aguntur laude, honestate, amore, spe &c; agrestes metu, audacia &c. Juvenes sunt æstu fervidi, confidentes, prompti, audaces, liberales, inconstantes; Senes cauti, diffidentes, suspicaces, timidi, avari &c. Fœminæ molles, ad iram, dolorem, ac misericordiam proniores. Quin accidit pœsæpe, ut Auditorum aliqui delectentur veritate pro concione aperte proposita, ament exaggerationes, Philippicas &c. Sunt contra, qui ulceris instar molliter tractari volunt. Sacer igitur Orator habeat perspectos Auditorum animos,

PARS I. mos, ut affectus, ac dicendi formam eorum
 CAPUT. IV. moribus, ac ingenio conformare queat.

ARTICUL. I. II. Sint conformes etiam Oratori. 1.

§ I.

Viribus, ne si vehementiores adhibuerit, dicendo deficiat. Atque istud fuisse credidero: cur *Petri Pazmanni* Cardinalis, doctæ licet, langveant Conciones: erat enim (ut è gravibus Viris intellexeram) voce, pectore ad concitatum dicendi genus minime comparato. 2. *Moribus*: ne affectus sedandi, vel excitandi dissideant à vita Oratoris. V. g. Dilectionem inimicorum, aut mansuetudinem, vel in pauperes beneficentiam suasurus, non odio, ira, aut avaritia laboret; secus nullum in Auditore pondus concio habebit. 3. Sint etiam conformes *interno sensui*, id est, ut Orator id, quod dicit, re ipsa animo etiam sentiat, cæteroquin exclamationes, obtestationes, cæterique affectus sonabunt verius, quam penetrabunt. Ante igitur, quam dictionem pronunciet, affectus in se suscitet per meditationem de concionis materia instituendam, quod præstantissimi faciunt Oratorum. Non urit, qui non ardet focus. Denique sint conformes *voci, vultui, gestui*; at de his libro tertio agemus.

III. Sint convenientes Orationis generi, ac themati. 1. *Generi*: non enim unumquodque dicendi genus eosdem, vel pari numero admittit affectus. In *Didactico*, cum plerumque doceat Orator, parcius adhibentur: in *Panegyrico*, cum delectet, leniores usur-

pan-

pantur: in *Morali*, cum gravissimis de rebus agatur, excitantur crebriores, & vehementiores, iique pro thematis diversitate diversi. Unde Sacro Oratori diligenter dispiciendum: an affectus decursu Concionis sedandi, vel exciendi sint proposito convenientes. Verbi causa: sit dicendum de injuriis condonandis, sedabis affectum odii, vel iræ; amoris autem in proximum, vel benignitatis, aut condonationis injuriæ actum jam aperte, jam occulte excitabis. Dupliciter autem poterunt affectus materiæ conformari. 1. Si invento themate statim affectum determines, cui postea urgendo partitionem, argumenta, ac reliquam Orationem accomodes. Vel 2. Invento prius themate, partitione, argumentis, affectus his convenientes constituas. Poterit etiam Orator præter principalia Orationis argumenta addere alias etiam rationes tali affectui proprias, maxime in epilogo, ubi potissimus vehementiorum affectuum locus esse solet.

IV. Affectus eliciantur ex arte, id est, debite, opportune, suis in locis, ac sobrie. 1. *Debite*, ne unquam in affectum, maxime graviolem, assurgat Orator, nisi argumento rite probato, & amplificato. Frustra animus impellitur ad amorem, vel fugam ignoti: perducto prius ad assensum intellectu, facile voluntas consequetur. 2. *Opportune*, id est, ne longe, ac violente accersantur, neve statim apertis utatur, prius clanculum, ac furtim quasi

PARS I.
CAPUT IV.
ARTICUL. I.
§ I.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. I.
§. I.

quasi ad eos veniat, ut Auditoris animus sponte moveri, non succumbere videatur. 3. *Suis in locis*, id est, in exordiis excitentur plerumque leniores; ne fervente initio finis languescat, nec prosequendæ dictioni Oratoris spiritus sufficiat. In confirmatione autem pluribus membri, ac partibus constante cujuslibet complexioni, quin etiam assumptioni, si illic digressio fiat ad mores, affectus admisceantur; haud tamen tam graves, ac vehementes, ut in epilogo, ubi panis veluti velis in affectus prorumpitur, ut Auditori aculeus infigatur. Novi sacrum Oratorem Ciceronis maxime perorationes solitum lectitare, ut observatos ciendorum in eo affectuum modos usurpare queat. 4. Denique *sobrie*: ne sint nimium frequentes, vel iidem, aut saltem eodem prolati modo: varientur: nec justo longius protrahantur; secus diurnitate languerent tam in Oratore, quam in Auditore.

§. II.

Fontes ciendi Affectus universæ.

I. Fons sunt *Loci Oratorii*; affectus enim argumentis moventur; hæc autem è locis (ut dixeram) Oratoriis depromuntur. Et quidem 1. Excitantur *definitionibus*, præsertim *conglobatis*, quæ densissimi instar imbris animum percellere solent. 2. *Notatione*, & *conjugatis*, maxime affectus pudoris, & æmulationis. 3. *Partium enumeratione* cum figura interrogationis, & repetitionis adhibita. 4.

Con-

Congerie effectuum, seu verbis, seu nominibus subitantis proferantur. 5. *Adjunctis* rerum, maxime antecedentium, comitantium, consequentium; cum res per hypothiposim describuntur. 6. *Similitudine*, & exemplo, maxime scripturæ, si per prothasim, & apodosim Oratorie deductam ad persfringendos particulatim mores Orator delabatur. 7. *Comparatione*: quorum omnium exempla reperies in paradigmatis jam ante relatis.

II. Fons sunt *Scripturæ*, & *Patrum sententiæ* jam in se affectum complectentes. Cujusmodi sunt plerumque textus *adhortantes*, *incerpantes*, *minitantes*, *obsecrantes*, *interrogantes* &c. qui debita cum amplificatione, ac morum digressionem adhibiti, gravissimos in Auditore motus poterunt excitare. Talis foret illa Isaia (z) ad exaggerandam ingratitude: *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ (id est animæ christianæ) & non feci? an quod expectavi, ut faceret uvam, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus; & erit in direptionem: diruam maceriam ejus; & erit in conculcationem.* Item Leonis Papæ (a) *Agnosce o Christiane dignitatem tuam, & divinæ factus confors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento, cujus capitis, & cujus corporis sis membrum; reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum &c.* Unde motum facturus

Y

Ora-

z) Isaia 5. v. 4. 5. a) Serm. 1. de Nat. Dom.

PARS I.
CAPUT IV.
ARTICUL I.
§. II.

Orator, fatagat, ut opportunam ei, quem cō-
ere vult, affectui, Scripturæ, vel Patris sen-
tentiam reperiat.

III. Fons est *amplificatio Oratoria*. Quam-
vis enim argumenta tam ex locis Oratoriis,
quam Concionatoriis sicce, ac jejune propo-
sita vim aliquam ad persuadendum habeant;
hæud tamen voluntates movent, nisi debita
amplificatione, & affectu inde exorto, velut
ariete, impellantur. Ad hos porro elicien-
dos omne quidem amplificationum genus a-
libi exponendum, deservit; præ ceteris valet
tamen paraphrasis; cum sententiæ sacræ, jam
aliquem affectum in se breviter complexæ,
cum distributione partium, ac repetitione
sententiæ, & ad mores applicatione diffusius
explicantur, cujus paradigmata habentur in-
ferius.

IV. Fons sunt *figuræ Rhetoricæ*, præfer-
tim moventes, ut Profopopæa, Exclamatio,
Apostrophe, Interrogatio cum repetitione,
Obsecratio, Comminatio, Imprecatio &c.
Singularum exempla dabuntur suo loco; sint
tamen hic etiam aliquarum. 1. Apostrophes
(b): *Heu Juda! qua tu fronte, qua audacia po-
teris tradere canibus Dominum tantis te beneficiis
cumulantem? Siste, siste! priusquam figas illi,
quod meditaris, perfidiæ osculum; diligenter rem
considera: quid sit prodere, & quidem pro paucis
nummulis prodere? Certe facinus est tam abomi-
nandum, ut tu ipse tibi gulam laqueo sis fracturus,*
impa-

b) Segneri in palatio Apost. Conc. 12.

impatiens probri, in te ex eo redundantis &c. 2. PARS I.
Imprecationis. O Deus! hunc ergo tui contem- CAPUT IV.
ptum dissimulas? hanc arrogantiam audis, & su- ARTIC. 1.
stines? ubi, oro, tua morantur fulmina? quibus § II.
innoxia turrium cacumina persæpe feris? Mitte
ea, mitte, scelerata hæc in capita; pereant, qui te
tot injuriis laceßere non desistunt &c. Obscra-
tionis. Per salutem vestram vos oro, & obtestor!
per hunc, quem in cruce pendentem intuemini, JE-
sum Christum, habete rationem animarum vesti-
arum, pro quibus pretiosum Christus ipse sangui-
nem fudit &c.

V. Fons sunt spectacula, sive signa externa, aut imagines corporeæ sub aspectum, ac sensum Auditoris positæ. Sic profani olim Oratores ad misericordiam flectendos Judicium, ac populi animos producebant reos habitu squallidos, ac deformes. Item eorum liberos, parentes, uxores &c. Alii ad iram, & odium excitandum, cruentum ab accusatoribus gladium, lecta è vulneribus ossa, ac vestes sanguine perfusas ostentabant. Præterea jubebant resolvi vulnera, ac corpora nudari. Ita populum Romanum in furorem egit cruenta *Caji Cæsaris* prætexta ab Antonio in forum prolata, quæ ita repræsentavit (teste *Quintiliano*) imaginem sceleris, ut non occisus esse Cæsar, sed tum maxime occidi videretur. Similiter *Gregorius IX.* deportatis publice *Petri, & Pauli Apostolorum* capitibus tumultuantem Romam composuit. Nunc etiam hujusmodi spectaculis pro Con-

PARS I.
 CAPUT. IV.
 ARTICUL. I.
 §. II.

cione exhibendis delectantur, Itali maxime, Oratores. At morem hunc sobrie usurpatum licet non omnino improbem, in vulgariis tamen Concionibus, vel doctiorem apud Auditorem externis hujusmodi signis non admodum capi solitum, non censeo adhibendum. In procurfionibus vero Apostolicis, quas vulgo *Miffiones* appellamus, aut in publicis supplicationibus ad pestem, vel aliam quamcunque publicam calamitatem avertendam, vel si populus sacris commentationibus (vulgo *exercitiis*) excolitur, vel ad hominis supplicio affiendi spectaculum concurritur, vel de Christi cruciatibus ad confertam multitudinem dicitur, poterit his signis affectus ciere Orator: prudenter tamen, non frigide, & affectate usurpatis. Ejusmodi sunt: mortui hominis calvaria de pari hominum forte Auditorem admonitura: imago animæ damnatæ: vel fax ardens inferni rogi exhibitura. Alii funem collo, vel manibus intorquent: aut corpus flagellis cædunt, scelerum quasi veniam à Deo precaturi: sunt, qui Crucis imaginem, ut magno assolet Veneris die, spectandam proponunt: vel fictam Christi ad columnam ligati, ac virgis cæsi personam producunt, clavos promunt, caput spinis cingunt, aliaque cruciatuum instrumenta oculis subjiciunt. Memini, qui ad horrorem spectatoribus incutendum cruentum carnificis gladium, ac recens demessum Rei, caput contemplandum exhibuit:

buit: quot sunt (inquit) vestrum spectatores, qui ob ingentia clam à vobis perpetrata scelera, si è te nebris in lucem proferrentur, pari, quin majori longe supplicio plecti mererentur &c. Hoc tamen curandum, ut Orator propositam spectaculo veritatem validis etiam urgeat argumentis, ne lachrymæ facile arescant; quanquam hoc facturus, sine his adjumentis motum ciebit, si rem præclare pronunciaverit.

PARS I.
CAPUT. I.
ARTIC. IV.
§ III.

§. III.

Paradigmata ciendorum univèrse affectuum.

I. Paradigma per fontem secundum.

Thema: sit sedandus divitiarum amor, contemptus vero excitandus. *Argumentum* sume à fluxa divitiarum vanitate; ad hoc adhibe illam Lucæ (c) divitis avari cupiditatem increpantis, sententiam: *Stulte! hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cujus erunt?* amplifica per paraphrasim, adhibitis figuris: apostrophes, interrogationis, suspensionis &c. cum digressionem ad mores.

EXERCITATIO.

Affectus occultus. Avari mortales! cur, oro, fluxis, ac perituris bujus mundi rebus cor, & animum vestrum tantopere affigitis? quasi æternum iis perfrui deberetis. Non ergo scitis, quid diviti Evangelico multa bona in annos plurimos possidenti dixerit Deus? Stulte! hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cujus erunt?

Y 3

Am.

c) Lucæ 12. v. 20.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. I.
§ III.

Amplificatio per paraphrasim. *Quasi diceret: insani mortales! quid est, quod ta n insatrabili congerendarum divitiarum cupiditate flagretis? videte stultitiam vestram! Si hac nocte (amplificatio per incrementum) quid dico nocte? Si hac die, hac hora, quin hoc ipso momento anima n supremus, ut potest, à vobis repetat vitæ author Deus, quæ parastis, cujus erunt? idest (applicatio ad mores) quæ tanto studio, tanto labore, tanta solitudine comparastis; tot illicitis usuris, fraudibus, injustitiis, mercede Operariis negata, vel detracta per summum nefas accumulastis; superba inde palatia insano sumptu ædificastis; horrea, scrinia, marsupia replevistis, si inquam à vobis animam repetat Deus, cujus erunt? quo devenient? cui tandem obtingent? An fortasse vitam in alteram vobiscum transitura putatis? verum audit:; quid Jobus (d) dicat: dives, cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos, & nihil inueniet: nam, teste Gentium (e) Apostolo, quemadmodum nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Relinquent alienis (inquit (f) David) divitias suas, & sepulchra eorum, domus illorum in æternum.*

Affectus apertus. *O Deum immortalem! hisne ergo vanis, caducis, interituris mundi bonis cor affigam? quæ mihi, vel invito, erunt aliquando relinquenda. Ab video dementiam meam! video alia mihi longe nobiliora esse inquirenda, thesaurum nempe non deficientem in cælo, quo fur non appro-*

d) Jobi 27. v. 19. e) 1. ad Tim. 6. v. 7. f) Psal. 48. v. 12.

*appropriat, neque tinea corrumpit. Hunc ergo post-
 hac sollicitus requiram, hujus unice desiderio tene-
 bor, hunc solum deinceps, hunc, hunc, consecrabor.*

II. Paradigma per omnes fontes. 1. Per locum comparationis. 2. Per spectaculum. 3. Per amplificationem ab adjunctis, à paraphrasi, à congerie comparationum. 4. Per sententiam S. Patris amplificatam. 5. Per varias figuras toti exercitationi inspersas. *Thema: vindicta est ponenda; danda autem injuriæ venia. Argumentum: ex loco comparationis à minori ad majus: Christus Deus, & Dominus inimicis suis ignovit, ergo multo magis nos fratribus nostris ignoscere debemus.*

EXERCITATIO.

*Affectus per spectaculum. Si ratum, si-
 xunque est vobis, nullam illatæ injuriæ veniam
 velle dare, si constitutum vindictam sumere,
 (concessio) haud moror; ite, sumite, vindicate,
 furorem vestrum, pace mea, explete, en sica! (o-
 stenditur sica) hac in eum irruite: en gladius
 (exhibetur gladius) hoc eum ferite, occidite, ma-
 ctate: pereat (imprecatio) sceleratus trifurcifer,
 qui tantam ausus est nomini vestro injuriam irro-
 gare. Verum priusquam discedatis, per id omne,
 quod charum vobis, & acceptum esse potest (ob-
 secratio) vos oro, & obtestor, sistite tantisper,
 dum quidpiam exhibeam vobis. Dicite (propo-
 nitur crucifixi simulacrum) cujus est hæc ima-
 go, & superscriptio? quid ait? respondete! nun-
 quid est JESU Nazareni? At cujus JESU?*

PARS I. (amplificatio per adjuncta actionum) nonne
 CAPIT. IV. illius, qui DEI filius erat, qui postea homo factus
 ARTICUL. I erat, qui sum nis injuriis non affectus tantum, sed
 § III. plane oneratus erat, qui Judæorum invidia in hanc
 crucem actus erat? Sed hæc inter dura, & acerba
 omnino quid bonum egisse JESUM existimatis? Fortasse (suspensio) vindictam spirabat? ultio-
 nem meditabatur; hostes diris devovebat? Pote-
 rat certe Christus vel uno divinæ suæ potentie
 verbo æternum apud Patrem interposito hostes om-
 nes de medio tollere, & in ipsum inferni bara-
 thrum præcipites agere. Egitne? Absit! quid igitur?
 stupete! eo ipso, quo gravissimis injuriis afficie-
 batur, loco; quo in crucem agebatur tempore, tunc,
 tunc cælestem suis pro carnificibus Patrem orat:
 Pater! ignosce illis, quoniam nesciunt, quid faci-
 unt. O inauditam (exclamatio) Christi clemen-
 tiam! O stupendam benignitatem!

Affectus per sententiam S. Patris. Nunc
 jam ad vos conversus, quæro è vobis cum Hiero-
 nymo Auditores: Si DEUS pro crucifigentibus
 orat, nos pro fratribus nostris quid facere
 debemus? Quasi diceret (amplificatio per pa-
 raphrasim) si Deus potentissimus ille cæli Monar-
 cha, cujus ad imperium innumera propemodum
 præsto semper adsistunt cælestium Angelorum agmi-
 na vindictam de injuriis, si vellet, sumptura; nihil-
 ominus pro crucifigentibus, juratis vitæ suæ hosti-
 bus, orat, idest, ardentissimis æternum Patrem pre-
 cibus in ipsa cruce interpellat: Pater ignosce illis,
 quoniam nesciunt, quid faciunt. Vos miseri homin-
 culi, qui Deo comparati, quasi nihilum estis ante
 faci-

faciem ejus, pro fratribus vestris levi verbo, exigua contumelia, modica injuria, non consulto; sed fortuito: imprudenter verius, quam nefarie afficientibus, quid facere debetis? scio, scio, quid facere debetis? dicam verius: quid facere cogitatis? cum Saule, ait, æmulum Davidem in necem inquiram: cum Petro Malchi mei auriculam amputabo: cum Boleslao reducem è templo nocte concubia Wencèslaun fratrem parata sica ex insidiis operiar: cum Semei maledicam. Hæc, hæc, scio facere cogitatis.

Verum amantiſſimi Chriſtiani! ſi Chriſtus, ſi Dominus, ſi Magiſter veſter ſuis veniam inimicis impertitur, voſne ultionem cogitabitis? Non ergo voſ pulcherrimum Chriſti ꝑ ESU exemplum movet, ut æmulis veſtris parem offenſæ gratiam tribuatis? (congeries comparationum) Potuit afflicta Abigail Davidis iram mitigare, ut ſua cauſa injurias à bardo Nabale illatas remitteret: potuit à Gratiano Ambroſius impetrare, ut publicum Majeſtatis irriſorem venia donaret: potuit Pelagiſ Diaconus à Totila, barbaro Chriſtiane religionis hoſte, ad Vaticanum limina palatii, obſectò ſacro codice, ad genua provolutus adipiſci, ut Romæ parceret. Et Chriſtus Dei filius non poterit obtinere, ut pulcherrimo ejus exemplo incitati, irrogatæ injuriæ gratiam faciatis. Quid eſt, quod moratur, ne idem præſtetis? reſpondete! Vultis fortaiſſe, ut Chriſtus etiam, quemadmodum Pelagiſ, flexus poplite, æmuli loco offenſæ veniam à voſ petat? Non dubito, Chriſte ꝑ ESU! ſi adhuc in terris nobiſcum ageres, te, ne hoc quidem obſe-

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTIC. I.
§ III.

quid genus detrectaturum : si enim poteras ad perfidi Judæ pedes accidere, eos unda abluere, linteo extergere, haud video, cur istud refugeres? At, quid opus est tamen insolito rem hanc argumento urgere? si mulier quæpiam (parcite, quod latentem animi sensum liberius foriâsse, quam par esset, promam) si mulier, inquam, hæc, aut illa, quam vos insane deperitis, cujus vultum, velut idolum, adoratis, gratiam a nobitiose aucupamini, si hæc id à vobis postularet, quod suo Christus exemplo rogat, nunquid in ejus gratiam libenter veniæ locum præberetis? Et Christi, Dei filii, amore vestri in crucem acti, rogati nihil deferetis? O pudor! O dedecus! O scelus Christianis omnibus summe detestandum!

Affectus apertus. Agnosco ô JESU sceleris mei turpitudinem! video stultitiam! sentio tui sanctissimi vinum, ac pondus exempli! Adeste igitur ænuli mei, de quibus semper hætenus vindictam suavere meditabar. En! coram hac Christi in crucem acti imagine prostratus, omne odium, iram, vindictam pono: Christi amore lubens ignosco: nec ignosco tantum, sed æternum prætereæ Patre non oro: Pater ignosce illis, quoniam nesciunt, quid faciunt.

ARTICULUS II.

DE AFFECTIBUS SPECIATIM.

§ I.

De præcipuis Affectuum speciebus theorice.

Affectus notione (ut ante dixi) in Eloquentia Sacra intelligi debet: animi motio ad aliquem virtutis actum hominem.

im.

impellens; vel à vitio eidem opposito deterrrens. Cum autem plurimæ sint virtutum, ac vitiorum species, longum foret omnes Eloquentiæ Sacræ affectus, quibus speciatim argumentis excitandi, vel sedandi sint, persequi singillatim. Dabit hujus copiam libellus *Jacobi Alvarez* de nostra Societate Sacerdotis, ubi cujuslibet virtutis, ac vitii actus, natura, *motiva* (ut ajunt) sive rationes, cum mediis proponuntur. Sacri igitur Oratoris intererit, hunc, aliosve argumentum istud pertractantes consulere, ut reperitis illic rationibus, vel saltem earum aliquibus, debite affectus concitare queat. Præcipuos tamen, maxime passionum, libet explicare.

I. De *Amore*. Amor, cum sit appetitus boni veri, vel apparentis: idcirco alius est bonus: alius pravus. *Boni* objecta sunt: DEUS, proximus, homo ipse, ac virtutes. I. *Amor Dei* excitatur: 1. proposita illius infinita bonitate, excellentia, perfectione, pulchritudine &c. 2. Enumeratis ejus beneficiis. 3. Explicato, quo in nos, licet inimicos, feratur amore: quid pro nostra salute pertulerit. 4. Declarando ingentia, quæ diligentibus paravit, præmia. II. *Amor proximi* cietur: 1. Quia est imago DEI: unde qui non diligit proximum, non diligit DEUM. 2. Quia ejusdem naturæ communione, ac similitudine fratres sumus. 3. Particulatim amor unius alicujus concitatur enume-
ratio-

PARS I.
CAPIT. IV.
ARTICUL. II.
§ II.

ratione dotum, virtutum excellentium, ut vitæ innocentiae, incorruptae justitiae, modestiae, beneficentiae &c. 4. Speciatim amor boni Christiani urgetur: quia est filius DEI, membrum Christi, eorundem particeps Sacramentorum, ac futurus ejusdem beatitudinis consors. III. *Amorem virtutum* accendit earum honestas, jucunditas, facilitas, maxime utilitas, cum effectuum enumeratione. IV. *Amorem sui* movet lex naturæ, hominis dignitas, exemplum DEI animam amantis, ingens damnum ex salutis neglectu proveniens. *Amor pravus* 1. Est suorum commodorum 2. Voluptatum. 3. Rerum mundanarum. Sedantur, si eorum vilitas, ac turpitude ostendatur, v. g. qui sua commoda curant, ventri infimæ hominum portioni student. Dein, quia voluptates natura sua sunt fœdæ; res mundanæ autem vanæ, viles, caducæ, afflictionum plenæ, denique noxiæ.

II. De *Odio*. Odium opponitur amori, estque bonum, aut pravum. Odii boni objecta sunt: peccatum, Dæmones, nos ipsi. *Peccati odium* causat: 1. Ejus malitia, quia est offensæ DEI summi boni. 2. Turpitude. 3. Damna, quæ parit homini. II. *Dæmonis odium* suscitatur: 1. Ejus improbitas. 2. Quia est juratus DEI, ac hominum inimicus. 3. Quia in perniciem hominum maxime intentus. III. *Sanctum sui odium* eo excitatur modo, quo pravus sui, ac suorum commodorum
amor

amor sedatur. Odium pravum ab offensa
 æmuli, aut inimici ortum componitur: 1. his
 argumentis, quibus universe amor cietur;
 speciatiim autem extinguitur: 1. Ex parte
 offendentis: id esse commissum fragilitate,
 casu, fortuito, non consulto &c. 2. Ex par-
 te offensæ: quia est levis, modica, homini
 haud multum noxia. 3. Ex parte offensi: li-
 cet gravior foret, generosi tamen, ac vere
 Christiani est animi injurias contempere,
 vel saltem dissimulare; imo beneficiis male-
 facta cumulare, quod docet præceptum Dei,
 exemplum Christi, & Sanctorum.

PARS I.

CAPUT. IV.

ARTICUL. II.

§ I.

III. De *Fide divina*. Est hæc assensus re-
 bus à DEO revelatis præstitus. 1. Nititur
 authoritate DEI loquentis ob summam sa-
 pientiam, ac veracitatem nec fallere, nec
 falli potentis. Unde ad credenda Religionis
 nostræ capita excitatur verbo DEI in Scri-
 ptura, & Traditionibus fundato. Item defi-
 nitionibus Ecclesiæ, columnæ veritatis. 2.
 Urgent etiam fidem motiva (ut ajunt Theo-
 logi) credibilitatis, cujusmodi sunt: unitas,
 antiquitas, doctrinæ sanctitas, miracula, con-
 sensus Patrum, ac populorum idem affirman-
 tium &c.

IV. De *Spe divina*. Hujus objecta sunt:
 Gratia DEI, venia peccatorum, divina auxi-
 lia, salus animæ, gloria æterna &c. Horum
 spes excitatur, ac desperatio sedatur: 1. Pro-
 missionibus DEI in ejus scientia, omnipoten-
 tia, bonitate, ac misericordia fundatis. 2.

Chri-

PARS I.
CAPIT. IV.
ARTICUL. II.
§ I.

Christi meritis cœlestem apud Patrem summi advocati, ac mediatoris. 3. Potenti patrocinio Matris DEI, & Sanctorum DEUM affido pro nobis deprecantium. 4. Exemplis SS. ut Davidis, Magdalenaë &c. DEI clementiam expertorum.

V. De *Desiderio*. Affectus desiderii toti fere Deliberativo, sive Morali generi infunditur. Unde si pravam sit, sedatur iis argumentis, quibus præposteræ hominum cupiditates, ut avaritia, luxuria, ambitio, gula, superbia, cæteraque vitiorum genera reprimuntur. Si vero bonum sit; distinctur plerumque circa desiderium salutis propriæ, ac proximorum, gloriæ cœlestis, bonarum virtutum, quarum affectum concitamus exposita desiderati boni utilitate, honestate, jucunditate, necessitate, indipiscendi facilitate, præsertim si media, & adjumenta adferantur iis consequendis facilia, & opportuna.

VI. *Fuga* est affectus desiderio oppositus, quo malum absens, quin speciem illius averfamur: ut peccata, ac peccatorum occasiones &c. Movetur iisdem rationibus, quibus odium, & ira, nimirum vitiorum malitia, turpitudine, & damnis &c.

VII. De *Gaudio*. Concitatur præcipue in Panegyricis de laudibus SS. Item in actionibus gratiarum pro obtentis beneficiis, ut pro victoria, pro pace, pro publica calamitate, vel illius periculo averso, aut depulso,

ut

ut peste, bello, fame &c. quorum magnitudo, & circumstantiæ eleganter exaggerantur, ut accepti beneficii amplitudo magis innotescat. Prorumpimus etiam in affectum lætitiæ, cum agitur de gloria cœlesti nos mansura, de beatitudine Sanctorum &c.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. II.
§. I.

VIII. De *Tristitia*. Est dolor de malo præsentis. Ut de morte parentum, amicorum &c. de publica, vel privata calamitate, de peccatis admissis, quæ pœnitentia dici solet. Sedantur illa: si mors dicatur esse fatum inevitabile, finis miseriarum, transitus ad requiem &c. In publicis autem, ac privatis calamitatibus patienter ferendis dicendum: 1. Nos digna factis recipere. 2. Esse manum DEI vel castigantis ut Davidem; vel probantis, ac exercentis ut Jobum. 3. Esse messem futuræ gloriæ. 4. Denique adferantur exempla virorum calamitates æquo animo ferentium. De peccatis dolor excitatur vel à turpitudine peccati, vel à timore pœnarum à DEO infligi solitarum, ac tum dicitur *attritio*. Si vero ab amore Dei offensi ortum trahat, vocatur *contritio*.

IX. De *Commineratione*. Est dolor ex malis conceptus alterius indigna patientis. Excitatur: cum agimus de cruciatibus Salvatoris, doloribus Dei Matris, tormentis Martyrum, de operibus misericordiæ cum corporalis, tum spiritualis, de pœnis purgantium flammaram, denique in concionibus funebribus. Fontes autem sunt adjuncta: 1. *Personæ,*

PARS. I. *sonæ*, quæ patitur, ut si innocens sit, aut no-
 CAPUT. IV. bilis, virtuti deditus, decorus, mansuetus,
 ARTICUL. 11. ætate tener, bene meritus. 2. *Personarum*, à
 § I. quibus patitur, ut abjectis, vilibus, ingratis,
 malefacta benefactis rependere solitis. 3. *Lo-
 ci*: si publicus sit, inspectante innumera ho-
 minum turba: si viro indignus, acerbitatem
 augens cruciatuum. 4. *Temporis*: si florenti
 ætate mortem obeat improvifam, vel in me-
 dio gloriæ, fortunæ, spei, cui adolescebat,
 fatum, calamitatem ferat. 5. *Finis*: si patia-
 tur Dei amore, patriæ bono, aut virtutis stu-
 dio. 6. *Modi*, & aliarum circumstantiarum.
 Erga pauperes commiseratio excitatur: de-
 scripta miseria hominum ad Dei imaginem
 non secus, ac divites sint, à Deo conditorum:
 si dicatur pauperibus data Christo dari, in cœ-
 lum reponi, in fœnus elocari &c.

X. De *Timore*. Timor est perturbatio
 orta ex opinione futuri gravioris mali. Ur-
 getur in Eloquentia Sacra: 1. In sermonibus
 de *divinis judiciis*, quæ profunda sunt, & im-
 penetrabilia: nescit enim homo, quæ illum
 fors, quod fatum maneat: utrum amore, an
 odio dignus sit: reprobis an electis adnume-
 ratus &c. 2. De *peccati horrore*, quod Deus
 summe odit, & gravissime punit, ut patet e-
 xemplis Angelorum, Adami, Judæ: item di-
 luvii, Sodomæ, Gomorrhæ &c. 3. De *Mor-
 te*: ob incertitudinem temporis, loci, modi,
 status animæ &c. 4. De *extremo iudicio*, quod
 tremendum erit: 1. Ob apparatus. 2. Ob
 Judi-

Judicis majestatem. 3. Ob examinis severitatem. 4. Ob sententiam nunquam revocandam. 5. De *inferno*, cujus tormenta per hypothiposim, & partium enumerationem sunt describenda. 6. De *DEO*, omnia sciente, ubique præsente, & nos plectere potente.

XI. De *Pudore*. Pudor est animi perturbatio ex malis infamiam generantibus orta, seu ea sint præterita, seu futura, sive præsentia. Duplex est: *noxius*, & *salutaris*. Istum omnia quidem incutiunt vitia; sed maxime specialem naturæ turpitudinem sibi adjunctam habentia: ut libido, fraus, ebrietas, furtum, gula &c. eo probrosiora; quo personarum dignitas, nomen, officium, status fuerint digniora. *Noxius* pudor est: 1. In virtutum, ac operum bonorum exercitio; dum vano ducti hominum respectu, aut placendi studio ea omittimus, ac divina transgredimur mandata. Hujus sedandi argumenta sunt: 1. *DEO* potius, quam hominibus esse placendum: quorum gratia vana, fallax, & inconstans. 2. Non curanda mortalium judicia, plerumque levia, inutilia, infirma, nec stabilia. 3. Qui Deum erubescit, hunc quoque erubescet Deus. 4. Ab exemplis Sanctorum, dicta, & opiniones non curantium. Alter est sceleratorum in sacro pœnitentiæ tribunali sua fateri delicta refugientium. Tollitur: 1. Offensa hujus sacrilegii gravitate. 2. Quia peccata haud ita celantur hominibus, quam *DEO*: non es mentis hominibus, sed *DEO*, aiebat

PARS I.
CAPUT IV.
ARTICUL. II.
§ I.

Petrus Ananiæ. 3. Æstimationem hominis, apud Sacerdotem non minui, sed augeri. 4. Quia in die iudicii totimundo patebunt summa nominis nostri infamia. 5. Ab exemplis SS. sua publice peccata confitentium, ut Augustini &c.

XII. *Audacia.* Est spes non qualiscunque, sed firma obtinendi finis ardui. Move- tur: 1. Ostendendo alicujus actionis commo- da, honestatem, gloriam. 2. Proponendo media præsentia, & efficacia. 3. Quæ timentur damna, vel pericula, aut nulla esse, vel longius abesse. 4. Neminem, vel saltem nul- lum potentem obstare. 5. Minores virtute similia superasse. 6. Opem adesse divinam. 7. Denique removendo causas timori con- trarias. Excitatur: 1. Ad exercenda virtu- tum Heroicarum opera. 2. Ad res pro Dei gloria, Ecclesiæ bono, animarum salute for- titer aggrediendas, difficultates superandas, obstacula removenda, pericula non timen- da, adversa generose ferenda. 3. In adhor- tationibus militum ad pugnam, in hostes præ- fertim religionis &c.

XIII. *Æmulatio.* Est appetitus imitan- di, aut æquandi alterius bona: ut sunt virtu- tes, præclara facinora, nominis gloria, do- ctrina, sapientia. Movetur in suasoriis, & hortatoriis. Item in panegyricis, proferen- do illustria aliorum decora, egregia facta im- mortalitate digna, virtutes &c. 2. Extollen- do eorum dignitatem, generosam indolem, quos

quos cupimus ad imitationem incitare; adducendo laudis, & gloriæ excellentiam, quam inde sunt consecuturi, diversa virtutis præmia proponendo &c.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. II.
§ II.

XIV. *Invidia* est animi dolor de bono alterius, genere, ætate, conditione paris, non quod eo frui ipse cuperet; sed ab altero haberi nollet, quo suam dignitatem minui existimat. Sicut æmulatio proborum est ad eadem bona bonis artibus consequenda se incitantium; ita invidia est improborum in horum consecutione alios præpedire conantium. Ab Oratoribus Sacris nunquam excitatur; comprimitur tamen: 1. Proposita illius vilitate: est enim parvi, ac demissi animi dignioribus invidere. 2. Ab injustitia: nam alterius merita sine causa laceffit. 3. A damnis, & malis, quorum complurium radix est, ut obtrectationis, odii, tristitiæ, necis &c.

§. II.

De quibusdam Affectuum speciebus præctice.

Quomodo singulos præctice (ut ajunt) citere affectus oporteat, felicius ex præstantiorum, recentioris præsertim ævi, Oratorum exemplis, ac observationibus discet tyro, quam ex præceptis. Excellit hac in re cæteros inter *Paulus Segneri*, ac universe tractandorum affectuum, maxime graviorum, ars, & gloria *Italici* Oratoribus attribui debet, quibus legendis, ut patheticus evadat, diligentem operam navabit. Nec oberit eum

PARS I. in finem ipsos etiam Prophetas legisse, maxi-
 CAPUT IV. me *Isaiam*, & *Jeremiam*: item *Psalms David*,
 ARTICUL. II. *Jobi* librum, & *Pauli* epistolas affectuum ple-
 § II. nas. Sancti etiam Ecclesiæ Patres: ut *Hiero-
 nymus*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, *Leo*, *Bernar-
 dus* &c. copiosa eiendorum affectuum exem-
 pla dabunt. *Nicolaus Avancinus* de nostra So-
 cietate Sacerdos, in *Vita*, & *Doctrina* *Jesu*
Christi per meditationes proposita habet in
 proœmio operis sui singulorum pene affe-
 ctuum formulas, & exempla secundum tri-
 plicem spiritualis perfectionis viam (ut di-
 cunt) *purgativam*, *illuminativam*, ac *unitivam*.
Matthias etiam *Heimbach* in sua *Christiana*
Rhetorica complura affectuum eliciendorum
 paradigmata dedit; quanquam hi aperte po-
 tius, & ascetice, quam *Rhetorice* sunt dedu-
 cti; facile tamen in occultos, vel *Oratorios*
 commutandi. Hos igitur, cæterosve (quod
 mihi concionandi munus aggredienti suase-
 rat amicus) inter legendum observatos, de-
 stinata in adversaria conferat diligenter, ut
 componendæ sacræ dictionis tempore habe-
 at exempla & imitanda, & concionibus op-
 portune inspergenda. En aliquorum para-
 digmata!

I. Paradigma: affectus Fidei Divinæ.
Thema affectus: *Christi* corpus vere sumitur
 in *Eucharistia*, non fide tantum, sed etiam re
 ipsa. *Argumentum ex proprio affectus fidei loco*:
 quia id *Christus* ipse, divina veritas falli, ac falle-

fallere nescia, apertis docuit verbis (g): *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.* Tractabitur primum occulte; postea aperte.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. II.
§. II.

EXERCITATIO.

Occulte. *Creditisne propositam hanc à me nunc vobis fidei Catholicæ veritatem Auditores? si non creditis? advertite, oro, quid divina loquatur sapientia falli, & fallere nescia: Caro mea vere est cibus (inquit illa) & sanguis meus vere est potus. En! Divinissimus Servator Christus hic carnem suam ait esse cibum, at non qualemcunque cibum; sed vere cibum: & sanguinem suum ait esse potum; at non qualemcunque potum, sed vere potum.*

Si ita? prob Deum immortalem! qua audacia, qua temeritate ad tam luculentum Dei ipsius testimonium, Sanctissimum Christi corpus in Eucharistia vere sumi posse inficiamini? Illene vere cibus dici valet? qui sola fide, non re ipsa, id est, vere manducari potest. Illene vere potus? qui fide tantum, non item vere, id est, re ipsa bibi potest. Certe dum Lucas (h) Christum ait à mortuis surrexisse: Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni, cum usurpet vocem, vere, nemo vestrum ullus audet dicere Christum externam solum ad speciem, non re ipsa surrexisse: nec ipsum vere, id est, re ipsa; sed ejus tantummodo spiritum Simoni Petro apparuisse. Quis etiam cum Ario, Serveto, Socino, hominum improbissimis, apertam adeo Joannis Chri-

Z 3

stum

g) Joan. 6. v. 56. h) Luc. 24. v. 34.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. II
§ II

stun esse Deum verum perhibentis sententiam (i):
Hic est verus Deus, & vita æterna, ita au-
sit interpretari, ut Christum non natura, & sub-
stantia; sed solummodo figura, officio, potestate
verum credat esse Deum? Et Christi servatoris
eadem forma, pari loquendi modo, de esu carnis
sue loquentis verba præposterum hunc in sensum
audebitis detorquere?

*Superi! scelus hoc prohibet! Credo Domi-
ne, credo te vere præsentem adesse in Eucharistia.
Adjuva incredulitatem meam! aliud quidem sug-
gerit sensus: aliud hu nava probare nititur ratio;
aliud improba hominum suadet opinandi libido. At
sentiunt hi, quod volent; tua mihi præ omni sensu,
ac hominum ratione potior est loquentis auctoritas,
huic tenacissime adhærebo, à qua nec me gladii,
nec cruces, nec rotæ, nec tormenta, quamcumque
gravia, poterunt unquam dimovere. Tu dixisti,
hoc unum satis est, ut vel ipso sanguine subscri-
bam: caro tua vere est cibus, & sanguis tuus
vere est potus &c.*

II. Paradigma: affectus spei, & fiduciæ.
*Thema affectus: inter procellas vitæ hujus con-
fugiendum ad Mariam. Argumentum: quia est
Maris stella suo propitio fulgore potens ju-
vare. Sumitur potissimum ex verbis S. Ber-
nardi Homilia 2. super missus est proposito
accomodatis.*

EXERCITATIO.

*Cum miseram hominum conditionem tacitus
mecum reputo Auditores, vitam nostram pelago
innu-*

i) 1. Joan 5. v. 20.

innumeris syrtribus, scopulis, ac procellis obnoxio perfunilem esse reperio. Quid enim sunt gravissimæ illæ, quibus in dies impetimur, tentationes, quam totidem fluctus oceanum exagitantés? Quid animæ cupiditates, nisi continui jam fluentis mox iterum resluentis maris æstus? quid peccandi pericula, quam scopuli, ac syrtes? ubi creberrima salutis nostræ facimus naufragia.

At bono estote animo Auditores! Non est, cur has inter, licet gravissimas, vitæ nostræ procellas de salute desperetis. Attollite oculos in cælum! cernite: en! habemus propitiun ibi sydus, cujus benigno patrocini fulgore, si uti velimus, facile possumus adjuvari. Quod illud sit, ex me quæritis? Non aliud est certe, ac de quo jam olim ab Angelo dictum est: & nomen (inquit) Virginis Maria. Sistite hic parumper cum Bernardo, ut loquamur pauca super hoc nomine, quod interpretatum maris stella dicitur, & Matri Virgini valde convenienter aptatur. Stella certe est Maria: ipsa namque aptissime syderi comparatur. Nonne sicut sine sui corruptione sydus suum emit tit radium; sic absque sui læsione Virgo parturivit filium? Nonne sicut syderi radius suam non minuit claritatem; ita nec Virgini filius suam integritatem? Nonne ipsa est nobilis illa stella ex Jacob orta? cujus radius univèrsam orbe n illuminat, cujus splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat: terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, ipsa, inquam, est præclara, & eximia stella super hoc mare magnum,

PARS I. *Et spaciosum necessario sublevata, micans meritis,*
 CAPUT. IV. *illustrans exemplis.*

ARTICUL. II.

§ II.

O quisquis (prosequor verba Bernardi) te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas, *Et* tempestates fluctuare, quam per terram ambulare; ne avertas oculos à fulgore hujus syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum: respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis: respice stellam voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis: respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiae fœditate confusus, judicii horrore perterritus, baratro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abyssus: cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, *Et* ut impetres ejus orationis suffragium; non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsa tenens non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis, *Et* sic in teipso experiris, quam merito dictum sit: & nomen Virginis Maria.

III. Paradigma: affectus amoris erga Deum. *Thema:* Deus ad hominem amandus est. *Argumentum ab effectis:* quia Deus hominem ingentibus affecit beneficiis, quæ totidem sunt ejus amandi argumenta. Tractabitur primum *occulte*, postea *aperte* per apostro-

strophem, interrogationem, repetitionem, enumerationem effectuum &c.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. II.
§ II.

EXERCITATIO.

Moses Dei beneficia, populique Israelitici ingratitude, sæpius à Deo castigatam, exprobraturus; hoc ad eos sermone usus erat (k): Hæc cine reddis popule stulte, & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te. Memento dierum antiquorum: cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: majores tuos, & dicent tibi &c.

Affectus occultus. *Verum Sanctissime Patriarcha! liceat mihi, pace tua, hæc eadem Dei beneficia populo Christiano, ad amandum Deum impellendo! percensere volenti, non ad patrem, non ad matrem, nec ad majores, eum ablegare; sed ipsosmet Christianos hac eadem tristi, salutari tamen, voce interpellare: Audite Christiani quæ loquor! hæc cine reddis, sic cine amas Dominum popule stulte, & insipiens? si ignoras, quid, quantumve præflite, it Deus? interroga animam tuam, interroga conscientiam tuam, interroga te ipsum, & annuntiabit tibi, quanta ab eo beneficia seu in ordine naturæ, seu in ordine gratiæ acceperis. Certe nisi cor habeas lapideum rupis, aut silicis instar, commoveri oportet viscera tua, nec aliud officium, aut præceptum majus agnoscere, quam amare Deum.*

Enumeratio effectuum. *Nunquid illæ infinita sua potentia, relictiis tot innumeris ardentiori eum affectu profecuturis, te eruit ex abyssu nihi-*

Z 5

li,

k) Deur. 32. v. 6. 7.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. II
§ II.

li, ubi perpetuis quodammodo tenebris consēpultus æternum latuisses; ni te præpotens, ac misericors Dei manus inde ad vitam eduxisset? Nunquid omne, quod possides, illius donum est, quod ipse tibi dedit, ipse conservat, singulis ipse momenti cavet, ne rursus una tecum in nihilum redigantur? Nunquid ille tui amore tutatur creaturas omnes, ut ipsi etiam spiritus Angelici vigilem æternæ salutis tuæ, quorsum Dei clementia conditus es, curam gerant? Nunquid ille suo amabilissimo complexu assidue quasi te stringit, Divinæ suæ providentiæ obtutum semper in te defigit, nunquam ab oculis te dimittit, utilitatem tuam tot, tanque diversis operibus sedulus inquit, it &c. Nec operibus solum; sed (quod amplius est) patiendo cordis sui ardorem in te demonstravit. Ille irrogatas sibi injurias benigne tibi percipit: ille immensum peccatorum tuorum pondus in se recepit: ille debitas pro iis pœnas in cruce sustinuit: ille cum tu fugeras; te insecutus est: cum iurdas ei aures præberes; Gratia tibi interna loqui dignatus est: ille semetipsum, ó quantum istud est amoris argumentum! tibi in cibum dedit. Verbo: ut te felicem redderet, tanta fecit, tanta pertulit, quasi in tua salute tota illius salus, laus, honor, gloria reposita esse viderentur. Et hunc Deum, hunc Dominum, tam bonum, tam benignum, tam benevolum, tam in nos beneficium non amabimus, non diligemus ó Christiani?

Affectus apertus. Tu scis Domine, quia amo te! En cor meum, & caro mea exultant in te Deum vivum! Amo te: non idcirco solum, quia prior me amasti, prius te mihi benevolum, prius
benefi-

beneficum præbuiſti; verum amo te propter te, propter tuam ſummam, & infinitam bonitatem, pulchritudinem, & excellentiam ſummo, & infinito amore dignam. Utinam mille corda, mille animos haberem, omnes proſeçto in tuo unius amore occuparem. Vis amorem hunc operibus experiri? immitte cruces, diminue fortunas, onera calumniis, morbis afflige: certus ſis: quia nec tribulatio, nec anguſtia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec perſecutio, nec gladius, nec ulla creatura alia poterit me ſeparare à charitate tua, quæ eſt in Chriſto ꝙ ESU Domino noſtro. &c.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. II.
§ II.

IV. Paradigma: affectus Timoris Thema: horrendus eſt inferni locus. Argumentum à definitionibus: quia eſt ſupplicium æternum, carcer perpetuus &c. Ornabitur exemplis Historicis in ſimilitudinis modum uſurpatis, cum figura apoſtrophes, interrogationis, exclamationis, maxime complexionis &c. jam aperte, jam occulte: jam lenius, jam acrius (l).

EXERCITATIO.

Gregorius Magnus, Pontifex quondam Optimus, Maximus, ſuos inter dialogos (m) reſert exemplum triſte admodum, ac funeſtum de cujusdam flagitioſi hominis ſepultura. Conditus hic erat ritu ſoleſſi in Eccleſia Beati Fauſtini Brixienſium Episcopi memoriæ conſecrata. Noçte eadem ſpectabilem ſe præbuit Fauſtinus Eccleſiæ Cuſtodi: Dic (inquit) Episcopo, ut projiciat hinc carnes

l) Lege Matthiam Heimbach in Rhetorica Chriſtiana Domin. I. poſt Trin. m) Lib. 4. C. 5.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTIC. II
§ II.

nes fœtentes, quas hic posuit, alioquin ipse die trigesimo morietur. *Quid Custos? veritus rem indicare, dissimulat: & ecce! hominibus nequicquam opinantibus, tricesimo, ut prædictum est, die vita repente fungitur Antistes. Alius (idem pene scribit Gregorius) cum in ea Ecclesia tu nullo fuisset illatus, postero die relictis solum lintaminibus ejectum de Templo demortui corpus repperitum erat. Usque adeo loca Deo sacrata, sanctique illic sepulti à magnis peccatoribus abhorrent!*

Verum ejici ex Ecclesia tametsi res magna sit; toleranda tamen foret; sed in inferno sepeliri, audit; quid dico! in inferno sepeliri: hoc enim vero tremendum est, ac horribile, cujus vel ad memoriam unusquisque totis artibus contremiscat. Nostisne Christiani quid sit infernus? Libenter profecto illum ego vobis explicarem; at credite: nec colores, nec verba reperio, quibus eum, pro merito non dicam depingere; sed vel adumbrare possem. Tantus est inferni horror! Quia tamen Deus sacros ad Oratores ablegasse videtur fratres Epulonis: habent, inquit (n) Moysen, & Prophetas: cum ille rogaret, ut saltem ad nonerentur de loco tam atrocis supplicii, ne hoc triste eos etiam fatum maneret; cogor pro munere meo, & officio eum describere: haud tamen meis, sed scripturæ verbis.

Dic itaque nobis Matthæe: quid sit infernus? Infernus, ó rem auditu horrendam! è mente hujus Evangelistæ: est supplicium æternum: ibunt hi (inquit o) ille) in supplicium æternum. Sunt tenebræ ipsis etiam Ægyptiacis spissiores:
ligatis

n) Luc. 16. v. 29. o) Matth. 25. v. 46.

ligatis (p) ille) manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Est fletus, & stridor: ibi erit (q) fletus, & stridor dentium. Est ignis æternus: discedite à me (r) maledicti in ignem æternum. Alii vocant Gehennam: caminum ignis alii: sunt, qui terram miseriæ, stagnum sulphuris, ignem devorantem, ardores sempiternos, tribus profecto nominibus, compellant; omnes attamen in eo animis, ac sententiis conspirant: quod infernum perpetuum esse carcerem agnoscant: ex quo egredietur quidem anima; verum ad opprobrium, ad confusionem coram Divino Iudice in extremo mundi die subeundam: post vero claudetur porta æternis seris obseranda; quam ad id usque tempus nemo ullus recludere valebit, quamdiu Deus erit Deus.

PARS I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. II.
§. II.

Superi! potestne hac re tristius aliquid, ac formidabilius vel cogitari. Tiberium carceres olim revisentem (ut scribit Suetonius) captivorum nonnemo bis verbis affatus erat: matura pœnas. Quid Cæsar? nondum tecum in gratiam redii. O chari Auditores! idem responsum dat Deus hodie, inque perpetuas daturus est æternitates iis, quorum anima hoc inferni carcere fuerint tumultatæ. Clamabunt illæ equidem: libera me de morte æterna, aut si patiendum est: matura pœnas; verum quid reponet clamantibus Deus? nondum tecum (inquit ille) in gratiam redii. Surget suo de tumulto dives Evangelicus, flebili voce orabit: matura pœnas, quid Christus? frustra agis epulo: nondum tecum in gratiam redii. Veniet infelix Herodes beneficii loco

p) Matth. 22. v. 13. q) Ibidem. r) Matth. 25. v. 41.

PARS. I.
CAPUT. IV.
ARTICUL. II.
§ II.

loco petet : matura pœnas ; sed actum est, dicet Christus : nondum tecum in gratiam redii. Veniet proditor Judas, & admissi sceleris pœnitentia ductus (si tamen pœnitere potest) rogabit : O chare Magister ! veteris injuriæ oblitus : matura pœnas ; at Christus : scelerate proditor ! sero sapis : nondum tecum in gratiam redii. Veniet infamis Nero, crudelis Diocletianus, impius apostata Julianus contenta voce clamabunt : Christe ! matura pœnas ; at is fronte caperata, adducto supercilio, averso vultu respondebit : ite scelerati, nondum vobiscum in gratiam redii, manete vestro in ergastulo, ululate illic ut lupi, frendete ut canes : frustra est, nulla me vestri miseratio tanget : nondum enim vobiscum in gratiam redii, & aliquando redire, ne quidem vel cogitavi ; ac ut mentem perspectam habeatis : nec unquam cogitabo.

Utinam dilectissimi Auditores ! fas esset mihi hunc inferni carcerem aperire, atque ad excitandum in animis vestris majorem illius horrorem eminus saltem spectandum proponere. Deum immortalem ! quantum illic malorum cumulum in caput unius damnati congestum cerneretis. Videre- tis flammam ignis ardentissimi, qui urit ; sed non comburit : videretis vernibus fœdum corpora scatentia, qui vorant ; sed non devorant : videretis stagna bullientis sulphuris, quibus damnati immerguntur, nec tamen consumuntur : videretis monstra visu terribilia, quæ suis rictibus feriunt ; nec tamen occidunt ; videretis illic sitim ardentissimam ; at sine levamine : famem caninam ; at sine cibo : tristitiam profundissimam ; sine ullo remedio, eaque
(quod

(quod horrendum est) videretis sine termino, sine numero, sine ulla mensura tota æternitate toleranda. Dabit ignem & vermes (inquit (s) Spiritus Divinus) in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum.

PARS I.

CAPUT IV.

ARTICUL. II.

§ II.

Quis jam vobis ad hoc sensus est Auditores? an non ipsi pili præ horrore vobis asurgant? Ego certe (ut jam dixi) totus corpore, totus animo, totus mente contremisco. Et cujus cor non concutitur inquit (t) Bonaventura) si consideret inferni pœnas non solum intolerabiles acerbitate; sed etiam interminabiles æternitate. Et vos Christiani ad hæc ridebitis? nec ridebitis tantum; sed porro peccare audebitis? O ingentem audaciam! O stultam temeritatem! Si adeo molles, ac delicati estis nunc, ut minimam in corpore vestro molestiam, & vel modicæ acus punctim ferientis stylum ægre admodum sustineatis, qui oro tot, tamque acerba inferni æternum duraturi tormenta perferetis?

O Domine confige timore tuo carnes nostras! Fateor: peccavimus, impie egimus, inique gessimus in omnibus justitiis tuis; verum major est misericordia tua; quam sit iniquitas nostra: per tuam igitur te clementiam deprecamur: corripe nos Domine; verumtamen in judicio, & non in furore tuo, id est, inferno. En nos paratos, ac promptos ad sustinendum hac in vita omne supplicii genus! Hic ure, hic seca; modo in æternum parcas! immitte ignominias, & contumelias; modo in æternam parcas: immitte morbos, & cruciatus; modo in æternum parcas: immitte miseras, paupertatem;

s) Judith 16. v. 21. t) Apud Segneri Serm. 14.

PARS II.
CAPUT. I.

*tatem; modo in æternum parcas: immitte omnia,
quæ mens vel cogitare potest, hujus mundi mala,
æquo feremus animo; modo in æternum parcas.*

P A R S II.
DE DISPOSITIONE ORA-
TIONIS SACRÆ.

Dispositio Ciceroni est rerum inventarum in ordinem distributio. Hæc perinde necessaria est Sacro Oratori, ac Duci exercitus instructio ad victoriam in pugna obtinendam. Ordo autem in eo positus est, ut singulæ concionis partes debite instruantur, quibus singillatim instructis, facile postea totius etiam Orationis corpus adornabitur. Tres vero principes quælibet concio partes habet: *Exordium, Confirmationem, & Perorationem*, ad quas reliquæ referuntur. De hac ergo Sacræ Orationis dispositione hic agam methodo synthetica: primum singularum partium modos, qui sint instituendæ, exponam; postea quomodo corpus totum sit adornandum explicabo.

C A P U T I.
DE DISPOSITIONE EXORDII.

Exordium est prima Orationis pars, animos Auditorum idonee comparans ad audiendam reliquam dictionem. Duplex est: *legitimum, & vehemens*, sive ex abrupto.

rupto. Iſtud ſine prævia præparatione per
vehementem affectum rem ipſam aggreditur.
Illud juxta artis leges factum, leniter, ac ſen-
ſim afficit Auditorem. De hoc igitur actus,
primum leges, & partes: dein illius diſ-
ponendi modos exponam.

PARS II.

CAPUT I.

ARTICUL. I.

§ I.

ARTICULUS I.

DE LEGIBUS, ET PARTIBUS EXORDIORUM.

§ I.

De Legibus Exordiorum.

Licet exordium à gravibus, & magna præ-
ditis authoritate Oratoribus, ut ſunt Sa-
cri Antiftites, ac Prælati, quorum dignitas
ſupplet exordii officium: vel ſi doctum ad
Auditorem dicendum ſit: aut materiæ gravi-
tas non egeat exordio: vel temporis brevi-
tas non illud admittat, poſſit omitti, & ſta-
tim ab ipſa proſitione, vel partitione O-
ratio inchoari; mos tamen obtinuit illud ple-
rumque adhibendi, ut Auditoris animus ſen-
ſim ad audiendum diſponatur, cujus in uſu
ſequentia ſunt ſervanda.

I. Quodvis exordium ſuum expleat of-
ficium, ideſt, reddat Auditorem *benevolum, at-
tentum*, ac *docilem*. Benevolentiam veteres
olim parabant: 1. A perſona *Adverſariorum*,
odium iis, ac invidiam conſtando. 2. A per-
ſona *Oratoris*: cum modeſtiam, pudorem,
probitatem, candorem re potius, quam ver-
bis præferibat: vel ſua merita, officia, vir-
tutes (parce tamen, ac ſine arrogantia) com-

A a

men-

PARS II. mendabat; aliquando se (moderate tamen)
 CAPUT. I. deprimebat. 3. A persona *Auditorum*: eo-
 ARTICUL. I. rum virtutes, ut justitiam, fidem, authorita-
 § I. tem, cæterasque dotes modestis laudibus pro-
 sequendo: vel suum in eos amorem, obser-
 vantiam, boni studium, officii pollicitatio-
 nem contestando. Hi duo posteriores con-
 ciliandæ benevolentiae modi à Sacris etiam
 Oratoribus adhiberi possunt, maxime, dum
 concionandi munus in aliquo loco primum
 aggrediuntur, aut si causa sit paradoxa, vel
 auditori minus grata; tunc curandum Ora-
 tori, ut eximat præjudicia, seque rem, tamet-
 si ad speciem incredibilem, clare tamen de-
 monstraturum profiteatur: nec in themate
 ingrato iram, odium, vel alium quemcunque
 affectum, unde concitatus loqui videatur,
 præferat; sed solum pro ratione officii (v)
 & unius cujusque salutis desiderio à se veri-
 tatem exponi dicat. Alii rebus novis pro
 exordio, ac reliqua concione adferendis po-
 puli gratiam conantur aucupari. At artibus
 istis non censeo captandam esse magnopere
 benevolentiam, in vulgaribus maxime con-
 cionibus, ubi quot hebdomadis ad eosdem
 prope Auditores, jam animo ad audiendum
 comparatos, sermo instituitur de rebus ho-
 nestissimis, & gravissimis. Unde à *rebus ipsis*
 (ut ait Author ad Herenium) sive à thema-
 tis præstantia, Auditorum moribus, ingenio,
 ac

v) Habes hujus exordii formam infra hoc eodem ca-
 pite, *Ars. 2. §. 1. u. 8.*

ac reliquis circumstantiis accomodata, ac exordii arte, & forma ad comparandam gratiam mirum occulte apparatus, studeant benevolos reddere Auditores. Idem dicendum de *attentione*, quam vetusti Oratores rerum novarum, vel magnarum, aut utilium, & jucundarum pollicitatione, & attentionis petitione conciliare solebant: quod fit his etiam temporibus, maxime, si materiae momentum magis eam deposcat, vel Auditor languescere incipiat; tunc non tantum initio rogare, sed etiam Orationis decursu poterunt attentionem instaurare. Quomodo autem *docilem* faciant auditorem, dicemus infra de propositione, ac partitione.

II. Exordium non sit vitiosum. Vitia autem sunt: si *vile* sit, ac *tritum*, quod nulla re addita, aut dempta pluribus causis, Delphici instar gladii, quo & sacras mactare victimas, & nocentes supplicio afficere solebant, accomodari queat. Ejusmodi forent in Panegyricis à laude virtutis generatim incipere: vel causæ gravitatem, ac ingenii debilitatem excusare: vel præteritionis figura uti: dicant alii Sanctum hunc aquilam, alii solem &c. ego Cedrum compellabo &c. Vel in Oratione funebri mortis sævitiem accusare &c.

2. Si *commune* sit, idest, *commutabile*, quod in contrario argumento possit adhiberi. 3. Si sit *separatum*, sive cum causa, ejusque partibus non omnino, vel saltem *male connexum*: aut

PARS II. violente proposito aptatum: vel longius ac-
 CAPUT. I. cerfitum. Hæc autem vitia cavebit, si
 ARTICUL. I. III. Exordium suis virtutibus sit præ-
 §. 1. ditum. Ac

1. Sit *accuratum*, idest, magna industria, cura, & ingenio elaboratum, atriorum instar, quæ periti solent Architecti quam maxime facere illustria, ne aditus inculti statim terreant ingressuros. Erit autem; si sententiis, idest, gravibus, & acutis sensibus, verbis elegantibus, periodis bene tornatis, aptis figuris (plerumque lenioribus) fuerit instructum. Cavendum tamen, ne nimia acuminum, & reliqua artificii cura comptum nimis pictumque evadat, ac juvenilem ostentationem spiret, gravi Auditori in sacra dictione fastidiosam; præsertim, si reliqua Oratio, non eadem cura, & labore expolita, desinat in piscem, ut mulier formosa superne. 2. Sit argumento *proprium*, seu ex ipsis *causæ visceribus* erutum, quod sequenti Articulo docebimus. 3. Sit *moderatum*, id est, nec breve nimis, nec longum: horrent enim prælongam rerum, quamvis optimarum, auditionem; hoc autem prolixior fore putatur Oratio; quo productius fuerit exordium: nisi Polyphemi caput homulo appingatur.

IV. Legitima potius, quam vehementia, & ex aërpto exordia usurpentur. Hæc enim nimia spiritus, ac vocis contentione, quo affectus acriores solent, ac debent exprimi, initio fere destituunt Oratorem, ac impari reddunt prosequendæ dictioni. In E-

pini-

piniciis tamen, aut *Eucharisticis*, vel *Gratulato-*
riis, aut majoribus Festorum celebritatibus,
 vel in *funebribus*, aut in sermonibus de cru-
 ciatibus Domini, vel de cœlo, judicio &c.
 qui affectus gaudii, lætitiæ, doloris, commi-
 serationis, tristitiæ, exostulationis, audaciæ
 &c. in se complectuntur, à gravissimis etiam
 Oratoribus adhibentur exordia ex abrupto.
 Ita Segneri (x) de Paradisi gaudiis acturus, ser-
 monem orditur: *Ad cœlum! ad cœlum! fideles*
devotissimi ad cœlum! estne aliquis vestrum, qui ad
tantam gloriam non concupiscat ascendere? &c. Si-
 militer de extremo judicii die peroraturus
 Ciceronem imitatur (y): *Quousque tandem*
abutemur Dei patientia, hæcenus tam paterna, &
longanimi? An non ille, velut ad omnem surdus in-
juriam, ad hoc usque tempus se continuit? Sed nun-
quid scimus irritatam diu patientiam in furorem
degenerare? Eja agite Angeli! Mentis Cœlestes
tubæ sonitum date! diem illam supremam, ac hor-
rendam promulgate, ut videant protervi decretori-
am adesse horam &c.

§ II.

De Partibus Exordiorum.

ETiam exordium suis partibus constat, plu-
 ribus, aut paucioribus, pro ratione ma-
 teriæ, vel arbitrio Oratoris. Si brevius sit,
 interdum habet duas, ut *ingressum*, & *partitio-*
nem, plerumque tribus definitur: *ingressu*, *de-*
scensu, & *partitione*. Si vero plenius sit, ut *Gal-*
li faciunt Oratores, tunc præter memoratas

A a 3

par-

x) *Serm. 10. Quadr.* y) *Serm. 5. Quadr.*

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. I.
§ II.

partes, habet præterea *propositionem*, cui ad-
jungunt *invocationem*, dein *introductionem*, ac
postea *partitionem*. Quid hæc sint? nunc sin-
gillatim explicandum venit.

I. *De ingressu*. Ingressum voco primam
exordii partem, à qua initium ducit Oratio.
Alii *thesim* nuncupant: quia plerumque in
thesi, sive thematis genere versatur. *Num-
mæyrus* (2) explicationem appellat, quod in
ea sententiæ, vel historiæ Evangelicæ sensus
explicetur. Mihi placuit *ingressus*, tanquam
generalius, nomen indere: nec enim semper
à *thesi*, aut *explicatione* suum concio initium
fortitur. Iisdem de fontibus petitur, è qui-
bus exordia sumi dicemus. Jam pluribus,
jam paucioribus constat periodis, interdum
una absolvitur pro ratione materiæ, vel O-
ratoris arbitrio. Si plenior sit, & ex fontibus
communibus ducatur, plerumque tribus de-
finitur: ut propositione, hujus ratione, ra-
tionis amplificatione, seu exornatione à pa-
raphrasi, aut simili, exemplo, contrario, vel
testimonio scripturæ, aut Patris petita. Res
patebit in exemplis infra adducendis. Innu-
meris pene formulis, ac modis efferri potest;
plerumque fit per aliquam ex quadruplici pe-
riodorum genere unam, cum particulis ad-
versantibus, aut conditionalibus, vel causa-
libus, aut sine his. Vel figura aliqua vestitur,
ut *optationis*, *dubitationis*, *admirationis*, *præteri-
tionis* &c. Interdum *paradoxi* in modum pro-
poni.

2) *In Viro Apostolico* p. 3. C. 1. Art. 1. §. 4.

ponitur. Ita quemdam me audisse memini Oratorem: *Si mihi Christi loco esse, aut vicaria illius potestate uti contigisset; nunquam hodierno muto Evangelico lingvæ usu, n. restituissem &c.* Item Segneri (a): *Revereor equidem demissè, quidquid Christus in carne mortali operatus erat; pace tamen ejus dixero, quod hodie egit, illud haud DEO, ac illius majestate dignum esse mihi videtur &c.*

II. *De Descensu.* Descensus est altera exordii pars, qua Orator ab *ingressu* sensim delabitur ad proponendum concionis thema. Hæc ab aliis vocatur *hypothesis*, item *applicatio*, quoniam per eam res in *ingressu* generatim propositæ, vel explicatæ, sensim ipsi themati speciatim applicantur, ac cum eo connectuntur. Dixi *sensum*: nec enim statim aperte ad propositum Oratori descendendū, sed ducto paulatim ab universalioribus hypothesebus initio. Hic *descensus* interdum ommittitur, vel saltem cum propositione confunditur, quod, tum maxime evenit, cum *ingressus* ducitur à paraphrasi ipsius thematis, quæ, cum diffusior sit ejus explicatio, non eget *descensu* ad propositionem. Si autem adhibeatur, perinde ac *ingressus*, jam pluribus, jam paucioribus, duabus, aut tribus, vel etiam pluribus, ut res tulerit, periodis definitur, ut propositione hypothetica, hujus ratione, & rationis exornatione. Modi autem tractandi varii sunt, non secus ac *ingressum*,

A a 4

ut

a) *Serm. 22. Quadr.*

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. I.
§ II.

ut per figuram *interrogationis*, aut *optationis*, vel *concessionis*; sæpe fit per *apostrophem*, *communicationem*, *præteritione* n. &c. quod ex diligenti celebriorum Oratorum lectione condisci debet

III. *De Propositione.* Hujus nomine illam exordii partem intelligo, quæ assumptum Orationis thema Auditori oratorie proponit. Ejus munus est docilem reddere Auditorem; fiet, si thema Orationis breviter, ac perspicue fuerit propositum. Dixi *breviter*: nam licet initio possit thema figura quæpiam Rhetorica ornatus vestiri, ac etiam diffusius, alia, atque alia verborum forma repeti, & explicari; sub finem tamen redigi debet ad verba quam paucissima, & clarissima. Non igitur probare possum veterum, superioris præsertim ævi, Concionatorum morem, tam abstrusis thema suum verbis implicantium, ut Lynceus sit, aut Oedipus, qui pervideat, ac divinet, quid velint; imo totius Orationis bene constructæ gloriam in hoc positam credebant. Unde secus agentes, velut affectati artificii reos, confestim ad crucem damabant. Sed errorem hunc recentiores nostri ævi Oratores, *Galli*, æque ac *Itali*, sapienter correxere, tanta brevitate, ac claritate thema suum proponere soliti, ut vel à rudioribus doctiori permixtis Auditoribus confestim percipiatur. Et hoc est, quod Sacræ Eloquentiæ Tyroni rem veluti summe utilem, ac necessariam, ut mea me docuit experien-

rientia, magnopere velim commendatam; quidquid aiii obganniant. Formæ autem efferendæ propositionis variæ sunt, ex Orationum (ut dixi) observationibus condiscendæ. En aliqua ejus exempla. 1. Simpliciter, sine ulla figura Rhetorica: *Atque istud est præsens, salutare enimvero, dicendi argumentum. Dicam: neminem ullum solidam, constantemque virtutem, in quocunque genere, obtinere posse sine humilitate &c.* 2. Paulo ornatus per aliquam figuram, v. g. Communicationis: *Fam nunc quaero à vobis Auditores, dicite: quid oro, hæc inter gravissima tentationum pericula consilii suscipiendum existimatis? si sapere vultis, non dubito, remedium pridem à Christo præstitutum arripietis: vigilate, ait ille, & orate, ut non intretis in tentationem, quasi diceret: Discipuli mei! ecce horribilis capitibus vestris procella incumbit, percutient pastorem, & dispergentur oves, si salvi, & incolumis persistere cupitis: vigilate, & orate: vigilia enim, & oratio sunt duo præsentissima superandæ cujuscunque tentationis præsidia, quod meæ argumentum est dictionis, audiatis.* 2. Per apostrophen. *Adeste peccatores! percipite non meam, sed Dei, per me loquentis vocem: malos male perdet &c.* 4. Per deprecationem. *Veniam mihi date Auditores, si palam edicam, eo rem hodie devenisse, ut maximi sint Dei hostes, qui plurimos ab eo favores acceperunt.* 5. Per exclamationem: *O stultos labores! O vigilias eorum pessime collocatas! qui putant usuris, & rapinis: dolis, & fraudibus se ditari posse &c.*

PARS. II.

CAPUT. I.

ARTICUL. I.

§ II.

IV. *De Introductione.* Introductio est prooemium, viam, & modum delabendi exhibens à propositione ad partitionem. Hæc veteribus non perinde nota fuit, ac recentioribus hujus ævi Oratoribus, Gallis præsertim. Lege, si placet, *Ludovici Bourdaloue, Columbiere, Houdri &c.* conciones, vix ullam sine *introductione* reperies. Ulurpatur maxime, si thema concionis distingvatur à partitione, ejusque nulla, vel pauca admodum in *ingressu*, vel *descensu* femina jaciantur, tunc ad eam cum propositione connectendam, opus est *introductione*. Sunt tamen è *Gallis* etiam, ut *Author Dictionarii Moralis*, qui rarius, imo nunquam, eam adhibet. Si ergo illa uti libuerit, curandum 1. Ut sit brevis, ne ea longius procurrente, ipsa etiam excurrere cogatur Oratio. 2. Sit figuris ornata, delectantibus potius, quam gravioribus. 3. Sit propria, id est, non aliunde remotius accersita; sed ex ipsis causæ visceribus nata. Nascetur porro, si ex locis Rhetoricis ducatur, quorum aliqua adjicio exempla, reliqua ex usu Oratorum condiscenda. 1. *A genere*, quod partitionis membra suas veluti species proxime complectatur. Ita *Ignatius Chiaberge* in panegyri Gregorio XIII. Pontifici anno sæculari mccc. Romæ adornata, postquam in propositione Gregorium sæculorum esse felicitatem probandum constituisset, introductionem ducit à felicitate generatim, cujus breve compendium damus. *Summam esse populo-*

*pulorum felicitatem Principes sortiri, qui se non
 verbo tantum; sed re etiam publicæ felicitati natos
 exhibeant. Ejusmodi fuit Gregorius, qui Catholici
 orbis regimen aggressus, publicam se in omnibus fe-
 licitatem curaturum spondit, quod postea opere
 explevit, ut difficillimis iis temporibus arcano velu-
 ti Numinis consilio, destinato videatur adempta esse
 felicitas, ut eam Gregorius omnibus in posterum sæ-
 culis duraturam redintegraret. Partitio: Duplex
 autem est felicitatis genus: Civile, sive humanum;
 dein Sacrum, seu Divinum. Utraque restituta sæ-
 culorum felicitas erat Gregorius &c. 2. A Par-
 tium distributione, cum introductio sumitur
 à totius in themate reperti suas in partes di-
 stributione, quæ postea partitioni deservit.
 v. g. Sit Festo S. Elisabeth hæc propositio:
 S. Elisabeth est mulier illa negotiatrix Evan-
 gelica, quæ venditis bonis omnibus cœlestem
 emit margaritam. Bonis omnibus est totum,
 à cujus distributione sumitur introductio:
 At priusquam id comprobem, noveritis: triplicia
 hominis esse bona: Alia sunt fortunæ, ut divitiæ:
 alia corporis, ut voluptates: alia gloriæ, ut hono-
 res. Bona fortunæ venduntur per eleemosynam:
 bona corporis per afflictationes: bona gloriæ per hu-
 militatem. En in hæc capita dictionis &c. 3. A
 definitione, ac thematis explicatione. Uti-
 nam omnes Eloquentiæ nervos in unum collectos
 haberem, ut gravitatem detrimentorum, quæ scan-
 dalo inferuntur, ex æquo declarare possim! Verum
 id non ante me præstiturum polliceor, quam ejus na-
 turam ex me cognoscatis. Est igitur scandalum pe-
 stilens*

PARS II.
 CAPUT. I.
 ARTICUL. I.
 § II.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTIC. I.
§ II.

stilians illud malum, quo alius inducitur ad peccandum. Hæc porro occasio duobus plerumque modis præberi solet: directe, ac indirecte. Directe: dum consulto proximi ruina spiritalis intenditur; indirecte: cum ea non intenditur quidem; at ex verbis, & actionibus secutura pervidetur; nec tamen impeditur. Hodie mihi propositum est solummodo vobiscum agere, qui directe scandalum præbetis, ac ut pateat, quantam animabus perniciem inferatis, tria vestra, quibus utimini, arma sub aspectum producam: exempli nempe pravitatem, prava consilia, & apertum virtutis contemptum &c. Sunt etiam alii introductionis instituendæ modi, ut per contrarium, comparisonem, concessionem, paradoxum, Evangelii, vel Sacræ sententiæ applicationem, quos brevitatis causa prætereo.

V. *De Partitione.* Partitio est illa exordii pars, in qua suas in partes distribuitur Oratio. Hæc persæpe eadem est cum themate, unde eundem cum propositione in exordio locum habet; crebrius tamen distinguitur, ac tum per introductionem cum propositione connectitur; quanquam observavi præterita etiam introductione statim eam subjungi propositioni. Debet proponi verbis quam clarissimis, ac paucissimis. Solent tamen majoris ornatus gratia, Galli maxime Oratores, diffusius aliis, atque aliis, semper tamen explicatioribus verborum formulis eam repetere, dum tandem brevissime proferant, adjectis ad singula membra his, aut similibus

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. I.
§. II.

libus verbis : hoc primum, hoc alterum, hoc tertium erit concionis caput. Vel hoc priore; illud dicam loco posteriore &c. Illustremus exemplo P. Bourdaloue. b) Propositio. Hoc ipsum est *AA.* quod insectari constitutum est hodierna concione, vitiosum scilicet illum Christianæ servitutis pudorem, humanum respectum, quo avertimur à Dei famulatu &c. Partitio. Igitur quæ cum eo vitio conjuncta sit indignitas, quæ perversitas, quid offensionis importet, atque scandali; propositum mihi est vobis ostendere. Humani respectus indignitas est, qua nosmetipsos: perversitas, qua Deum: offensio, qua proximum respicit. Sunt quidam humani respectus mancipia; & hæc primum compellabo, ostendamque, quam indigna, quam culpanda sit ipsorum agendi ratio. Sunt alii humani respectus auctores; & cum his mihi res erit posteriore loco, ostendamque, quot, & quanta per ipsos mala in hominum mores inferri soleant. Humani respectus indignitas faciet, ut ipsum contemnamus: perversitas, ut damnemus: scandalum, & offensio, ut consequentia inde mala perborrescamus. Quod unus est concionis hodiernæ scopus, & argumentum.

VI. De Invocatione. Invocatio est: Divini auxilii ad Orationis propositum rite prosequendum facta imploratio. Hanc Galli, & Hispani plerumque ponunt ante introductionem, ad calcem propositionis; interdum tamen partitioni subjiciunt; sunt, qui penitus prætereunt, vel saltem rarius, tunc solum usurpant, cum materia difficilior, aut sublimi-

OR

b) Tom. 1. in Adv. 2. Conc. in Domin. 2. Adv.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. I.
§ II.

or tractanda suscipitur, vel Sancto cuiquam panegyris adornatur. Eo vero elegantius instituetur, quo themati opportunius fuerit conformata. Dupliciter autem fit: *tacite*, & *aperte*. I. *Tacite*. Segneri (c): *Utinam ea mihi hodie de cælo gratia concederetur, ut ad publicam omnium confusionem, horrorem, ac terrorem rite demonstrarem: non esse gravius supplicium, quo Deus in homines advertit, quam si Divini verbi fames ab iis auferatur. Item: Fateor: grande, & explicatu difficile argumenti genus aggredior; at spero in benignitate, & misericordia Dei, cujus hic in Eucharistia præsentis causam ago, eumque adesse firma fide credo, & profiteor, non me suo destituet auxilio; sed debitas loquenti vires sufficiet &c.* 2. *Aperte* ex (d) Bourdaloue. *Virgo Sanctissima, eadem & Sanctorum præpotens Regina! cum à te editus sit in lucem Sanctus Sanctorum, Tu, in qua se Deus summe mirabilem exhibuit, quoniam in te, & per te similis factus, mortales artus induit, fac, ille me præsentis juvet auxilio, ut his, qui dicenti aures, & animos adhibent, studium ardens injiciam adipiscendæ Sanctitatis, plerunque apud homines fastidiatæ, ignotæ, & obsoletæ. Non potest è voto cedere, si opem attuleris, quam à te pro solenni more nunc supplex rogo &c.*

A R T I C U L U S II.

DE FONTIBUS, AC MODIS EXORDIORUM.

Duplices adstruo fontes exordiorum: I. Utrique Eloquentiæ communes, potissimum

c) *Serm. 4. Quadr.* d) *Tom. 1. in Adv. 2. Feste*
O O. SS.

num ex locis causæ intrinsecis depromptos; postea Sacræ *proprius*: agam de utrisque seorsim.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTIC. II.

§ I.

§ I.

Fontes Exordiorum communes.

I. Fons, isque universalis, est: à *visceribus causæ*, sive à thematis *subjecto*, aut *prædicato*, vel ab *affectionibus* alterutrius. Quando autem ab uno potius, quam ab alio institui debeat? advertendum ad *κρῖνόμενον*, sive cardinem ipsius orationis, ubi versatur, quem facile colliges ex partitione, & argumentis; quo enim ista tendunt, plerumque ibi positus est. Si ergo in parte *prædicati* cardo consistat, exordii ingressus ducetur à *prædicato*; secus à *subjecto*; vel illius *affectione*. Declaratur exemplo funebris Orationis ab Ignatio Chiaberge Innocentio XII. Pontifici adornatæ. Causa: *Innocentius XII. in summi Pontificatus regimine fuit absoluta imago divinæ providentiæ*. Viscera causæ sunt: *Innocentius XII. quod est subjectum*; prædicatum vero: *absoluta imago*; affectiones prædicati: 1. *Divinæ providentiæ*. 2. *Summi Pontificatus regimine*. Undecunque *ingressum* instituisse, sive à persona Innocentii, seu ab imagine, vel Pontificatus regimine, aut à providentia, exordium fuisset à *visceribus causæ*. At quoniam orationis cardo positus erat in Divina providentia, ut Innocentius in regendo Pontificatu vera ejus imago fuisse ostenderetur, idcirco *ingressum* instituit à providentia Principum in regendo, sive

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. 1.
§. 1.

sive ab *affectione prædicati* generatim accepta; *descensus* autem factus est ad speciem, sive ad providentiam summorum Pontificum, quæ in gubernanda Ecclesia Divina esse debet, qualis fuerat Innocentii XII. omnes Divinæ providentiæ dotes in se complexa. Juvat exemplum adscribere.

E X E M P L U M.

Ingressus. Rectores hominum nulla magis commendat virtus, quam providentia. (Ratio) Est enim isthæc regalis plane, ac divina virtus, quæ publicæ Præsès felicitati, reliquas omnes sibi administras habet, comitesque virtutes: adeo, ut una hæc Reges, ac Principes imperio dignos, ac regimini pares ostendat.

Descensus. Quamobrem summus Pontifex, qui vicariam in terris Dei Majestatem præsert, & Catholici orbis curam, ac regimen suscipit, hac potissimum laude excellat oportet: atque ut parem se tanto muneri præbeat; parem dignitati providentiam exhibeat, necesse est. Id unum qui facit, Pontificem se vere Maximum probat.

Propositio primum diffusius pertractata. Fecit Innocentius XII. quem in hac funeris pompa non tam lachrymis prosequi debemus; quam laudibus. Providentiam ille, qua nulla excogitari augustior, nulli divinius potest, in summi Pontificatus administratione, & Catholici Orbis regimine exhibuit: illius videlicet imaginem providentiæ, qua rerum omnium opifex Deus Orbem universum moderatur, ac regit. Hanc sibi perpetuo contempnendam, imitandamque arbitratus, id tam gloriose

ac feliciter præstitit, ut eas ipsas, in se imitando converterit, sibi que peculiare effecerit, dotes, quæ divinæ providentiæ omnino peculiare, ac propriæ totam spirant divinitatem, atque admirationem potius à nobis, quam imitationem exposcunt. Nihil de summo Pontificatu, nihil de Innocentio majus prædicari potest.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ I.

Summa Propositionis. Hoc itaque Orationis meæ argumentum esto: Innocentius XII. in summi Pontificatus regimine divinæ providentiæ imaginem absolutissimam se præbuit: cum peculiare ipsas divinæ providentiæ dotes, peculiare providentiæ suæ laudes effecerit.

Introducção à distributione. Enimvero. Tria præsertim sibi peculiaria, ac propria vendicat Supremi Numinis Providentiæ. Primum, quod ita rebus omnibus providet; ut ab iis utilitatis nihil, aut detrimenti suscipiat. Alterum, quod ita rebus universis intendit, ac si vacet à singulis; atque ita pariter intendit singulis, ac si vacet ab universis. Tertium denique, quod præsentibus intenta in futurum prospicit, atque omnibus unà simul temporibus providet. Primum Divinæ Infinitatis est, alterum Immensitatis, postremum Æternitatis. Cum enim Deus per sese infinitus sit omnium bonorum Oceanus, cui nihil addi possit, aut demi; ut nihil jacturæ ex perpetua in res omnes creatas derivatione bonorum, ita nihil utilitatis potest ex earum gubernatione percipere. Et cum ea, qua omnia implet, Immensitate, toti mundo (ut cum Romano Philosopho loquar) inserta, rebus omnibus totus, ac totus singulis intimè præsens,

B D

atque

PARS II.
CAPUT I.
ARTICUL. II.
§. I.

atque insertus sit; tam facile providere omnibus, quam singulis potest, seque non tam in magnis magnam, quam in minimis maximum exhibere. Denique cum interminabilis vitæ tota simul, perfectissimaque possessione perfruatur, & è quadam veluti Æternitatis suæ specula ætates omnes, ac tempora unico intueatur obtutu; unus simul omnibus providere temporibus potest. Cum tam peculiare istiusmodi sint Divinæ Providentiæ dotes, cum totam spirent, atque præferant Divinitatem; quis unquam putasset, inveniri posse tantæ magnitudinis Virum, qui eas ipsas referre, atque æmulari contenderet? Idque ita reipsa præstaret; ut peculiare Providentiæ suæ laudes efficeret?

Partitio. Præstitit Innocentius, qui Divinæ veluti particeps Infinitatis, nihil sibi utilitatis, sed & detrimenti nihil ex tam diuturna Catholici Orbis gubernatione suscepit. Divinæ veluti socius Immensitatis, ita universis intendit, ac si vacarit à singulis; atque ita pariter intendit singulis, ac si vacarit ab universis. Divinæ veluti coævus Æternitati, dum præsentibus intenderet, in futurum providit, ac subsequentiæ sæculorum felicitati prospexit.

II. Fons. Cum hæc à visceribus exordiendi ratio semper ad aliquem locum Rhetoricum, causæ intrinsicum, reduci soleat, unde alter fons est à genere, sive thesi, cum ingressum instituimus ab aliqua propositione thema ipsum generatim complectente, cujus species, sive hypothesis descensui postea deservit. Hoc porro genus non fit remotum,

tum, sed proximum, sive (ut ajunt) subalternum ipsius causæ, id est, *subjecti*, aut *prædicati*, vel *affectionum*, ubi nempe Orationis *crinomenon* versabitur. Complures hujus fontis idæas reperies apud *Bourdaloue*, *Segneri*, *Casini* &c. Sit exemplum ex *S. Basilio*, Paschatis tempore populum cohortante ad *S. Baptisma*, cui suscipiendo maxime opportunum est Pascha. Sermonem orditur à genere, ex illa *Salomonis* sententia: *tempus nascendi, & tempus moriendi*; postea delabitur ad speciem, sive tempus *Baptismatis*, cui suscipiendo opportunissimum ait esse Pascha; cum per *Baptisma* moriamur, ut vivamus: consuepeliatur, ut cum *Christo* resurgamus. En verba illius!

PARS II.
CAP. T. I.
ARTICUL. II.

§ 1.

E X E M P L U M.

Ingressus à Genere. *Sapiens ille Salomon* tempora rerum gerendarum distinguens in vita, & singulis, quæ fluunt, idoneum assignans, inquit: *tempus nascendi, & tempus moriendi*. Ego vero immutata paululum *Sapientis* sententia dixerim vobis, salutare præconium annuncians: quod tempus est moriendi, & tempus nascendi. Quæ vero est ratio immutationis? quod ille de generatione, ac corruptione differens, corpoream naturam secutus, generationem, ac nativitatem præposuit: impossibile enim mortis periculum subire eum, qui non prius natus est.

Descensus ad speciem. Ego vero de spirituali generatione verba factururus, mortem vitæ præpono: per hoc enim, quod carne morimur, con-

PARS II. tingit nobis, ut spiritu generemur... Moriamur
 CAPUT. I. igitur, ut vivamus... consepeliatur cum Christo,
 ARTICUL. II. qui pro nobis mortuus est, ut resurgamus cum eo,
 §. 1. qui nobis resurrectionis author fuit. Tempus quidem aliud aliis rebus idoneum est, ... verum tempus Baptisnatis est tota humana vita: neque enim corpori non respiranti vivere possibile est; neque animæ consistere, non cognoscenti conditorem. Dei enim ignoratio mors est animæ, qui verò baptizatus non est, non illuminatus est... Omne itaque tempus opportunitatem habet ad salutem per baptisina...

Propositio. Verisimile est autem, multo commodius esse proprium, ac magis cognatum tempus. Quid vero magis cognatum baptisnati esse possit, quam dies Paschatis? dies enim ista memoriale est resurrectionis; Baptisma vero potentia ad resurrectionem. Itaque in resurrectionis die resurrectionis gratiam suscipiamus. &c.

III. Fons à Specie ad Genus, sive cum ingressus cordii formatur ab hypothesis, seu specie; postea descenditur ad thesin, seu genus; demum rursus reditur ad hypothesis. Hujusmodi exordii idæa habetur in laudatione funebri Henrici Borbonii, Principis Condæi, quam aniversalia memoria Ludovicus Bourdaloue in illud: in memoria æterna erit justus, concinnavit, ac postea Josephus Juventius latinam fecit.

EXEMPLUM.

Hypothesis. Quod medio in Sacrificio, & Sanctissimis cærimoniis hodie surgam ad dicendum,

dum, ut animos, auresque frequentissimæ concionis traducam ad memoriam, & laudes ejus Principis, cujus mortem acerbissimam tot jam abhinc annis solenni luctu profecuti sumus, nemo non recte, atque adeo sine certo Divinæ providentiæ consilio factum esse judicabit. Si enim justis memoria vel idcirco solum æterna esse debet, quod justus sit, multo esse debet profecto illius magis, qui Princeps cum esset natus, perfectam numeris omnibus justitiam ab Religione, & Catholica Fide in ejus moribus impressam (quæ laus ipsius propria, & quidem, ut videbitis, quasi character fuit) colere in tam illustri genere non potuit; quin ejus memoria duplici nomine immortalitati consecranda videretur.

Thesis. Cum Deus in sacris paginis impiorum Principum ultorem se fore profiteretur, hoc atrocissimum interminari solet, fore, ut vel ipsam illorum memoriam extirpet funditus, atque extinguat: Dispereat de terra memoria eorum. Parum ipsi videtur esse, quod eorum gloriam, & splendorem obscuret, evertat opera, consilia disturbet, molitiones insanas, & conatus infringat; sævit in ipsorum quoque memoriam, donec evanescat illa paulatim, & oblitterata sensim ex animis hominum, æterna demum oblivione conteratur. Contra vero Principum Optimorum, & divinæ legis amplificandæ studio flagrantium, mercedem hanc amplissimam fore pollicetur, ut eorum memoria nunquam intermoriatur, ut propagetur longe in consequentes ætates, & senescere, ac perire nescia, quandam quasi, vel hic, ubi omnia morti debentur,

PARS II. *immortalitatem in hominum animis, & suavif-*
 CAPUT. I *lima recordatione consequatur. Non recedet me-*
 ARTICUL. II. *moria ejus, & nomen ejus requiretur à ge-*
 § I. *neratione in generationem.*

Iterum Hypothesis. *Constare suam huic oraculo divino fidem ingens documentum est Princeps Serenissimus, cujus præclara laus, & memoria me hodie ad dicendum; vos ad renovandam sacris anniversariis funebribus officii religionem, & pompam excitavit. Dum stabit hæc ædes Sacra, dum aræ templo, dum aris Sacrificium, dum suus incruento Sacrificio manebit honor, tamdiu vivet Henricii Borbonii nomen, tamdiu vigebit illius memoria: tamdiu illam vectigalium quasi laudum honore debito posteritas omnis gloriosissimè prosequetur, &c.*

Propositio. *Vestrum erit Auditores Christiani, me in hoc dicendi genere, quod mihi novum, & insolens est, benevolentia sustentare: meum erit vicissim, & maxime ad dicendum eligere, quæ moribus vestris informandis prosint. Ex his omnibus certe, quæ dicturus hodie sum, in hac laudatione Potentissimi, & Excellentissimi Principis Borbonii, Principis Condæi, primi è Regia stirpe Principis, istud, quod initio præscripti, elogium verum esse constabit: In memoria æterna erit justus. Summa in illo fuere omnia: hoc tamen è multis deligo, ac prosequor hodie, quod & ad vestram utilitatem, & ad hujus, in quo versamur, loci sanctitatem accommodatissimum esse visum est &c.*

IV. Fons à contrario: cum pro ingressu sumitur propositio generica, aut specifica
 the-

themmati opposita, vel in *subjecto*, aut *predicato*, vel in *affectionibus* alterutrius. Dixi generica, aut specifica. Unde dupliciter hic modus institui potest. 1. Cum tam ingressus, quam descensus continet propositionem assumpto themati contrariam; sed ille genericam, sive thesim; iste verò specificam. Sic Segner in sermonibus panegyricis (e) *S. Angelum Custodem* verum esse amicum probaturus, ingreditur à *genere contrario*, sive à falsariis in Republica graviter puniri solitis; postea in descensu delabitur ad *contrarium specificum*, sive ad falsos amicos, nulla pœna afflicti consuetos, cum plurimi sint, ut vere sapiens dicat Eccli. 25. *Beatus, qui invenit amicum verum*. Propositio: at licet inter homines paucissimi inveniantur, reperitur tamen cœlestes inter genios *Angelus Custos*, verus hujusmodi esse Amicus. 2. Cum ingressus est à thematis *contrario*, sed *specifico*; descensus autem ab ipso themate. Sit *thema*: eleemosyna divites facit. *Ingressus à contrario specifico*: eleemosyna pauperes facit. Inter cæteras dandæ eleemosynæ difficultates non postrema est, quod crebriori largitione putent homines divitias suas exhauriri, seque in eandem, quàm in aliis sublevant, redigi paupertatem. *Descensus ad thema*: Verum alia promisit Deus: Domino fœneratur, qui pauperis miseretur. Credite, nulla ditescendi certior ars est, ac eleemosynas tribuisse. Si-

B b 4

mili-

e) Panegyrico 1. de S. Angelo Custode.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTIC. II.
§ I.

militer *Segneri* (f) Christum Regis mansueti titulo merito decorari probaturus, ingressum ducit à *specifico contrario*: Homines superbi plerumque ambitiosos, ac terroris plenos titulos usurpant, ut domitoris terræ, flagelli Dei, &c. *Descensus*: Non ita Christus, qui Regis mansueti nomine voluit exornari: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*. Sit exemplum utriusque.

E X E M P L U M I.

Ingressus à contrario generico. *Quæcunque* Respublica pœnas statuit in facinorosos, severis semper legibus, ac pœnis advertit in falsarios, & adulterantes. Sic Longobardi adulterantibus monetas, manum, tanti sceleris ministram, truncare solebant. Exilium decreverant synopes incolæ; capite mulctabant Athenienses; magis tamen commensum sceleri supplicium Svecorum gens excogitavit. Cum eorum in terras appulsi è Moscovia mercatores, falsis mercinonia monetis exercecerent, quid eos consilii suscepisse putatis? collegere, quidquid uspiam nancisci poterant, falsarum huiusmodi monetarum, & ex iis liquefactis fervens miseris balneum appararunt, in quo contractas sordida mercatura labes eluerent, &c.

Descensus ad contrarium specificum. *Admiror* vehementer: nullam in republica ulla legem esse constitutam, aut pœnas decretas, in eos, qui amicitiam mentiuntur, qua tamen inter mortales nihil pretiosius, salutarius nihil reperiri potest.

test. *An desunt fortassis, qui mercem tam nobilem adulterent? an non verius omnis domus, omnis platea falsum amicum habet? Ergo vera vobis, & sincera videtur eorum amicitia, qui hoc vinculo arctissime inter se conjuncti apparent? fallitur, quisquis ita putat. Certe plerique falsi sunt: falsæ salutationes, falsi risus, falsæ corporis inclinationes, falsa promissa, falsæ officiorum contestationes, verbo: falsa omnia. Si falsa, & tam multi sunt, qui nobilem hanc mercem corrumpunt? cur, oro, nullæ in eos leges, nullæ catastæ sunt constitutæ? non aliam certe ob causam, quam quia multi admodum falsorum amicorum reperiuntur, qui si omnes è medio tollerentur, Superi! quam miseræ fierent civitates, quam rarus in frequentissimis urbibus populus appareret, in quas solitudines, ac vasta deserta non illico plateæ omnes mutarentur. Verissime dixit Sapiens: Beatus, qui invenit amicum verum. Ac si diceret: verum inter mortales amicum invenire tam rarum est, ut quisquis eum repererit, beatus profecto, ac felix merito dici queat, &c.*

Propositio. Sed macti animis Auditores! si enim mea me non fallit opinio: singulis ego vobis verum hunc amicum inveni. Quem illum? Tutelarem vestrum Angelum. O utinam illum nossetis Christiani! utinam nossetis! credite mihi: nemo, nemo hujus mundi amicorum tanto vobis in pretio foret. Hoc ergo mihi hodie propositum est, ut palam omnibus faciam: Custodem Angelum vere esse hominis amicum, &c.

EXEMPLUM II.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTIC. II.
§ I.

Ingressus à contrario specifico. *Siquid uspiam est invenire, ex quo mortalium vanitas maxime elucet, tum profecto sunt ambitiosi honorum tituli, quibus longa plerumque pompa solet adornari. Sapor Persarum Rex datis ad Constantium Imperatorem literis, se germanum solis fratrem appellavit. Solimannus Turcarum tyrannus, terræ domitorem, ac mundi dominatorem vocavit. Quid de Rege Bisnagensi, ignoto pene Monarcha, dicam? Hic ejusmodi sibi honorum titulos arrogavit, quos vix sine risu, & cachinnis excipies. Fortune se sponsum bonæ agebat, magnarum provinciarum Deum, idiotarum magistrum, victorem quorumlibet fortissimorum, occasus, meridiem, ac septentrionem, omnisque pelagi Dominum, cujus ad conspectum octo mundi partes contremiscant. Tituli sane adeo stulti, ut his comparati dici possint modestissimi, dum Attila Dei flagellum, aut Demetrius Poliocrates expugnator urbium, vel Cæsar Pater exercituum voluit appellari. Quod si animum advertere placet AA. videbitis, mortalium superbiam, semper titulos terrore plenos ambivisse, quasi fastigium gloriæ in eo consisteret, ut omnia subjugentur, prosternantur universa.*

Descensus ad thema, sive ad alterum contrarium. *Quid hodierna die Christus fecit? an etiam in suo triumphali Hierosolymæ ingressu titulum habere voluerit, ut alii? Verum quod sibi nomen vendicavit? an dici optaverit terribilis? an formidabilis? O quantum à vero aberramus, si hoc vel suspicemur quidem. Rex mansuetus voluit ap-*
pel-

pellari : *Hic, hic, est ille titulus, quem usurpavit : Dicite Filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Aspicite : non ingreditur triumphali curru sublimis : nec jugales habet tigrides, ut caligula : nec leones, ut Marcus Antonius : nec elephantos, ut Pompejus : nec cervos, ut Aurelianus ; sed asino, humili infidet iumento. Nec petit, ut curruum præcedant expugnataram urbium imagines, aut pone sequantur captivarum gentium catervæ, & quamvis palmas non dedignetur ; eas tamen non vult, nisi ramis olearum intertextas.*

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ 1.

Propositio. *Videte AA. Deum haud esse tam ferocem, ut quidam fingunt ; sed esse totum mansuetum, totum piun, totum amabilem, quin esse ipsam mansuetudinem, ipsam pietatem, ipsam amabilitatem. Quare videor mihi hodie operæ pretium facturum, si ad illius genium conformato dictionis argumento vobis demonstrem : quam belle mansueti titulus eidem conveniat : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, id est, paratior semper ad compatiendum, quam irascendum : ad benefaciendum, quam nocendum : ad pietatem potius exercendam, quam ad supplicia irroganda &c.*

V. *Fons à Partitione.* Cum ea statim in ingressu generatim proponitur ; postea singula illius membra rursus generatim explicantur ; dein in descensu materiæ applicantur. Hac exordii forma in quadam Oratione funebri usi sumus : Tria sunt, quæ ad perfectam Herois uniuscujusque gloriam, ut faciunt plurimum ; ita illam definiunt potissimum :

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ I.

mum: Natura, Virtus, Gratia. Natura paratur: Virtute excolitur: Gratia demum perficitur. Primum illius, qui Naturæ parens, & author habetur, Dei præpotentis, beneficium est &c. Alterum: artis opus est &c. Tertium: utriusque præmium est &c. Simile huic exordium habuimus in Panegyri Divo Ladislao Hungariæ Regi adornata, quod in exemplum adscribimus.

E X E M P L U M.

Ingressus à Partitione generatim. *Res inter humanas grande quiddam est Regem nasci: majus aliquid, eum, qui Rex natus non est; sua tamen virtute Regem fieri: summus veluti gloriæ apex est, quem & natura, ut Regio throno natus esset, & virtus, suis ut meritis Rex fieret, ex æquo Regem fecit.*

Explicatio singularum partium. *Magnum est pondus imperii: nec ullius humeros tantæ molis reor esse capaces, ut illi sustinendæ sufficiant, nisi ab ipsa Natura tanto oneri ferendo apparentur. Atque hoc existimo fuisse fortasse, cur Deus Israeli Regem petenti Saulem habitu corporis, & majestate cæteros præcellentem (nam teste (g) Scriptura ab humero, & sursum eminebat super omnem populum) unxerit in Regem. Volebat enim vero, ut is, qui Rex esse velit, quemadmodum dignitate; ita naturæ dotibus reliquos anteiret. Nascantur igitur Regno Reges, & sua in illis Regum lineamenta in ipso ortu ex majorum semine describat natura: est enim ea Parentum sanguinis*

guinis ratio, ut per illum, ceu canalem, recti, praviq̄ue semina in posteros transfundantur. At persæpe evenit, ut quis, tametsi ex sanguine, ac stirpe Rex factus non sit; præclaris tamen virtutibus, & eximiis facinoribus humili de gradu cum Davide, quondam pastorculo, in solium eluictetur. Quod certe tanto est nobilius, quanto rudi, & informi natura pulchrior semper est virtus, cujus artibus illa perficitur; atque sua uniuscujusvis merita alienis habentur beneficiis potiora. Maximum tamen inter homines esse solet: ut si in aliquo ad Regium munus evehendo, perficiendoque Natura cum virtute junctis manibus, binæ velut artifices, elaborent; tum enimvero beatum fore hujusmodi Regnum, cui talis obtigerit Princeps!

Descensus cum applicatione ad speciem. Haud possum equidem diffiteri Auditores (quis enim neget, vel in optima semente lolia interdum reperiri? ut in agro Evangelico (i) Cum dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania in medio tritici) fuisse quosdam, paucos tamen, in hoc etiam amplissimo Hungariæ, non secus ac olim in Israelis, & Judæ Regno, quos cum Jeroboamo, Achabo, Roboamo, cæterisque impiissimis Regibus, licet sanguis, & natura Reges fecerit; vitia tamen ita depravarunt, ut vix Regio nomine censeam compellandos. Quis nescit Colomannum ab impia crudelitate notari? Stephanum II. Veneris monstrum, & Ladislaum IV. ob insanos Cumanarum pellicum amores, Cunum vulgo vocitatum, libidinis accusari; perinde ac Salo-

PARS. II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ 1.

i) Matth. 13. v. 25.

PARS II.
 CAPUT. I.
 ARTICUL. II.
 § I.

Salomonem ob mulieres Moabitas. Nonne etiam Zapolio regnandi ambitio, qua Turcis, infensissimis Religionis Christianæ hostibus, diripiendi Regni viam aperuit, non modico crimini datur? Uladislao II. oblectamentis nimium indulgenti ignavia exprobratur. Attamen fuere, & quidem multi fuere, quos & vitæ sanctitas, & Catholicæ fidei zelus, & boni publici studium, & bellica gloria magnopere commendarunt.

Partitio. Huic ter felici Regum numero principe propemodum loco accensendus videtur Sanctissimus Hungariæ Rex Ladislaus: quem profecto & Natura, & virtus raro fœdere Regem fecere. Natura: tam præclaris eum ornamentis apparando, ut tametsi virtute sua Rex factus non fuisset; ob eximia tamen naturæ decora Rex esse debuisset. Hoc primum. Postea virtus præclaris facinoribus: ut quamvis nihil ornamentis à natura accepisset; ob insignia tamen facinora, naturæ dotes suppletura, à Virtute Rex fieri debuisset. Hoc alterum. Utrunquo nobilissimum, quia de Rege nobilissimo susceptum, dictionis caput. Audiatis.

VI. Fons ab Adjunctis, sive circumstantiis temporis, loci, personæ, Oratoris, vel Auditorum; Festi &c. cum ipso tamen themate connexis. Hujusmodi exordium habetur: 1. apud Segneri Concione prima Quadragesimæ. 2. Apud Bourdaloue feria iv. Cinerum de mortis memoria, ubi orditur à morte Dominici de Perfixe Archiepiscopi Parisiensis, cui tres ante dies in eadem Basilica, in qua per Quadragesimam dicere instituit, iusta sunt persoluta.

ta. 3. Apud Cardinalem (k) Casini festo immaculati Conceptus die, in illud Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Item in illud Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum,* probantem: Prælatos Ecclesiæ exemplo Virginis immaculatos esse debere: 1. ut præclaris virtutibus nævum, ne quidem unum, admixtum habeant: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* 2. Heroicam virtutem nunquam indepturos, nisi exemplo Virginis prædominantem vincere studuerint affectionem: *Ipsa conteret caput tuum.* Exordium ducit à circumstantia Festi Immaculatæ Conceptionis. Sit

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ 1.

EXEMPLUM,

Ingressus. Pulcherrimum sane dicendi argumentum, si de Immaculatæ Virginis Conceptu dicendum esset, præberent nobis hodie verba illa, Salomoni à Divina Sapiencia, vobis autem à me paulo ante allata: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Si enim impie sentire nolimus verba hæc inanem esse delirantis Poeseos hyperbolem potius; quam profundum infallibilis veritatis oraculum, cui, oro, convenientius applicare illa poterimus, quam Mariæ? Hæc quippe una est, quam ab omni actuali culpa liberam fides docet; ab originaria autem singulari privilegio immunem fuisse pietas suadet, ut proinde ex communi SS. Patrum sententia, grande illud Spiritus Sancti elogium ad ipsam pertineat: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

De-

PARS II

CAPUT. I.

ARTICUL. II.

§ 1.

Descensus. Verum quia ego etiam ex mente (l) Augustini, cum de peccatis agitur, de Sancta Virgine Maria nullam prorsus habere volo quæstionem, & mysterio hoc tantum uti velim limpidissimi instar speculi, in quod Ecclesiæ Prælati intusantur: ut se à maculis perpurgent Virginis Immaculatæ exemplo, liceat nunc quærere, cur multi ex eorum numero, qui licet magno sibi ducant bonori clarissimam, quæ unquam post Divum Augustinum orbem illustravit, Angelicæ Theologiæ lucem sequi, nihilominus ab ejus scholæ doctrina hac in parte recedant. Ajo: quisquis opinatus est exemptam à communi lege infantem hanc, primoque conceptus instanti gratiæ, non naturæ filiam, ac spoliium fuisse; profunde animadvertit: nimium dedecere, vel umbram minimam in purissimi illius pectoris Sanctuario reperiri, quod Spiritus Sanctus elegerat in tabernaculum dignum Filio Dei: nec de illo dici posse tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; nisi Maximi Doctores Hieronymi sibi constaret sententia (m): Et ideo immaculata, quia in nullo corrupta.

Partitio. Duo igitur sacri Antistites certo sibi, constanterque persuadeant. Primum est: se nunquam promerituros encomium, & coronam immaculatorum, si cum plurimis virtutibus, quæ ornant animam, vel umbra defectus unius, clarissimos innocentie radios obscuraturi, admisceatur. Alterum: nunquam cujuscunque heroicæ virtutis plenum

1) De Nat. & Grat. contra Pelag. m) Serm. de Assumpt.



plenum dominium indepturos; nisi magnanimo ausu bellum acerrimum dicant prædominanti vitio, quod pugnam reddit difficiliorem. Exemplo Virginis, quæ triumphali pede caput Draconis protulit, pestifero suo veneno illam aspergere meditantis: Ipsa conteret caput tuum. Favete.

VII. Fons à Simili per prothasim, & apodosim, quod dupliciter fieri potest: 1. Si prothasis sit ingressus, apodosi vero descensus. 2. Quando similitudo tam cum prothasi, quam cum apodosi facit ingressum; descensus autem fit per applicationem sententiæ sacræ ad ipsum thema, aut per hypothesim, vel contrarium. Hæc autem utraque exordien- di ratio elegantior est, si similitudo ex ipsis assumptæ sacræ sententiæ verbis depromatur. Primi exempla reperies complura apud Segneri in Homine Christiano, cæterosq; apud Oratores. Alterius dat idem Segneri Sermone IV. Quadragesimæ: ubi Verbum Dei cibo comparatur; nos in exemplum adjicimus illud, tanquam brevius, quod olim in Oratione ad Religiosos dicta confecimus in hanc sententiam Eccl. 5. v. II. *Non ventiles te in omnem ventum.*

E X E M P L U M.

Ingressus à simili cum prothasi, simul & apodosi. Quod naturæ ventus est; hoc animo levitas morum est. Ut enim ventus mobilitate sua stabili nunquam consistit loco: totum, qua longe late patet, pervagatur campum; imo ipsum, si prævalidus sit Auster, aut Aquilo, conturbat cælum;

PARS II. maria procellis exasperat: cuncta denique, nisi
 CAPUT. I. suo obsistant nexu, aut pondere, dissipat, ac con-
 ARTICUL. II. vellit. Haud secus & levitas. Variis hæc quoque
 § I. mentem affectibus, ut Boreas Oceanum fluctibus,
 exagitat: ingenium, ac mores trochi instar ver-
 sat, ac iterum reversat. Jam enim ad insaniam
 anicum deperit: mox illum odio Vatiniano aver-
 tur. Modo præ latitia pene à se ipso discedit: tur-
 batis repente rebus restim, & furcam cogitat: jam
 furiis agitur, Herculem tunc bacchantem videres:
 sensa animi, velut paleas, in ventum jactatas dis-
 sipat, ac dispergit. Denique Chameleonte mutabi-
 lior, nunquam sibi, nisi in una tandem inconstan-
 ti levitate, constat.

Descensus per sententiam ad Hypothe-
 sim. Recte Sapiens: Non ventiles te in om-
 nem ventum. Ut enim rem ventis credere pe-
 riculosum, ac temerarium est; sic animum levi-
 tate agi, nimium quantum perniciosum, ac pro-
 brosum est; idque licet unicuique hominum generi,
 ante ceteros tamen Viris Deo dicatis, quos ipsa
 vitæ ratio leve ultra vulgus in sublime aliquod,
 ac prope divinum fastigium extulit; in quo nihil
 non sanctum, nihil non grave, nihil non optime
 moratum deposcitur, ab iis præsertim, de quibus
 constans, & pervagata est apud omnes opinio:
 illos esse homines ut doctrina; ita morum gravi-
 tate cæteris præcellentes.

Partitio. Optarem de hoc argumento ea vi,
 & efficacia differere, qua olim Sanctissimum fa-
 milia nostræ Parentem Ignatium uberes inter la-
 chrymas de modestia accepimus differentem. At
 licet

licet minori præditus sum facundia ; dicam tamen, & ita dicam : ut morum levitatem homini Religioso spectato seu nomine, seu veste, seu ipsa vitæ professione summe probrosam esse probem. Postea non probrosam modo ; sed etiam attentam, seu propria, seu aliena proximi, salute magnopere noxiam esse demonstram. Quod alterum erit Orationis caput. Utrique, velim, favete.

PARS. II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ I.

VIII. Fons ab illustri sententia, sive effato Scripturæ, vel sancti Ecclesiæ Patris. Hæc autem sententia potest esse vel thesis, generatim thematis sensum continens, ut est in exemplo Basilii in fonte II. supra allato. Vel est contraria ipsi themati, aut descensui exordii. V.g. Divini Spiritus effatum est: *Qui abstinens est, adjiciet vitam &c. Descensus:* At oppositum sentiunt plerumque homines cutis suæ studiosi. Hi jejunio, & abstinentia existimant vires imminui, vitam succidi &c. Contra si ventri liberalius indulgeatur, sanitatem conservari, hominis ætatem in longius prorogari &c. *Propositio.* Verum insipientissimi mortales ! nescitis, vetus jam olim à Sapientibus problema esse propositum, neque hactenus, quod sciam, dissolutum : utrum plures hominum gladius pere-merit, an gula ? &c. Vel 3. Si sententia, maxime Sancti Patris, explicet ipsum thema, aut Historiam Evangelicam, vel assumptum pro Concione Scripturæ textum, aut saltem his explicandis præbeat fundamentum. Ut apud Segneri Gregorii M. sententia : Aposto-

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§. 1.

los esse vocatos *non mittentes, sed trabentes retia*: ut discat Orator Evangelicus muneris sui esse, non re ipsa lucrari animas; sed omnem conatum eò dirigere, ut finem tam excelsum consequatur. Denique si sententia efferatur in modum similitudinis, cujusdam idæam ex Oratione Polemica festo Theophoriæ à nobis dicta, in illud: (n) *Ecce duo gladii hic*. Item (o) *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Unde fit

E X E M P L U M.

Ingressus à sententia in modum similitudinis. *Divus Bernardus à mellita, qua olim præditus erat, facundia dictus mellifluus, præposita fallacis mundi judicia confutaturus, hoc quondam argumento usus (p) erat: Aut iste (Christus nempe) fallitur, aut mundus erat; sed Divinam falli impossibile est Sapientiam; merito proinde & carnalis prudentia (mors siquidem est ipsa) inimica est Deo, & sæculi quoque prudentia stultitia nominatur. Quasi diceret: Vel Christus fallitur, vel mundus errat; sed Christus falli non potest; ergo mundus erat.*

Descensus cum apodofi. *Liceat etiam mihi, Auditores, hodierno sermone meo ad miseros, & infelices (quorum ingens me certe miserratio tenet) Calvinii sectatores, veram Christi in Eucharistia præsentiam inficientes, pari quidem forma; sed dispari complexionem, hoc idem argu-*
menti

n) Luc. 22. v. 38. o) Joan. 6. v. 56. p) Serm. 3. de Naziv. Domini.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§. I.

menti genus adhibere : *Vel Christus fallitur , vel Calvinus errat ; sed Novatorum opinione Calvinus non errat ; igitur Christus fallitur. Credo mirari vos Auditores , quod ego , qui Sanctum Christi JESU Nomen fero , interposita voti Religione eidem authoratus , tam grandem , & atrocem , ad quam ambæ tinniant aures , blasphemiam ausim evomere , ut Christum , æterni Patris Filium , Divinam Sapientiam , ac veritatem falli , ac fallere nesciam , erroris , ac falsitatis accusare non perhorrescam. Fateor : si id de meo prognatum foret cerebro , dignus essem enimvero , ut crinibus arreptus , confestim in judicium vocarer , atque hoc in eodem foro , publica senatus , populique sententia , ut olim Servetus (q) ob jactam in Christum blasphemiam Calvini , cæterorumque in Helvetia Ministrorum , autoritate Genevæ rogo addictus erat ; ego etiam temeritatem meam pari igne expiarem. At quoniam non mea , sed Adversariorum (parcite dilectissimi candide loquenti) è mente , ac sententia loquor ; cujus dicendi opportunitatem eorum mihi doctrina , & opinio dedit ; ignoscite , si iterum , atque iterum repetam : vel Christus fallitur , vel Calvinus errat ; sed Calvinus haud errat ; igitur Christus fallitur. At quæretis ex me Auditores , ubi fallatur ? ne longe discedamus , ajo : si Calvinus vera docet , bodièrno fallitur in Evangelio , dum in pane Eucharistico , quem Calvinus puram , putamque Christi Corporis ait esse figuram ; ac proinde non verum , ac (ut dicere solemus) realem ; sed metaphoricum , ac spi-*

C c 3

ritua-

q) Beza in vita Calvini.

TARS II. ritualem tantummodo tradit esse cibum; Christus
 CAPUT. I. contra carnem suam affirmat vere cibum, & san-
 ARTICUL. II. guinem suum vere potum: Caro mea (inquit)
 § I. vere est cibus, & sanguis meus vere est po-
 tus. En! si Calvinus non errat, hic, hic, Chri-
 stus fallitur; aut certe cum Bernardi, totiusque
 orbis testimonio, Christum Divinam impossibile est
 falli Sapientiam, Calvinus errat.

Partitio. Ecce duo gladii! Videte Au-
 ditores, quam opportune, ac commodum allatam
 dictionis principio Lucæ sententiam usurparim:
 duos hic esse gladios, in ipsa Novatorum fabrica
 procusos, atque e publicis eorum armamentariis
 depromptos, mibique traditos, ut in capita di-
 stringerem, ad animos salutariter quidem ferien-
 dos; haud tamen cruentandos. Triennium est,
 quod hoc eodem superiore de loco, ad vos verba fe-
 cerim, simili prope argumenti genere usus: Si
 Christus Deus est æternus, re ipsa præsentem ad-
 esse oportet in Eucharistia; si porro nequit esse
 præsens, nec æternus potest esse Deus. Habuit
 suum (quod Dei præpotentis beneficium erat) pon-
 dus Oratio. Nunc etiam in eadem Numinis Opti-
 mi, & Maximi benignitate confisus, spe teneor
 firmissima, suo haud mihi defuturum auxilio. Ve-
 rum, ut ex ordine procedat Oratio, ita dicere con-
 stitui: Si Calvinus non errat; Christus fallitur;
 quod primum. Si vero Christus falli nequit, ut
 Divinam impossibile est falli Sapientiam, Calvi-
 nus errat; hoc alterum erit dictionis caput.

Deprecatio, & Invocatio. Da veniam
 Christe JESU! si fortasse asperioribus, quam par
 esset,

esset, ac tuam addeceret Majestatem, verbis utar. Nosti mentem, & animum Oratoris, baud tuam ab eo hac re intendi ignominiam, sed gloriam; non dedecus, sed honorem: non calumniam, sed laudem, si fieri posset toto orbe propagandam, atque ipso, si tulerit occasio, sanguine contestandam. Vos etiam dilectissimi Auditores, filioli mei, quos ego (ut Gentium Apostoli verbis utar) iterum parturio, donec formetur in vobis Christus, ac tenerrimo, quam possum maxime, amoris, ac pietatis sensu complector, nolite existimare, si quidpiam vestris forte auribus gratum minus dixerō; id vestri, aut doctrinæ vestræ, vel Magistri vestri criminandi, & probris afficiendi causa dicere; sed unius veritatis declarandæ studio, ac salutis vestræ procurandæ desiderio, quam ardentissime percipio, à me proferri, persuasum habeatis. Adsis dicenti Deus, ut mea in animis Auditorum valeat Oratio.

IX. Fons ab exemplo Historico, & eruditione sacra, vel profana cum prothasi, & apodosi; ita ut prothasis sit ingressus; apodosis autem descensus. Vel, si tam prothasis, quam apodosis ingressum agat; quemadmodum de similitudine ante Fonte VII. dixeramus. Hoc autem exemplum, aut eruditio non oportet, ut semper similitudinis habeant rationem; sed possunt etiam esse themati contraria, aut dissimilia, unde ab iis, tanquam à contrariis, aut dissimilibus exordium duci. Horum idæas complures passim dabunt Oratores. Sic Pazmannus

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II
§ 1.

(r) de Eucharistico epulo acturus, orditur à convivio Asveri, quod centum octoginta diebus lautissimum instruxerat suis Optimatibus. Segneri (s) de vitandis peccati occasionibus orsus est ab eruditione profana: Trochili naufragium experti, qui domus suae fenestras pelago objectas obstrui iussit, ne maris tranquilli placido aspectu incitatus, rursus se discrimini committat. *Franciscus Senault* Gallus (t) sanctos Innocentes veros esse Martyres probaturus, ingreditur à Poetica Herculis angues adhuc in cunis discerpentis Historia, qui *monstra superavit, antequam nosse possset*, ut ait Seneca; ita sancti Innocentes, antequam rationis, ac sermonis usu præditi essent: Christum sanguine confessi, devicta impii Herodis, velut anguis tyrannide, Martyres, id est, victores in cunis sunt effecti. Hæc tamen exempla erunt validiora, si è sacra potius, quam profana; maxime ex Biblica Veteris, aut Novi Testamenti, Historia, quam aliunde fuerint deprompta. Sic *Spiritus Flechier* Episcopus Nemausiensis, in Oratione funebri *Henrici Turrenii*, supremi Gallicarum copiarum Ducis, ingressum facit ab exemplo Judæ Machabæi. Tam Historiæ, quàm eruditioni interdum breve præmium sensum thematis generatim complectens præmittitur: ut fit in eadem *Flechierii* de *Turrenio* Panegyri; plerum-

v) *Domini*, 2. post *Pentec.* s) *Serm.* 16. *Quadr.*
t) *Panegyri* 8. de *SS. Innoc.*

rumque tamen sine eo usurpatur : ut in Dictionario Morali verbo Bacchanalia sermone primo, cujus exemplum huc adscribimus.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ 1.

EXEMPLUM.

Ingressus ab eruditione cum prothasi. *Quam lugubre spectaculum fuit, cum Carthago obsidebatur, intueri eodem tempore, eademque in urbe, partem Civium districtis ensibus barbarorum aciem propulsare; alteram vero otiosam ludis, atq; spectaculorum solatiis vacare: hinc strenuorum militum manum pro patriæ salute cruorem effundere; inde inertium multitudinem in vitæ mollis, & voluptuosæ deliciis versari: hinc audiri morientium clamores, & gemitus; inde vero effrænem hominum plus æquo liberorum multitudinem, quos publica non movebat calamitas, nugari, ludere, bibere, saltare. Frigor extra muros, & intra muros præliorum, & ludicrorum confundebatur; vox morientium, voxque bacchantium; ac vix discerni forsitan poterat plebis ejulatio, quæ cadebat in bello, & sonus populi, qui clamabat in circo, ait (u) Salvianus.*

Descensus cum apodosi. *Sed quamvis insolitum vobis hoc spectaculum videatur; quot annis instauratur his libidinum diebus, quibus piorum hominum lachrymæ, atque suspiria cum clamoribus, & furore procacis plebeculæ, pronæ in omne genus improbitatis, permiscentur. Si in Dei templa pedem infero, Ecclesiam video intentam ad*

C 5

triste

u) De Gub. Dei l. 16.

PARS II.
CAPUT. I
ARTICUL. II
§ I.

triste sponsi sui anniversarium celebrandum, ac filiis suis ea Domini verba repetentem: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio Hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum. At si ex his sanctis ædibus egredior, quid in triviis, & domibus inveniam? Quot peccatorum cœtus reperiam intentos ad instaurandas priscas gentilitatis impietates, furoremque bacchantium? mortales sine Christiana Religione, sine pietate, dicantne? sine mente, sine ratione, qui dedecore afficiunt non Religionem solum, quam profitentur; sed etiam ipsum hominum, & rationalium nomen, quod gerunt, turpissime defœdant.

Partitio. De hoc iudicium ferimus ex spectaculis, personis, conviviiis, ex hac terribili multiplicitate scelerum, quæ per hos dies patrantur ad instaurandam Jesu Christi passionem. Fert igitur animus vobis ostendere: illum his etiam diebus inimicis tradi: tradetur; quod primum. His etiam diebus illudi: illudetur; quod alterum. His etiam diebus postquam sævissime convitiis omnibus affectus est, occidi: & postquam flagellaverint, occident eum; quod tertium erit concionis caput, audiatis.

§ II.

Modi Exordiorum Eloquentiæ sacræ proprii.

PRæter memoratos jam ante exordiorum modos, dantur etiam alii, eloquentiæ Sacræ proprii, potissimum ab Evangelii, aut assum-

assumptæ ex eo, vel aliunde è Scriptura, sententiæ expositione petiti. Quod Galli, primi nominis, Oratores adeo habent familiarē, ut vix alium apud eos exordiendi modum, quam istum, reperias.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ II.

I. Modus à *simplici Historia* occurrentis, vel etiam alterius assumpti Evangelii, *narratione*, cum prothasi, & apodosi, ita ut prothasis agat ingressum; apodosi vero descensum. Porro non opus est, ut tota Historia referatur; sed præcipua tantum ejus capita, ad propositum magis valitura. Dixi à *simplici*, sive ejusmodi *narratione*, quæ sermonem orditur ab ipso statim Evangelio, sine præmio, ac narrationis Oratoriæ ornamentis, ut plerumque faciunt sancti Ecclesiæ Patres. Sit exemplum ex sermone S. *Ambrosii*, habito in Dedicatione Ecclesiæ, à quopiam Comite extractæ.

EXEMPLUM.

Ingressus. *Legimus in sancto Evangelio: cum Centurionis cujusdam servus, qui erat illi pretiosior, gravi paralyfis ægritudine laboraret, & per seniores Judæorum ille Centurio rogaret Salvatorem, ut ejus doloribus mederetur: erat enim (ut ait Scriptura) moriturus. Inter cætera ad majorem commendationis gratiam, seniores dixisse Domino: quia dignum est, ut hoc illi præstes: diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificavit nobis.*

Descensus. *Si ergo commendatur Domino, qui ædificavit Synagogam; quanto est commendatior*

PARS II.
CAPUT I.
ARTICUL. II.
§. II.

tior Domino, qui ædificavit Ecclesiam? Et, si is meretur gratiam, qui impietatis receptaculum præstitit; quanto majorem meretur gratiam, qui Religioni domicilium præparavit? Et, si ille cælesti misericordia visitatur, qui construxit locum, ubi Christus semper negatur; quanto magis visitandus est, qui fabricare fecit tabernaculum, ubi Christus quotidie prædicatur? In Centurione enim non quid operis fecit; sed qua mente operatus est comprobavit. Nam qui tempore, quo nondum Christiani erant, solícite Synagogam fecit; si fuissent utique Christiani, intelligitur, quod multo solícitius fecisset Ecclesiam &c.

Propositio. Centurio ergo justificatus est propter opus fragile, vel terrenum; justificandus plane est Vir clarissimus, & providentissimus Comes noster, propter opus tam perpetuum, vel cæleste: qui Comes sicut est Centurione dignitate potior; ita & fide debet esse devotior &c.

II. Modus per eandem Evangelicæ Historiæ narrationem; sed paulo ornatiorem, in eo positam: I. Ut Narrationi breve præmium Historiæ summam complectens præmittatur; quod elegantius reddetur, si per aliquam similitudinem, vel illustre effatum, aut sententiam efferatur. Ut: Segneri serm. 19. *Quadr.* Si unquam verum fuit, unde apiculæ nectar, & mella sugunt; inde araneos venena cogere; id hodie profecto in actionibus Apostolorum evenit. Statuerant miseri sequi Christum &c. Et tamen, quis credat? etiam hoc vivendi genus nonnullorum cri-

criminationi patebat &c. 2. Ut Evangelica Historia quibusdam Narrationis Rhetoricæ ornamentis vestiatur. 3. Ut Epiphonemate, sive illustri quapiam sententia Oratoris propria, vel aliena, ad propositum valitura concludatur, quæ tamen, si Oratori libuerit, omitti potest. Postea in descensu fiat apodosis, sive applicatio Historiæ ad thema. Res clarior reddetur paradigmate ad imitationem *Cardinalis (x) Casini* confecto.

PARS II.
CAPUT I.
ARTICUL. II.
§ II.

EXEMPLUM.

Ingressus à Narratione Evangelica cum brevi proœmio. *Pulcherrimam certe, ac prorsus divinam, si è nobis queratur: qui, qualesve simus, respondendi rationem, hodierno in Evangelio suggerit Christus. Cùm audisset (y) Joannes in vinculis opera Christi, id est: ingentem illam nominis, ac famæ celebritatem, quam ei totam per Judæam pepererant, tot grandia, quæ patrarat, miracula: cepit prudenter suspicari, quod erat, illum non qualemcunque, sed divinum prorsus hominem esse debere: eum ipsum, quem sancti Propbetæ re ipsa venturum, futuramque omnium gentium expectationem, prædixere. Quare binos suis è discipulis ad Christum legat, ut ex eo sciscitati cognoscerent: Tu es, qui venturus es, id est: Messias, an alium expectamus? Quid putatis Auditores, Christum ad hanc, cæterum perhumanam legationem, respondiisse? fortasse increpita legatorum curiositate idem iis, quod olim Petro, roposuerit: quid ad te? Vel certe ad-*

x) *Casini tom. 1. Orat. 11, y) Matth. 11. v. 3.*

PARS II.
CAPUT I.
ARTICUL. II.
§ II.

adventantibus ultro obviam processerit legatis, quemadmodum in Getsemani horto Judæis, iisque percontantibus: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? audacter respondisse: Ego sum: nec alium expectate. Poterat quidem id ex vero dicere Christus, quin minimam ullius jactantiæ, aut inanis gloriæ umbram admisisset; veritus tamen, ne generosum hoc responsum ambitionis cujuscumque argueretur, ita reposuit, ut nec livor haberet, quod rodat; nec Joannis in Christum fides, ac pietas detrimenti quidpiam pateretur. Quod igitur jam pridem advenientis Messicæ signum posuerat Ijaias; hoc legatis responsi vice dedit: Euntes (ait) renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis: quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Quasi diceret: si nosse cupitis: quis ego sum, en! opera mea in signum habete, & confestim cognoscetis: an is sim, qui venturus est, vel alium expectare debeat. (Epiphonema) Ut enim ex fructibus arbor; ita Vir ex operibus cognosci solet.

Descensus cum apodosi. Auditores! ego equidem Christi præcursor non sum; nihilominus tamen apud vos pro Christo legatione fungor; fas sit igitur mihi ex vobis quærere, quod olim Joannis legati è Christo quæsiere: Qui estis vos? an Gentiles? an Judæi? an Christiani? Quid dicitis? respondete! Ut video, omnes uno ore clamat: sumus, sumus, & quidem veri Christiani sumus: hoc enim impressum frontibus nostris testatur

statur Crucis signum : hoc Mariana , quam defecerimus , denotat corolla : hoc cætera Christianæ vitæ perhibent argumenta.

PARS II.
CAPUT I.
ARTICUL. II.
§ II.

Partitio. *Utinam ex vero perhiberent ! At sæpe præpostera est rerum facies. Multi nomen ferunt ; rem autem non ferunt : Christum se nosse confitentur ; factis autem negant. Quid igitur consilii suscipiendum ? Si filii Abrahæ estis , opera Abrahæ facite , ajebat (z) olim Christus , dico ego : Si veri Christiani esse cupitis , Christum operibus induatis , quod primum : quem si induere neglexeritis , nunquam ex vero Christiani audietis , quod alterum erit dictionis caput.*

III. *Modus ab eadem Evangelica Historia , sed cum diffusiori præmio. Hoc autem præmium duci potest , vel ab aliqua generica propositione summam Evangelicæ Narrationis continente , vel ab ejus contrario , aut à similitudine quâpiam , vel exemplo , aut illustri sententia , ita ut diffusius præmium sit vice ingressus ; Evangelica autem Historia habeat locum descensus ; sic tamen , ut themati jam tunc sit applicata. Quamvis observavi Historiam , una cum diffusiori præmio , ingressum persæpe agere ; quod tum evenit , cum applicatio est distincta ab Historica narratione. Hujusmodi exordium habetur apud Segneri in Quadragesima sermone 27. Item in Dictionario Morali , sive Universalis Scientia concionandi serm. 2. de Correctione fraterna. Primi vero dat idem*
Se-

z) Joan. 8. v. 39.

PARS II. *Segneri* Concione prima sermonum in Pa-
 CAPUT. I. latio Apostolico habitorum, quod, utpote
 ARTICUL. II. brevius, placuit exscribere in exemplum.
 § II.

EXEMPLUM.

Ingressus à proœmio diffusiori. *Non a-
 lias natura turbatur vehementius; ac dum res quæ-
 piam altiore loco stare solitæ, vi quadam in infe-
 riora detruduntur. Sic vapor igneus, si terræ in-
 tra viscera, tanquam tumulo, conclusus, in locum
 sublimiorem enitatur, Superi! quos non excitat
 fragores? quam non terribili horrore montes con-
 cutiat? quoties retro agit maria, non tam rece-
 dere, quam fugere coacta? quot integris urbibus
 triste aperit sepulchrum? quo prius homines con-
 duntur, quam moriantur.*

Descensus ad Evangelicam Historiam
 cum applicatione ad thematis materiam. *At
 utcunque ingens sit hæc rerum confusio; major cer-
 te, magisque dolenda se meis oculis hodierno in con-
 cilio objicit rerum perturbatio. Nam commodi
 proprii studium, nescio quomodo, ad suprema
 Judæorum subsellia eluctatum, tantum audaciæ
 arrogat, ut Deum postremo stare loco cogat. Col-
 legerunt (a) ergo Pontifices, & Pharisei
 concilium, at quale concilium? ejusmodi certe,
 in quo constitutum est expedire, ut potius moriatur
 Deus, quam pereat homo: expedit vobis, ut
 unus moriatur homo, & non tota gens pe-
 reat. O miseram Urbis faciem! O gentem infeli-
 cem! O statum deplorandum! Ergo aula illa præ-
 grandis, ad quam paulo ante lætissima quæque Ju-
 dæo-*

a) Joan. 11. v. 47.

PARS II. *quam, cum de opprobriis sibi inferendis Christus*
 CAPUT. I. *loqueretur; illa honores petitura tunc accessit?*
 ARTICUL. II. *Tunc accessit (c) ad eum Mater filiorum*
 §. II. *Zebedæi cum filiis suis adorans, & petens*
aliquid ab eo. Quid stultius, quam ea petere,
quæ ignoras, quid essent? Nescitis (inquit Chri-
stus) quid petatis. An non superba prorsus po-
stulatio, quæ ad primos honorum gradus excellen-
di stultio adspirat? Dic: ut sedeant hi duo filii
mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad si-
nistram in Regno tuo. Certe injustissima est
petitio, quæ præmium exigit ante meritum, &
mercedem ante laborem: Potestis (ait Christus)
bibere calicem, quem ego bibiturus sum.
Verum vitiosæ hujus petitionis labes correxit Chri-
stus: & quidem justitia injustitiam: sapientia
ignorantiam: humilitate superbiam: prudentia im-
portunitatem. Injustitiam justitia; dum labores
commemorat: Potestis (inquit) bibere cali-
cem, quem ego bibiturus sum. Ignorantiam
sapientia; dum ait: Nescitis, quid petatis.
Superbiam humilitate: cum palam confitetur: Se-
dere ad dexteram meam, vel sinistram, non
est meum dare vobis. Denique importunita-
tem reprimit prudentia: dum in tempus opportu-
nus rejicit petitionem: Calicem quidem meum
bibetis &c.

Descensus. *Ex hoc imprudentis exemplo*
mulieris discite Patres, Matresque familias, qua-
li in filios vestros amore, ac studio ferri debeatis.
Sunt etiam his temporibus non pauci Christiano-
rum, qui augendæ, ditandæque familiæ desiderio,

c) *Matth. 20. v. 20.*

per

per fas nefasque conantur eluctari : jura evertunt, sententias inique ferunt, testamenta depravant, mercenarios defraudant, orphanos supprimunt, viduas deglubunt, pauperes emungunt.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§. II.

Partitio. *Verum adsint hi, & me auscultent hodie, clarissimis ego argumentis demonstrabo, quam inconsulte agant, quicunque præpostero exaltandæ familiæ studio tenentur. Certe hi agunt rem, quæ dari potest, insipientissimam; quod primum: agunt rem superbissimam; quod alterum: agunt rem injustissimam; quod tertium est dictionis caput. Attentas si quando, nunc mihi, aures præbete; & videbitis hunc perversum extollendæ familiæ amorem (si tamen amor dici potest) studium esse maxime noxium, ac crudele.*

V. Modus est: cum exordium ducitur non à Narratione Historiæ Evangelicæ; sed à paraphrasi, & expositione particularis sententiæ ex Evangelio, vel aliunde è Scriptura, in Concionis materiam assumptæ; ita ut explicatio præmissa brevi, vel etiam fusiore præmio, aut eo prætermisso, ut Oratori libuerit, agat ingressum; illius vero apodosis, aut applicatio ad thema, vel particularior expositio habeat rationem descensus. Et hujusmodi sunt pleraque *Italorum, & Gallorum* exordia. Explicatio autem institui potest vel à sensu literali, vel à mystico: ut allegorico, anagogico, & morali; eoque ex mente SS. Patrum, vel Scripturæ interpretum, aut etiam sine his, ex solius Oratoris judicio; maxime, si sensus sit literalis, isque cla-

PARS II. rus, & perspicuus. Tale exordium habetur
 CAPUT. I. apud Bourdaloue (d) de Evangelica severita-
 ARTICUL. II. te in illud Joan. I. v. 23. *Ego vox clamantis*
 § II. *in deserto, dirigite viam Domini*, ubi in Ingres-
 su explicat per viam Domini è mente Hieronymi intelligi Evangelicam severitatem, quam postea in introductione, in quo sita sit, quamque Joannis severitas differat à Pharisaica, uberius, ac particularius exponit, viamque sternit ad partitionem. Similia huic exordia reperiuntur etiam apud Cheminais, & Bordoni, cæterosque recentiores Oratores, quorum idæas referre brevitatis causa prætereo. Sit tamen exemplum ex memorato Bourdaloue.

E X E M P L U M.

Ingressus ab expositione sententiæ Evangelicæ. *Hæc Domini via, cujus hodiernum meminit Evangelium, ex communi, qui proprius est, Patrum omnium sensu, non alia haud dubio est, quam arcta salutis via. Hanc Joannes Baptista, ceu Christi præcursor, eo consilio missus, ut eam monstraret, humanis in cordibus appareret, dirigeretque, non dilatata; sed ad sanctissimas, quas præscripsit, leges constrictam, primus annunciavit, dum ad eam ineundam omnes invitat: Ego vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Arcta hæc est via, quia unica, qua patere nobis potest aditus in cælum: Arcta via est, quæ ducit ad cælum: à primigenia quippe noxa (teste*
 Hiero-

d) Tom. 1. in Adventu 2. in Domin. 3. Advent.

Hieronymo) alia nulla est ad Deum via, quam voluntaria sui ipsius vexatio.

PARS II.
CAPUT I.
ARTICUL. II.
§. II.

Descensus ad contrarium. Verum quam fatalis est, ac misera humanæ sortis conditio, in quam per peccatum coniecti sumus. Quot sunt, qui viam illam ignorant, nec satis discernunt? quot ex iis etiam, qui eam inquirunt, ac deprehendisse se putant, aberrant nibilominus in ea, & sempiternum tandem ad exitium præcipites ruunt? Divini Spiritus dictum est: esse viam, quæ videtur homini recta, cujus novissima ducunt ad infernum.

Propositio. Agite igitur Auditores Christiani, en! ego vos ab hoc periculoso errore removebo, dum hodierna dictione veram Christianæ severitatis formam, ad exemplar sanctissimi Christi præcursoris, animis vestris subjiciam, attendite.

Introductio ab explicatione, & comparatione. At quoniam lux tenebrarum contentione splendidior apparet; sinite, ut veram Joannis severitatem componamus cum falsa illa, & simulata Pharisæorum austeritate, quam Christus toties, tamque aperte in Evangelio insectatus erat. Quis vitæ rationem secutus est austeriorem? quis fuit magis severis moribus, ac Joannes? at enim in hac ipsa severitate (quod est notatu dignum) egregius semper fuit propriæ utilitatis contemptor, fuit summa animi demissione, fuit ingenti præditus charitate. Egregium dixi propriæ utilitatis fuisse contemptorem: per eum quippe unum stetit, quin Messias haberetur tota Judæa. Adsunt Levitæ, & Sacerdotes legati à Synagoga, qui honorem illum ultro detulere; verum haud se perstringi si-

PARS II.
CAPUT I.
ARTICUL. II.
§. II.

nens tam augustæ, tamque excelsæ dignitatis fulgore, non se modo Messiam expectatum, sed & Prophetam esse negavit. Elias es tu? non sum. Propheta es tu? non sum. Fuit etiam (ut dixi) summa animi demissione: oblatum quippe honorem non solum non admisit; sed etiam, qui in vilissimis Christo serviat ministeriis indignum se se professus erat. Non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti ejus. Addidi denique: charitatem in eo summam enituisse. Si durus erat, sibi uni durus erat. De reliquo zeli sui vim, & ardorem ita exprompsit, ut ad informandum ad pietatem, ad permovendos, Christoque lucrificandos populares suos totus quantus dirigeretur: Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini. En! quod severitatem appello vere Evangelicam. En! quod Phariseis deerat, hodieque deest plurimis aliis, ad quos (ut Hieronymus exprobrat) impostorum illorum vitia fatali quadam hæreditate sunt transmissa. Pietatem illi quidem admodum rigidam præferebant, unde autem illa ortum duxit? Nonne ex quæstu, & turpis compendii studio? Væ vobis (ajebat Christus eosdem objurgans) qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Nonne ex arcana quadam superbia? Væ vobis, qui amatis primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis. Nonne ex duriori in alios asperitate? Væ vobis, qui alligatis onera gravia, & importabilia, & in fratrum humeros ea imponitis.

Par-

Partitio. *Ex his eruimus Auditores tres regulas ad Christianam severitatem ex veritate estimandam, colligamusque, poni eam oportere in propriæ utilitatis contemptu; in sincera animi demissione; in patiente, ac tenera in proximum charitate. Quæ tria totidem erunt concionis capita &c.*

VI. Modus ab eadem sententia Evangelica; verum ita, ut facer textus jam themati applicatus descensum agat; ingressus autem ducatur ab ejus contrario, aut simili, vel à genere sensum illius summam complectente. Tale est apud Segneri ferm. 40. festo Annunciatæ in illud: *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum*, ubi in ingressu generatim agit de gaudio in perditis inveniendis, post in descensu delabitur ad speciem, nempe gratiam, quam, ex mente Ludolphi *Eva perdidit, Maria invenit*. Simile exemplum habetur etiam apud Cheminai festo(e) S. Xaverii in illud Isaia II. v. 2. *Et requiescet super eum spiritus fortitudinis*, ubi in ingressu tractat generatim de fortibus, ac Heroicis Virorum Apostolicorum facinoribus, quibus tota eorum vita inclarescere solet; postea in descensu explicat, in quo spiritus iste fortitudinis positus sit, eum q; Sancto applicat Xaverio. Denique sæpe sententia Evangelica nec in ingressu, nec in descensu; sed in ipsa propositione themati applicatur. Hujusmodi

D d 4

exem-

e) Cheminai p. 2. Conc. 10.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ II.

exemplum est apud Bordoni (f) serm. 147. Dominica I. post Pascha in illud: *Venit Iesus; & stetit in medio, & dixit eis: pax vobis.* Joan. 20. cujus exemplum huc adscribimus.

EXEMPLUM.

Ingressus. Si quantum est in se pacis pretium; tantum esset illius apud homines momentum, ac studium; nullus profecto in orbe locus foret, in quo pax non coleretur. Tunc vallis ista lachrymarum mutata repente scena verteretur in terram deliciarum, ubi non officientibus ullis, quibus à natura premitur, huius vitæ calamitatibus, ac miseriis, præviis dulcis quidam cælestis paradisi gustus, ac sensus incolis præberetur.

Descensus ad contrarium. At seu sit hominum perversitas, quæ illam contemnit: seu cæcitas, quæ ignorat; haud dubium est, a potiore fidelium parte nihil minus, quam de pace procuranda, cogitari; & quamvis unicuique insitum sit felicitatis desiderium; ea tamen alio longe loco inquiritur; quam ubi reperitur.

Propositio. Nollem chari Auditores, ut hæc deploranda adæo negligentia altiores in animis vestris radices agat, præsertim, cum ipse Divinissimus Servator Christus, à mortuis resurgens, ut afflicta discipulorum corda lætitia impleret, die hodierna non modo pacem annuntiat; sed ipse ultro eam adfert, dum stetit in medio, & dixit eis: pax vobis. Experiri igitur volo, num in vobis, qui eo destituti estis, hoc vespere accendere possim
ardens

f) Discorsi per l' Esercizio della bouna morte, discorso 147. per la Domenica prima dopo pasqua.

ardens magni huius boni desiderium, & una aperire pulcherrimum indipiscendæ felicitis vitæ campum.

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ II.

Introductio ab explicatione pacis.

Quem ut obtineatis; advertite è S. Augustino, in quo pax ista consistat, ac inde discite semitam illam, quæ vos ad hanc optatam ducere debeat felicitatem. Pax, inquit S. Doctor, non aliud est, quam Tranquillitas ordinis: nec enim ibi pax esse potest, ubi ordo sine tranquillitate, aut tranquillitas sine ordine reperitur. Hic autem ordo (prosequitur idem sanctus Doctor) in tranquillitate positus: respicit Deum, respicit nosmet ipsos, respicit proximum. Comparete ad Deum, vocatur pax hominis ad Deum: comparete ad nos, vocatur pax hominis ad se ipsum: comparete ad proximum, vocatur pax hominis ad hominem.

Partitio. Ecce pacem, cuius obtinendi desiderio incensos vos esse cuperem Auditores. Videntur tres quidem esse paces, veruntamen unica est: nam ex tribus una illa pulcherrima coalescit, quæ felicem reddere solet vitam nostram, & mortem feliciorum. Primum igitur dispiciemus, qualis debeat esse pax nostra cum Deo, quod primum; postea nobiscum, quod alterum; demum cum proximo, quod tertium. Inchoemus.

VII. Modus rursus à sententia Evangelica, vel Scripturæ; sed cum aliqua controversia, quæstione, difficultate, vel antilogia, quam habere videtur, proposita. Instituitur hoc modo: 1. in ingressu proponitur quæstio, controversia, aut difficultas, vel

PARS II. antilogia cum suis rationibus, vel sine illis.
 CAPUT. I. Postea dissolvitur autoritate Sancti Patris,
 ARTICUL. II. vel celebrioris interpretis, vel per alium
 § II. Scripturæ locum, aut denique ex mente fo-
 lius Oratoris. Demum fit apodosis, five e-
 ruitur doctrina concionis proposito servitu-
 ra. Hujusmodi exordia reperies: 1. in mo-
 dum quæstionis apud *Segneri* serm. 22. Qua-
 dragesimæ, ubi in ingressu in illud Joan. 6.
*Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pere-
 ant, quærit: cur Christus tam solícite panis
 prodigiosè multiplicati micæ, & fragmen-
 ta colligi curarit? postea in descensu è men-
 te sua resolvit: id factum esse, ut doceat: ni-
 hil superflui retineri debere; sed omne, quod
 superat, in pauperes erogari.* 2. Apud (g)
Cheminais in modum difficultatis in illud
 Matth. 1. v. 16. propositæ: *Jacob autem ge-
 nuit Joseph, Virum Mariæ, de qua natus est JE-
 sus, qui vocatur Christus: Res mira! sacros E-
 vangeliarum Scriptores parum admodum
 de laudibus, & excellentia Virginis memo-
 rare: rem omnem hoc uno brevi encomio
 absolvere, quod sit Mater Jesu; vel, ut in
 hodierno legitur Evangelio, de qua natus est
 Jesus &c.* Dein è mente cujuspiam inter-
 pretis respondet: in Dei Matris nomine om-
 nem præcellentiam, ac laudum præroga-
 tivam, quæ soli creaturæ convenire po-
 test, fundari, ac contineri. Sit exemplum ex
 P. Calini Panegyrico, S. Stanislao Kostka
 ador-

adornato, (b) in illud I. Reg. 2. v. 25. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus.

PARTE II.

CAPUT. I.

ARTICUL. II.

EXEMPLUM.

§ II.

Ingressus à difficultate. Heli Sacerdos filios suos reprehensurus, ita quondam affatus erat: Heus (inquit) filii mei! Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Licet perspicua videantur esse verba ista; sua tamen haud carent difficultate: an non enim omnia peccata sint contra Deum, ea ipsa de causa, quod habeant peccati nomen? nunquid è mente Augustini: peccatum est, dictum, factum, vel concupitum adversus legem Dei? si ita? cur ergo discrimen hic statuitur inter peccata adversus hominem commissa, & inter peccata adversus Deum perpetrata? tamen utrisque offenditur Deus?

Dissolvitur difficultas. Si Divum libet audire Bernardum, ita hunc ille dissolvit nodum: si homo hominem offendat, eo de consilio, ut placeat Deo, Deum sibi propitium habebit: Ego (inquit Bernardus) si me hoc angi articulo sentiam, ut aut Deum, aut hominem offendere necesse sit, Deum potius libenter eligo non offendere; habeo enim ex præsentis Prophetæ capitulo de hominis læsione meam consolationem, Dei scilicet propitiationem. Opiniones namque hominum sæpissime adversantur sententiis Dei: dum Heli loquitur de hominum offensa, de illa loqui intelligendus est, quæ fit ad mentem Dei. Cum ait Heli: si peccaverit vir in virum,

h) Calini in Samuele tom. 1. serm. 73.

PARS II. virum, subaudiatur propter Deum, cui a-
 CAPIT. I. perte contraria homines hominibus fre-
 ARTICUL. II. quenter mandare præsumunt. *Ita memoratus*
 § II. *sanctus Doctor.*

Descensus cum apodofi. *Tamet si enodatio ista suæ adhuc difficultati sit implexa; tota tamen apposita videtur esse ad hodiernam Angelici Fuvonis Stanislai Kostkæ celebritatem. Hic enim jam à teneris annis robusta pollebat sanctitate: toti se mundo viriliter opponebat: omnes ejus assultus generose vincebat, tunc nempe sibi, Deoque placere visus, cum hominibus displicuisset. Et vero de hominis læsione habuit suam consolationem, Dei scilicet propitiationem.*

Propositio, & Partitio. *Date modo AA. ut exactiori allatæ sententiæ indagine in proximum sermonem dilata, hodie alia vos occupem dictione, quæ licet tota sit præter ordinem; attamen multum est valitura ad propositum tam præmissi thematis; quam hodiernæ solennitatis. Thema è mente Bernardi, fortes nos esse docet adversus hominum timorem, ut Deo placeamus. Si peccaverit vir in virum propter Deum. Festa solennitas nobis innuit laudandum esse Sanctum nostrum. Agite igitur AA. ut videamus fortitudinem, qua Stanislai Sanctitas enituit in superando hominum respectu: quod primum; dein: quantis à Deo præmiis fuerit cumulata: quod alterum erit sermonis caput. In prima spectabitis fortitudinem robustam; in altera fortitudinem largissime compensatam. In illa discetis: quomodo debeat vir peccare in virum propter Deum; in ista, quomodo debeat*
habe.

habere de hominis læsione consolationem, Dei scilicet propitiationem.

VIII. Modus à duplici Evangelio: sæpe enim accidit, ut eodem die bina legantur Evangelia, festi nempe, ac Dominicæ; sumitur ex utroque thema, ac primum in ingressu explicatur Evangelium v. g. Dominicæ; postea in descensu delabitur Orator ad Evangelium festi, & ex utroque eruitur materia, vel partitio concionis. Ita *Vieira* festo *S. Antonii Patavini*, in tertiam post Pentecosten Dominicam incidente, in ingressu explicat ex Evangelio Dominicæ: Drachmam à muliere perditam, & inventam, esse animam, quæ ab hominibus peccando perditur, & pœnitendo invenitur. Dein in descensu delabitur ad festi Evangelium, aitque lucernam Evangelicam in Dei domo, seu Ecclesia, super candelabrum positam, & accensam, sanctum esse Antonium, animarum perditarum Patronum, quod toto postea concionis decursu probat. Simile Exordium habetur etiam in sermone de *S. Theresia*. Ducuntur etiam exordia à duabus sententiis: una Evangelica; altera ex alio quocunque Scripturæ loco deprompta. Quod tum evenit plerumque, dum binæ in diem eandem celebritates conveniunt. Prima proponitur in ingressu; altera in descensu, vel propositione, aut in introductione, & ex sensu utriusque eruitur thema, vel partitio,

reli-

PARS II.
CAPUT. I.
ARTIC. II.
§ II.

PARS. II. reliqua concione pertractanda. Sit idea pri-
 CAPUT. I. mi ex *Vieira*.

ARTICUL. II.

§ II.

E X E M P L U M.

Ingressus. Cum *Ecclesia* bina hodie proponat *Evangelia*, operæ pretium me facturum existima-
 bam, si bina pariter sumerem themata concionis :
Dominicæ primum; festi alterum; utrumque San-
cto, cujus agimus celebritatem, ita accommoda-
tum, ut unius sententia alterius commentatio
esse videatur. In primo ait Christus: si mulier ha-
bens drachmas decem (erat drachma apud Hebræos
exigui ex argento ponderis moneta) unam perdi-
derit, quid agit? (advertite, quam accommoda-
tam proposito nostro Divinissimus Magister adse-
rat comparationem) accendit, inquit ille, lucer-
nam, evertit domum, omni drachmam diligentia
inquirit, atque ea inventa ad congratulandum con-
vocat amicas, & vicinas. Cernitis mulieris hu-
jus Evangelicæ festum, & gaudium; idem in cæ-
lo fieri cogitetis, inquit Christus. Grandis ibi e-
tiam celebratur festivitas, applaudunt Angeli, con-
gratulantur Beati, cum impius acta pœnitentia ad
Deum fuerit conversus: Ita gaudium erit co-
ram Angelis Dei, super uno peccatore pœ-
nitentiam agente. Hæc est parabolæ Evange-
licæ summa, tribus capitibus descripta: muliere, mo-
neta, & lucerna. Muliere; perditam monetam
inveniente, ac idcirco festum lætitiæ peragente:
Moneta; primum perditam, postea inventam: deni-
que lucerna; ad quærendam, ac inveniendam mo-
netam accensa. Duo horum explicuit Christus; ter-
tium, quid esset? in obscuro reliquit. Mulier est
Eccle-

Ecclesia, quæ, ut militans perdit, & invenit peccatores: ut triumphans festum peragit conversionis. Drachma perditæ, & inventa animas designat peccatorum, quæ peccando perduntur, pœnitendo inveniuntur.

Descensus ad alterum Evangelium.

Quid autem Lucerna ad quærendam drachmam accensa significet? cum Christus Divinissimus Magister eam explicare præterierit, quis ausit interpretari? Ego certe tantum animi funere haud possem; nisi me hodierna celebritas manu quasi duceret ad eam declarandam. Edicite: quis Sanctorum, ut rerum perditarum Patronus celebratur in terris? quæ lucerna est in mundo, cujus beneficio res perditæ inveniuntur? Audio: quotquot estis uno ore, una voce, sanctum esse Antonium affirmatis. Iste, iste, certe est Lucerna illa Evangelica, quæ primo in Evangelio memoratur accensa; in altero vero super candelabrum Ordinis Seraphici posita, ut omnes, qui in domo, sive Dei Ecclesia sunt, doctrinæ, ac sanctitatis ejus fulgore illustrarentur: Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. In primo parabolice; in altero explicatur mystice: hanc lucem, cujus beneficio animæ perditæ recuperantur, nostrum esse Gloriosissimum Antonium, quem orbis agnoscit universus hac laudis, & gloriæ prærogativa maxime enitere.

Propositio. Stabilita igitur utriusque sacræ sententiæ concordia, nec ego thema conformius Evangelio invenire: nec vos conducibilius aliquid desi-

PARS II.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ II.

desiderare poteratis: nec ipse Sanctus gratius sibi aliquid, quam istud, exigere valebat. Hoc igitur esto sermonis argumentum: Antonius perditarum recuperator animarum &c. (i)

C A P U T II.
DE DISPOSITIONE CONFIRMATIONIS.

Confirmatio est ea pars Orationis, in qua susceptum thema, vel ejus partes, appositis rationibus, & argumentis per varias argumentationum formas oratorie propositis ex ordine confirmantur. Est autem argumentatio: fusior, & artificiosa argumenti explicatio. Unde argumentum inter, & argumentationem, hoc intercedit, quod hæc sit modus, sive ratio illud tractandi; argumentum verò sit ejus materia, quæ jejuna, ac imbecilla foret; nisi artificiosa explicatione expoliretur. Tria vero in proponendis argumentis sunt servanda: 1. Ut solida sint potius, quam multa; secus confirmatio fiet inanis rationum congeries. 2. Debito ordine (quod jam ante diximus) sint locata, ut nempe rei natura, vel artis ratio exegerit. 3. Curandum, ne confirmationes æquabili forma institutæ fastidium creent: unde variandæ sunt argumentationes: jam hæ, jam illæ adhibendæ. Septem autem sunt species

i) *Hanc de exordiis materiam consulto diffusius tractavimus, Tyronum gratia, quos in dispositione exordiorum plurimum laborare experti sumus.*

species argumentationis: Syllogismus, Enthymema, Collectio, Sorites, Dilema, Inductio, Exemplum, quibus addo Chriam, ex quibus instituendæ Confirmationis modi exoriuntur, secuturis Articulis exponendi.

PARS II.
CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§. I.

ARTICULUS I.

MODUS CONFIRMATIONIS PER CHRIAM.

§. I.

Præcepta hujus Modi. (i)

I. *Natura Modi.* Chria universe est: facti, vel dicti, aut utriusque simul, utilis, ac memoria digni explanatio. Triplex est: prima dicitur *Verbalis*: quoniam versatur in verbis graviter, ac sententiose à quopiam prolatis. Ejusmodi foret in illud Pauli: *Corrum-punt mores bonos colloquia prava.* Altera est *Activa*, actionem, seu factum aliquod celebre exponens, ut S. *Benedicti* ad vincendas carnis tentationes inter spinas volutati. Tertia est *Mixta*, quæ dictum simul, & factum conjunctim exponit, ut Christi in ultima cœna discipulorum pedes lavantis: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quæcunque sit harum (ut *Aphtonius* tradit) octo partibus continetur. I. *Exordio*, quod esse potest vel ab encomio, aut à genere,

E e vel

i) Hunc Modum in suo Viro Apostolico indicat P. Neumayr, qui, cum facilis admodum, nec inutilis sit, libuit eum huc adscribere, ac primum ejus præcepta; post etiam paradigma dare, quod in cæteris quoque Modis servatur sumus.

PARS II. vel contrario, aut simili &c. 2. *Paraphrasi*,
 CAPUT. II. 3. *Causa*. 4. *Contrario*. 5. *Simili*. 6. *Exemplo*. 7.
 ARTICUL. 1. *Testimonio Scripturæ, vel Patrum*. 8. *Epilogo*,
 § I. *vel potius Complexione*. Quid hæc sint, cum
 clara esse videantur, non opus est explica-
 re.

II. *Praxis hujus Modi*. Sit thema concio-
 nis bipartitum: *Superbia est magnopere Deo, ac
 hominibus inuisa*. Si primam ejus partem in
 Chriæ modum confirmare volueris, delige
 illustrem probati cujuspiam Authoris (ma-
 xime sacri) sententiam, vel si per Activam,
 aut Mixtam institueris, factum aliquod, aut
 dictum, simul & factum, quod dicti thematis
 sensum complectatur, totiq; Chriæ materiam
 præbeat, ac fundamentum. Ejusmodi foret
 in allato themate pro Chria Verballi illud Pe-
 tri (k) *Deus superbis resistit: vel Eccli 10.*
*Ÿ. 7. Odibilis coram Deo est, & hominibus su-
 perbia*. Hoc confecto singula Chriæ capita
 ex ordine prosequeris: 1. Exordium ab en-
 comio (vel, si libuerit, aliunde) quo dicti,
 (aut facti, vel utriusque) authorem Chriæ
 materiam præbentem collaudabis, ut ab ejus
 laude major dicto (vel facto, aut utriusque)
 pondus, & autoritas concilietur. 2. Para-
 phrasim, quæ propositæ sententiæ verba sin-
 gula: 1. Deus: 2. superbis: 3. resistit per
 amplificationem verborum, aut sententia-
 rum explicabit. 3. Causam, quæ dicti ratio-
 nem contineat: quia nempe superbi Dei ma-
 jesta.

k) 1. *Petri 5. Ÿ. 5.*

jestatem contempnunt, ultra Deum se attolunt : gloriam, & excellentiam soli Deo debitam sibi vendicant &c. 4. Contrarium, quo sententiæ tuæ veritas, velut ex opposito magis elucescat : quia Deus humiles amat; superbos igitur odit, ac detestatur. 5. Simile, quo dicti in Chriæ materiam assumpti veritas illustretur, ac exornetur, v. g. sicut homines summe averfantur fures, ac latrones: eos insectantur, rapere volentibus resistunt; ita Deus superbis suæ gloriæ, & excellentiæ furibus merito obsistit. 6. Exemplum ex Historia sacra, aut profana ad stabilendam Chriæ thematis materiam depromptum: ut Luciferi ob superbiam cælo depulsi, vel Herodis ab Angelo vermibus percussi &c. 7. Testimonium Scripturæ, vel Sancti Patris, ut si Deum superbis resistere probes à dicto Virginis : *deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* 8. Denique brevi epilogo, seu complexione concludes, quæ dicta repetat, affectus excitet, ad mores digrediat; quamquam hæ digressiones prius etiam in allatis Chriæ partibus (breviter tamen) institui possint. Jam si hoc, aut simili modo alteram quoque thematis partem, quod superbia sit etiam hominibus invisâ, deduxeris, quam facili methodo totam exiges confirmationem.

III. *Observanda in usu modi hujus.* I. Si Chriam diffusius libuerit pertractare, redigantur singula ejus capita in aliquam argumentationis formam, ut ratiocinationem,

PARS II.
 CAPUT. II
 ARTICUL. I.
 § I.

enthymema, collectionem, epicherema, foriten, dilema, exemplum, &c. ad eum fere modum, quem exhibet *Sigismundus Lauxmin* in Praxi Oratoria sub finem, in appendice diligenter à tyrone relegenda, quam brevitatis causa adferre præterimus, in libro ut pote obvio, facile reperiendam. 2. Partes sic dispositæ debitis periodis, aptis figuris, elegantibus maxime transitionibus vestiuntur, quarum modos, & formas copiosas dabit *Tractatus Chriæ breviculus*, quem sedula lectione reddat sibi familiarem Tyro. 3. Non opus est, ut omnes Chriæ partes semper adhibeantur; poterit omisso encomio à paraphrasi, vel ea etiam præterita, statim à causa initium duci. 4. Nec Chriæ partium ordo ita religiose servandus est, ut ad Orationis varietatem non possit permutari pro arbitrio Oratoris, vel materiæ ratione. Sic necesse non est, ut paraphrasim causa, causam contrarium, &c. ex ordine consequatur; sed ommissa paraphrasi poterit causæ testimonium, vel testimonio exemplum, aut simile, vel contrarium præponi, ac inter se permisceri. Unde Chria alia est legitima, & perfecta, quæ partes omnes, partiumque ordinem rite servat; alia imperfecta, quæ non omnes partes, nec suo ordine exequitur.

§ II.

Paradigma hujus Modi.

Paradigma Confirmationis per Chriam legitimam servato omnium partium ordine.

ne. Sit Feria II. Paschatis in hanc sententiam Evangelicam (l) : *Qui sunt hi sermones, quos conferitis ad invicem ambulantes, hoc thema Concionis : Homines Christiani, quos ad invicem conferunt sermones, habeant pios; non pravos. Partitio ab effectis : 1. quia pravi corrumpunt mores: Corrumpunt mores(m) bonos colloquia prava. 2. quia pii ad virtutem accendunt : Nonne (n) cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via. Ad probandam, si libuerit, in modum Christi primam hujus divisionis partem, accipe dictum Pauli ex Menandro Poeta Græco, ac Comico usurpatum pro materia, & fundamento Christi v.g. Verbalis : corrumpunt mores bonos colloquia prava, quod postea per singula Christi legitimæ capita ita deduces. (o)*

PARS II.
CAPUT. II.
ARTIC. I.
§ II.

EXERCITATIO.

Exordium ab Encomio ex eruditione deprompto. *Magnum illud, & sanctissimum Græcæ Ecclesiæ lumen, Chrysostomus, cæteras inter, quas sibi à Deo Immortali concedi exoptabat, felicitates, non ultima erat : Paulum Gentium Doctorem Divinis de rebus ad populum verba facientem audire potuisse. Existimabat enim Vir sanctissimus se in Paulo summo animi ardore, ac sermonis facundia ad concionem dicturo, haud ita Paulum, quam ipsum Divinissimum Spiritum auditurum fuisse, qui è Pauli ore quot verba, totidem ful-*

E e 3 gura,

l) Luc. 24. v. 17. m) 1. ad Cor. 15. v. 33. n) Luc. 24. v. 32. o) Vide Dominicum de Colonia de art. Rhet. in Elementis c. 3. §. 5.

PARS II.
CAPUT II.
ARTICUL. I.
§. II.

gura, fulmina, ac tonitrua hominum animos ferientia emittebat. At quoniam hoc grato frui spectaculo nec Chrysofostomo licuerat, nec à nobis unquam sperari queat, certe id unum, quod suppetit, ægamus diligenter, ut Paulum suis in epistolis, quas diurna, nocturnaue manu assiduo versabat Chrysofostomus, spirantem adhuc, loquentemque audiamus. Multis illæ quidem sapientibus monitis, ac gravissimis sententiis sunt refertæ; nihil tamen suscepto sermonis proposito conformius, ac opportunius licet reperire, quam illud Menandri Poetæ Comici dictum, Divino Pauli oraculo confirmatum: Corrumpunt mores bonos colloquia prava. En Dilectissimi Auditores! quam verissimum, quod ante dixeram, hominum Christianorum sermones non oportere pravos esse; quoniam iis sanctissimi etiam hominum mores è Pauli sententia quam facillime contaminentur.

Paraphrasis per amplificationem à definitionibus è loco similium usurpatis. *Atque utinam memorata hæc verba altius in animum admitterent mortales, cognoscerent profecto, quam vere, quam pie, quamve prudenter eam, profani licet hominis, sententiam Sapientissimus Gentium Magister, & Apostolus usurparit. Quid enim sunt perversa sceleratorum colloquia, quam patentia sepulchra gravissimos putidissimorum cadaverum fœtores exhalantia? Sepulchrum patens est guttur eorum, inquit (p) David. Quid, nisi fœdissimi halitus turpissimo ab ore emissi, atque nitidissimum etiam speculum contaminaturi?*

Quid,

Quid, nisi prævum quodpiam fermentum optimam quoque massam corrupturum? Nescitis (inquit (9) Paulus) quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Quid, nisi fel, ac virus, aureum etiam liquorem depravaturum? Credite : nulla virtus tam altis defixa radicibus esse potest, quam nefaria hæc pestis sua infurissimæ lue non confestim depravet. Obscænis enim sermonibus primum turpissimæ exciuntur imagines, inde pravis desideriis cor accenditur, demum voluntas effrænis instar equi ad amores, ac libidines non ferri, sed citatissimo quasi cursu rapi, ac effundi solet.

Causa : quia voluntas, natura in malum inclinata, facillime pravis sermonibus depravatur. Nec opus est ad indagandam rei hujus veritatem causas altius, repetere, reflectite vos in vosmet ipsos, subite intimiora cordis vestri penetralia, quærite è vobis: quæ, qualisve sit mentis humanæ sors, & conditio? Nunquid ea præditam imbecillitate reperietis, ut depravata per Adæ peccatum voluntate, pronior semper sit ad peccati sceditatem, quam ad virtutis amorem? Quod tametsi omnibus usu veniat, maxime tamen adolescentibus congenitum videtur, qui, cum faciles, cereique sint, facile in vitia flectuntur, nec flectuntur modo; sed plumæ instar, non ab Euro tantum; sed à minimo, pestilentis maxime, oris flatu in errores abripiuntur. Non meum, sed Divini Spiritus effatum est: Sensus, & cogitatio cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Hæc si

E e 4

men-

PARS II. *mentis humanæ suapte in malum est propensio, prob*
 CAPUT. II. *Deum Immortalem! quid erit? si ad naturam pra-*
 ARTICUL. I. *va insuper accedant sceleratorum exempla, nec ex-*
 § II. *empla tantum, sed etiam sermones, ac verba, ex-*
emplis gravius hic multo pondus, ac momentum
habere solita; quid, inquam, tum eveniet, quam
ut deposito pudore, perfrictaque fronte ultro confe-
stim in scelera prolabamur?

Contrarium à piis colloquiis. *Quid igitur*
agendum est Auditores? quam ut prava im-
proborum consortia, omni angue pejora, quam
maxime fugiamus; contra proborum hominum u-
su, familiaritate, ac sermonibus delectemur. Ha-
bet etenim familiaris piorum hominum consuetu-
do hanc vim, & efficaciam, ut vix ullum ita de-
pravatum, aut pectus tam ferreum esse putem, quod
salutaribus colloquiis, si non ad virtutem accen-
datur, saltem non emolliatur. Revocate in memo-
viam binos hodierni Evangelii discipulos. Ibant hi
una in Castellum Emaus, principio toti languidi,
tristes, anxii, increduli, nullam, vel exiguam
Sanctarum Mulierum narrationi de Christo resur-
gente fidem habentes. At ubi confabulantibus per-
sonato vultu Christus semet itineris comitem ad-
junxisset, pieque locutus, cuncta è Scripturis, que
de ipso fuere, interpretatus fuisset, tum ecce! con-
tinuo languor in ardorem, tristitia in gaudium,
incredulitas in fidem convertuntur: Nonne cor
nostrum ardens erat in nobis, dum loque-
retur in via, & aperiret nobis Scripturas.
Hec nempe est virtus probi consortii, ut homines
instammet ad virtutem. Utinam non eadem; quid
dico

dico eadem? sed major esset vis pravorum colloquiorum ad eam ex animis evellendam.

Simile à Sirenibus. Certe cum ejusmodi pravorum sermonum auctores mihi contingit intueri, videor mihi audire celebratas fabulosas Poetarum carminibus perfidas Sirenes, quarum Divus etiam (r) meminit Ambrosius. Hæ (ut ait sanctus Doctor) advenientes sic blanda modulatione mulcebant, ut non tam spectaculum voluptatis caperent, quam naufragium salutis incurrerent. Talis enim erat illis oblectatio cantilenæ, ut quisquis audisset vocis sonitum, quasi quadam captus illecebra, non jam tenderet ad eum, quem volebat, portum; sed pergeret ad exitium, quod nolebat: nam voce, tibiis, cythara ita blande canebant, ut nautas præternavigantes dulcedine sopirent, sopitos demergerent, demersos denique devorarent. Hæc est hominum nequissimorum facies. Hi etiam suarum vocum, quasi cantiuncularum, illecebris incautos primum animos mire oblectant, postea irretitos illaqueant, demum in certam mortem, naufragiumque perducunt. Est enim pravus sermo blanda veluti pestis, dulceque venenum, quod facillime in sensus irrepit: Sirenarum quædam suavissima figura est mollis concupiscentia voluptatum, quæ noxiis blandimentis constantiam captæ mentis effœminat, ait memoratus sanctus Doctor. Verum advertite mentem Auditores, quemadmodum cum Ulysses (Ambrosii verba prosequor) incidisset hoc dulce nau-

PARS II.
CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§ II.

PARS II.
CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§ II.

fragium, & suavitatis illius vellet declinare periculum, dicitur inserta cera auribus sociorum se ipsum ad arborem navigii religasse, quo & illi carerent perniciose auditis illecebra, & se de periculo navigii cursus auferret. *Hoc agendum etiam vobis est Auditores, ut pravorum sermonum illecebrosa discrimina vitetis (verba sunt Ambrosii paulum immutata) clausa velut aure transite, nec pernicioso sæculi detineamini auditu, ne fortasse cursum melioris vitæ deflectatis in scopulos voluptatis. Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, inquit (s) Sapiens.*

Exemplum à Nerone, Petro, Salomone. *Quod utinam hætenus fecissent mortales, nulla certe, vel saltem pauciora, nec tam funesta pestiferæ hujus contagionis suppeterent exempla. Verum inspectantibus, ac dolentibus nobis, innumeris etiamnum quotidie contingit hominibus, quod olim Neroni legimus accidisse. Hic optimi tandem Principis nomen jure obtinuit; quamdiu Senecam audiit Præceptorem, ac Burhum adhibuit monitorem. At quamprimum perniciosis assentatoribus aures patefacere, & Pallantem, nescio quem, Tigellinumque, hominum improbissimos, cæterasque hujusmodi quisquilias ceperat audire, eo venit dementiæ, furoris, ac nequitie, ut non Princeps, non homo; sed fœdissimum quoddam hominis monstrum, quid dico monstrum? scelerum omnium pestis, & colluvies; imo tetra quædam, & immanis bellua non apparere; sed reipsa factus esse videretur.*

s) Eccli. 28. v. 28.

tur. At quid adfero ad comprobendam sacræ hujus dictionis veritatem hoc profanum Neronis exemplum? Non ergo habemus domestica sacri hujus argumenti exempla? optarem, ut nulla haberemus! verum O rem deplorandam! ipsa Christi schola, ac Princeps Ecclesiæ, funestissimum nobis rei hujus præbet documentum. Quid enim Petrum, futurum aliquando Christi Vicarium, Ecclesiæ caput, ac Petram, super quam Christus suam ædificabit Ecclesiam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, quid, inquam, impellere poterat, ut Christum, Divinissimum Magistrum, cui tot ille nominibus, ac beneficiis obstrictus erat, attamen jurejurando, quod hominem ne novisset quidem, ingratus abjuravit? Tunc (t) cepit detestari, & jurare: quia non novisset hominem. Petre! ergo tu non novisti hominem? & quidem illum non novisti, qui te de medio maris eripuit, qui tuos paulum ante pedes lavit, qui suo te pretioso corpore pavit? Non novisti hominem, quem à cœna in hortum Gethsemani secutus es? amputata Malchi auricula gladio tuitus es? hunc tu non novisti hominem? Petre! macte animo! Quid metuis? date fidei memor, Christum audacter confitere, memento veteris promissi: Etiam si oportuerit me mori, non te negabo. At frustra: magni illi spiritus generoso de pectore in auras, ac fumum abiere. Postquam enim Petrus atrium Principis Sacerdotum, eventus curiositate ductus, ingressus erat, atque illic ancillis, calomibus, servitiis, ultimæ hominum feci ad focum sermonibus

t) Matth. 26. v. 74.

PARS II.
 CVPUT II.
 ARTICUL. I.
 § II.

nibus misceri cepit : quid poterat sperari ? quam ut Christum ad vocem mulieris semel , ac iterum percontantis : Et tu cum JESU Galilæo eras ? sacrilege detestatus negaret ? quia hominem ne novi quidem. Tanta est pravorum vis consortiorum , ut vel piissimos , ac sapientissimos à probitatis tramite abducat ! Certe nunquam Salomon , inter natos hominum sapientissimus , à veri Dei cultu ad idola deflexisset ; nisi Moabitarum mulierum pessimæ consuetudini semet implicuisset.

Testimonium è Moyse. *Atque istud esse credidero , cur Deus Israeli omnem cum impiis societatem gravissimis vetuerit pœnis. Noverat pro-nos in malum Hebræorum animos , ne fortasse verbis , & exemplis allecti , eorum etiam vitiis pol-luerentur , omnem mali , vel minimam , suffere voluit occasionem : Recedite (inquit (u) Moyses) à tabernaculis hominum impiorum , & nolite tangere , quæ ad eos pertinent. Cur ita ? audite : ne involvamini in peccatis eorum.*

Complexio cum digressionem morali , a-nacephaleosi , & affectu. *Quæro jam de vobis Au-ditores Christiani , quod olim suis è discipulis ad E-maus euntibus quæsierat Christus : Qui sunt ser-mones , quos confertis ad invicem ambulantes ? quasi dicerem : video sæpe vos invicem in-visere , crebros agere conventus ; at dicite : qui sunt sermones , quos tunc confertis ad invicem ? an pii ? an morati ? vel potius blasphemii , famæ alienæ ob-trectantes , turpes , molles , lascivi ? Si primum ? Deo Optimo , Maximo sint gratiæ eapropter im-*

mor-

mortales; qui tantum vobis & animi, & auxilii dedit, ut linguam malorum universitatis nomine ab Apostolo Jacobo compellatam, hæcenus salvam præstare poteratis. Verum aliud longe licet mihi experiri. Audio enim, imo scio: incauta sæpe vos inter celebrari conventicula, suspectas feri amicitias, conveniri personas, adiri domos communi hominum opinione haud satis moratas: ubi mutuae, sed inofficiosæ, peraguntur salutationes: instituuntur joci; sed illiberales: fiunt lusus; sed inhonesti: narrantur fabellæ; sed non castigatæ: produntur affectus; sed turpes, & lascivi. Hinc Christianorum sermones? Hæcne consortia? O pudor! O dedecus summe detestandum!

Quare, si sapitis Auditores, fugite scelestæ improborum commercia. Scitote: nihil iis pestilentius dari posse; cum natura in malum semper inclinata optimi etiam mores è Pauli sententia bis facillime depraventur: Corruptunt mores bonos colloquia prava. Hoc tristia Neronis, hoc Petri, hoc Salomonis exempla docent. Si vos igitur impii suos ad cætus, ad tabernas, ad compotationes, ad commessationes invitent; recedite Christiani à tabernaculis impiorum, ne involvami in peccatis eorum. Si suspecta ad mulierum consortia vocent: recedite. Si turpes in colloquium, in cœnam, in lulum sermones inferant: recedite. Si jocos serant haud liberales: recedite, recedite, inquam, à tabernaculis impiorum, ne involvami in peccatis eorum. Atque utinam Christe JESU recessissemus! plures profecto de nobis numerarentur Emerici, plures Aloysii: non toties

PARS II.

CAPUT II.

ARTICUL. II.

§ I.

tristia perditæ integritatis, ac pudicitie naufragia facturi fuissimus. Pudet, ac pœnitet admissi sceleris: fixum igitur, ratumque sit: non alios imposteros; quam pios, ac moratos serere sermones &c.

ARTICULUS II.

MODUS CONFIRMATIONIS PER SYLLOGISMUM.

§ I.

Præcepta hujus Modi.

I. *Natura Modi.* Syllogismus est species argumentationis, in qua ex præmissis duabus, aut pluribus aliud infertur. Alius est *Dialecticus*, tribus partibus constans: propositione, assumptione, & complexione, quas *Dialectici majorem, minorem, & consequens* appellant. Adhibetur etiam ab Oratoribus, cum *major*, aut *minor* ita certæ sunt, ut nulla probatione; sed tantum fusiori explanatione, aut exaggeratione opus habent. Alius est *Oratorius*, præter tres dictas partes constans probatione propositionis, & probatione assumptionis. Unde à Rhetoribus Syllogismus *quinquepartitus* dici solet.

II. *Praxis hujus modi.* Sit die Pentecostes in illud: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, hoc thema: Spiritus Sanctus non venit, nisi ad cor purum; nec manet, nisi in corde puro. Si altera divisionis pars Syllogismo, v. g. conditionato, probanda foret, ita institues. *Major, sive Proposi-*

positio : Cor hominis est habitatio Spiritus Sancti. *Ratio majoris per Syllogismum tripartitum* : quia Spiritus Sanctus per gratiam in anima, seu corde iusti, velut in quodam templo, residet : *Templum Dei estis* (inquit (x) Paulus) & *Spiritus Dei habitat in vobis* ; sed templum est habitatio Dei ; ergo cor hominis iusti est habitatio Spiritus Sancti. *Assumptio*, seu *minor* : sed si est habitatio, & templum Spiritus Sancti, debet esse purum. *Ratio assumptionis ex variis locis* : 1. à *definitione per syllogismum quinquepartitum* : quia Spiritus Sanctus est Spiritus puritatis. *Ratio hujus à contrario* : sicut Diabolus est spiritus impuritatis. Sed Spiritum puritatis decent templa pura, & munda. *Ratio hujus iterum à contrario* : sicut spiritum impuritatis loca impura : unde Dæmon ad porcos mitti petiit. 2. *À simili per enthymema* : Tempa Dei manufacta sunt pura, & splendida, ut erat Salomonis à Deo magnificentissime exstrui curatum ; ergo etiam templa non manufacta ejusmodi esse debent. 3. *Ab exemplo* : licet Christus purissima fuerit habitatio, ut tamen significaret, nos pari animi puritate præditos esse debere ad excipiendum Spiritum Divinum ; non ante in eum, quasi vivum suum templum, specie columbæ descendit ; quam in Jordane ablueretur ; ita nobiscum fieri oportet. 4. *À testimonio iterum per enthymema* : Siquis templum Dei (inquit (y) Paulus)

vio-

x) 1. *Ad Cor.* 3. v. 16. y) *Ibidem* v. 17.

PARS II.
CAPUT II.
ARTICUL II.
§. I.

violaverit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. ergo. *Complexio.* Ergo Spiritus Sanctus non manet nisi in corde puro. Si primam etiam partem hoc modo peregeris, tota perficietur confirmatio.

III. *Observanda in usu hujus Modi.* 1. Non oportet syllogismum semper ejusdem esse formæ; sed ad Orationis varietatem jam absolutus, jam conditionatus, interdum causalis, vel exceptivus, aut copulativus, vel etiam alius sumi potest. 2. Tam majoris, quam minoris probationes aliis rationibus, pluribus, vel paucioribus, vel ex diversis locis Rhetoricis, ut ex definitione, genere, contrario, simili, exemplo &c. de promptis: vel ex uno, eodemque loco, ut variis similitudinibus, definitionibus, contrariis, comparationibus &c. probari, & exornari possunt, ut patet in allato exemplo. 3. Quælibet Syllogismi quinquepartiti pars rursus per alias principali Syllogismo, tanquam primariæ argumentationi, subjectas particulares argumentationes, ut per Syllogismum tripartitum, vel quadripartitum, aut etiam quinquepartitum, vel per enthymema, aut collectionem oratoriam, vel per inductionem, exemplum, aut per quasdam Christi partes, vel sine omni argumentatione per aliquem locum Rhetoricum (ut ante diximus) tractari, ac deduci potest. 4. Non in omni materia quælibet pars æque diffu-

diffusè pertractanda; sed pro ratione certitudinis illa magis; ista minus; quin si aliqua ita certa sit, ut non egeat argumentis, ejus probatio omittatur, sitque syllogismus tripartitus, aut quadripartitus. 5. Interdum complexio diffusius; contractius interdum pertractari solet, quin *sunt, qui putant* (ut ait (z) Cicero) *nonnunquam posse complexione supersederi: cum id perspicuum sit, quod conficitur ex ratiocinatione.* Quod à sacris Oratoribus usurpari animadverti in ultima præsertim Orationis parte, quam epilogus statim consequi solet cum anacephaleosi. Imo persæpe variantur complexiones, quod multis modis fieri assolet. 1. Per conductionem: *cum ita complectimur* (ut ait (a) Cicero) *ut in unum conducamus propositionem, & assumptionem,* v. g. si cor hominis est templum, & habitatio Spiritus Sancti; Spiritus vero Divinus templis puris delectatur, quis dicat, Spiritum Sanctum alibi, quam in corde puro habitare? 2. Per contrarium, seu ita, *ut ex contrario sententia conficiatur*, id est, complexioni inferendæ alia contraria negetur, aut affirmetur. v. g. amens profecto, aut impius sit oportet, qui divinissimum dicat Spiritum impuro in corde habitare. 3. Aut per consecutaria, *cum id, quod eam rem, quæ conficitur, sequatur, necesse est,* id est: ea inferantur, quæ ex complexione, ceu corollaria consequuntur. v. g. ergo Spiritus Sanctus odit, detestatur cor

F f im.

z) Cic. l. 1, de Invent. 2) ibidem.

PARS II. impurum, peccatis, lasciviæ præsertim, con-
 CAPUT. II. taminatum. Vel : curandum, ut cor ab omni
 ARTICUL. II. forde quam purissimum conservemus, nullo
 §. II. graviori peccato commaculemus, aut si com-
 maculavimus, quamprimum salutari pœni-
 tentia expiemus. Et hæc corollaria serviunt
 maxime ad morum digressiones in comple-
 xionibus argumentorum (ut dicemus) fa-
 ciendas. 6. Nec partium ordo ita servan-
 dus est, ut pro varietate, aut dissimulando
 artificio nequeat immutari. Sæpe Oratores
 syllogismum ordiuntur à complexione : post
 reliquas partes prosequuntur : in fine tamen
 rursus ad eam redeunt. Aliquando initium
 ducunt à probatione majoris, inde ad ma-
 jorem, post ad minorem, ac reliquas partes
 progrediuntur. Interdum ratiocinationis ar-
 tificium incipit ab assumptione, vel illius
 probatione, quibus expositis regrediuntur
 ad majorem, ejusque rationem, quam po-
 stea fuscè amplificat, & exornat. Hæc ex-
 emplis illustrarem, si brevitatis pateretur ;
 non tamen ita obscura sunt, ut sine iis in-
 telligi nequeant. 7. Pro ingressu argumen-
 tationis, vel illius partium, eleganter su-
 mitur aliqua similitudo, vel exemplum ; item
 genus, contrarium &c.

§ II.

Paradigma hujus Modi.

*Paradigma Syllogismi perfecti, seu quin-
 quepartiti servato partium ordine. Sit Do-
 minica XXII. post Pentecosten in illud Mat-
 thæi*

thæi (b) *Cujus est imago hæc, & superscriptio? dicunt ei Cæsaris. Tunc ait illis: reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, hoc thema: Homo Christianus tenetur reddere animam Deo. 1. quia in anima hominis est imago Dei. 2. quia in anima Christiani est superscriptio Dei, sive character Baptisimi. Si primam divisionis partem syllogismo perfecto, v. g. causali, servato partium ordine, pertractare volueris, ita dispones, & eloqueris.*

EXERCITATIO.

Propositio, sive Major: Numisma census reddendum est Principi juste repetenti: quoniam populus illud à Principe, ejus nomine, ac imagine insignitum, accepit. *Neminem vestrum fore arbitror AA. qui se Principibus legitimis terrarum Dominis, suprema à Deo potestate, & auctoritate instructis, tam durum, ac difficilem præberet, ut, si legibus ita ferentibus juste censum repetant, negaret esse tribuendum. Præterquam enim quod res ista caro capitibus vestris constaret, edicite: ad quos cudendæ pertinet jus monetæ? nonne ad Principes? cujus nominibus, & imaginibus insignitur numisma census? nonne Principum? à quo illud, nisi à Principibus, ea de causa populus accepit, ut iterum restituat? Nil mirum, si res ad suum, unde venit, rursus redeat possessorem.*

Ratio propositionis: quia Christus ipse ea de causa reddendum esse docuit. *Ac ne*

PARS II. longius ab hodierno discedamus Evangelio, habemus apertissimum ipsius Christi hac eadem de causa
 CAPUT. II. id præcipientis argumentum. Gravis olim, ac divina Herodianos inter, ac cæteros Judæos, quæstio
 ARTICUL. II. fuerat agitata: (b) Licet censum dare Cæsari, an non? Judæi acriter repugnabant: liberum enim se populum ferebant, nemini ulli, Deum præter, subjectum; impium igitur arbitrati, ut Cæsari, pagano Principi, tributo subjicerentur. Herodiani contra, ut Cæsaris gratiam, cujus beneficio Herodes Judææ Rex factus erat, amplius demererentur, non dandum modo affirmabant; sed ultro offerebant. Delata tandem ad Christum est controversia, non quidem veritatis periclitandæ; sed illius in sermone capiendi causa. Quidquid enim dicturus erat, insipientissimi mortalium confestim Christum vel apud Cæsarem, vel apud populum ad invidiam adducendum existimabant. Quid hos inter laqueos Christus? Herodianisne faverit potius, quam Judæis? negandumne censuit esse Cæsari censum? Absit! Quid ergo? fecit, quod prudentissimi erat arbitri: jubet numisma census exhiberi, cumque impressam in eo imaginem videret, percontatur: Cujus est imago hæc, & superscriptio? dicunt ei Cæsaris. Tunc ait illis: reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Sapientissimum sane Divinissimi Magistri judicium! quo parti ita satisfacit utrique, ut nec populum, quod acerbissime audiebat, Cæsari dixerit subjugatum: nec Cæsaris odium in se concitarit, quoniam numisma census
 red-

b) Matth. 22. v. 17.

reddendum esse præcepit, cum Cæsaris beneficio populus possideret.

PARS II.
CAPUT. II.
ARTICUL. II.
§ II.

Assumptio; sed etiam homo animam Dei, supremi Principis, imagine insignitam à Deo accepit. *Dilectissimi Auditores! quod numus est Cæsari; hoc anima est Deo. Quemadmodum enim Reges, ac Principes sua monetam auctoritate procudunt, suum ei nomen, suam effigiem insculpi curant, sicque in populi usum liberaliter erogant. Non secus & anima Divinæ potentiae manibus est procusa, pulcherrimo cælestis ejus vultus imagine exornata, atque insigni beneficio hominibus concessa, ut ea in usum libertatis suæ, dum vita suppetat, persfruantur. Numisma Cæsaris in auro est, in quo est ejus imago depicta; Dei autem numisma homo est, in quo est Dei imago figurata, inquit Hilarius. Et vero, si Divinissimus Servator Christus, ut olim è Judæis; ita nunc è vobis rursum quæreret: Heus tu Petre! heus tu Saule! cujus est hæc imago? quis eam in vobis impressit artifex? cujus vultu signatam accepistis? nunquid humili voce cum Davide confiteri deberetis: Signatum est lumen vultus tui Domine super nos.*

Ratio assumptionis: quia homo accipit animam Divinis, quas in se repræsentat, perfectionibus exornatam. *Verum est, hominem spectato corpore vilem, & abjectam esse telluris portionem; non secus ac monetam esse glebam ex terræ visceribus effossam: Formavit Deus hominem ex limo terræ. At sicut in moneta, si glebæ hominum industria elaboratæ, Regii vul-*

PARS II.
CAPUT II.
ARTICUL. II.
§ II.

tus lineamenta incidantur, confestim assurgit in pulcherrimam Regis, aut Cæsaris iconem, & effigiem; ita corpori è limo terræ efformato, postquam viventem Deus, Mundi Opifex, inspirasset animam, divinis lineamentis, id est, perfectionibus, & attributis exornatam, continuo (teste Moyse) ad imaginem, & similitudinem DEI factus est homo. Inquirete, si libet, imaginis naturam. Quid, oro, aliud eam esse comperietis, quam germanam quandam sui prototypi lineamentorum repræsentationem? An non anima humana vivacissime suum, velut in speculo, referat Creatorem? Quid enim est in homine perfectionis, quod in Deo non esset? Aut quid habet Deus, quod anima, si illius habendæ capax est, vicissim non haberet? Summam in Deo sapientiam cuncta prospicientem admiramini? at nunquid humanæ etiam animæ sua inest intelligendi vis, & facultas, qua præsentia cognoscit, futura pervidet, præterita rememoratur. Infinitam Deo potentiam, & agendi libertatem adstruitis? an non animam è mente Ecclesiastici (c) reliquit Deus in manu consilii sui, ut ageret, quidquid volat, pro suæ arbitrio potestatis? Deum purissimum esse Spiritum, cælis ipsius immensiolem esse dicitis, in quo (Pauli (d) testimonio) vivimus, & movemur, & sumus. Quis animam, nec carnem, nec ossa habentem, spiritum esse negaverit? qua, toto corpore diffusa, membra moventur, carni decor, sanguini vigor, ossibus robur, toti denique humanæ machinæ vita tribuitur, & conservatur. Supremam in Deo res

in

c) Eccli. 15. v. 14. d) Actor. 17. v. 28.

*in omnes creatas principatum adoratis? verum hunc ipsis etiam hominibus sacrarum testimonio literarum concessum esse ultro confiteri debetis. Crescite (inquit (e) Deus ad hominem) & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram. At fortasse immortalitatem in dubium vocare audebitis? verum est fuisse quospiam sceleratissimos mortalium, quibus non ultimo accenseri loco merentur: Benedictus (verius dixeris maledictus) Spinosa, ac Lucilius Vani-
 nius: ille patria homo Batavus, Religione Judæus; iste Italus, & quidem Christianus; at postea celeberrimus uterque (si tamen aliqua in hoc celebritas esse potest) sæculi superioris atheus. Docuere hi, animas hominum, perinde ac jumentorum, in nihilum redactas, confestim à morte penitus interire. At nefariam hanc opinionem, quam Vani-
 nius publico Tolosani Senatus decreto, cum cæteris, quas in Deum, Christumve jactarat, blasphemias, igne expiavit, jam pridem sacrum Lateranense Consilium Leonis X. temporibus celebratum falsitatis condemnavit. Christus etiam aper-
 tissimo ei testimonio adversatur (e) Nolite (inquit) timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Ni ergo athei esse velitis, quemadmodum reliquas Divini vultus, & excellentiæ dotes, & prærogativas hominis ani-*

PARS II. *mæ impressas admittitis; ita immortalitatem ei à*
 CAPUT II. *natura inditam concedatis oportet. Hæc si ita? O*
 ARTICUL. II. *veram, germanamque Dei in hominis anima ima-*
 § II. *ginem! quis unquam pictor, Zeuxis fuerit licet,*
aut Protegenes, pulchriorem efformavit? quando
natura meliorem finxit? cujus mens nobiliorem vel
cogitavit? Vere numisma Dei homo est, in
quo est ejus imago figurata, ait Hilarius.

Complexio cum morali adhortatione.
Quousque igitur O peccatores hanc pulcherrimam
in animabus vestris expressam Dei imaginem sce-
leribus commaculare pergetis? Non vos movet, nec
terret, quod eam aliquando in ultimo judicii die,
supremo Principi, Deo, velut censum, salvum in-
tegrumque representare debeatis? Gravissimo o-
lim tulerat animo Theodosius, cum poscentibus bel-
li necessitatibus, novam tributi exactionem civi-
tatibus imperasset, urbs Antiochiæ non solum il-
lud negavit; sed coorta insuper seditione statuas
Flacillæ Imperatricis, quas in perennem Conju-
gis Optimæ, nuper vita functæ, memoriam per
urbem posuerat, in Cæsaris opprobrium populus
evertit, ac summo cum ludibrio per vicos traxit.
Qua re adeo usque offensus est Imperator, ut ci-
vitati ultimum exitium imperarit, omni procul
dubio inferendum; ni Cæsaris iram Antistitis
Flaviani preces mitigassent. Quid existimatis
AA? æquone laturum animo putatis Deum? cu-
jus vivam, germanamque vultus imaginem, quam
Divinus à nobis, velut tributum, repetet Juxta;
vos turpissimis deformatam sceleribus adferetis.
Credite, si quando, tunc certe, ultimum vos ma-
 ne-

nebit exitium, nullis precibus, nullis lachrymis à capitibus vestris avertendum. Quare reddite AA. quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Dei est anima, reddite ergo animam Deo; verum reddite sanctam, reddite integram, reddite omnis maculæ puram, & expertem. Nolite committere, ut in ea pulcherrimam Divini oris faciem peccatorum vestrorum sordibus inquinatis, vel certe, si inquinastis, satagite, ut quamprimum salutaribus pœnitentiæ lachrymis eluatis.

PARS II.
CAPUT. II.
ARTICUL. II.
§ II.

ARTICULUS III.

MODUS CONFIRMATIONIS PER EN-
THYMEMA.

§ I.

Præcepta hujus Modi.

I. *Natura Modi.* Enthymema est ratiocinatio imperfecta, in qua ex una præmissa, quæ antecedens dicitur, infertur alterum, quod consequens appellatur. Hac argumentationis forma crebro utuntur Oratores ad occultandum maxime artificium; vel, cum aliqua Syllogismi pars ita aperta est, ut non egeat probatione. Reticetur autem jam propositio, seu major; jam assumptio, sive minor. v. g. qui unicuivis promiscue credit, facile decipitur, ergo unicuivis promiscue credendum non est, hic reticetur major: Nemo vult ab unoquoque promiscue decipi. Contra in hoc Enthymemate: Omnis, qui mundo nascitur, moritur; ergo tibi Chri-

PARS. II.
CAPUT. II.
ARTICUL. III.
§ I.

stiane moriendum est, hic supprimitur minor : sed tu Christiane mundo natus es.

II. *Observanda in usu Modi hujus.* I. Enthymema interdum est simplex, aliquando compositum ex pluribus membris, vel rationibus, quarum postea singulæ ex ordine probantur, ut in modo Confirmationis per subdivisiones instituendo dicemus. Sit exemplum compositi : in die judicii peccator nec potest Divinum Judicem effugere : nec eum corrumpere : nec placare. ergo nihil potest agere ad evadendam judicii severitatem. II. In Enthymemate tam simplici, quam composito, expoliri potest antecedens pluribus rationibus, & argumentis, tam extrinsecis, quam intrinsecis, vel ejusdem loci, ut pluribus similitudinibus, exemplis, comparisonibus &c. vel diversi loci, ut definitione, contrario, causa, simili &c. ut ante diximus de Chria. Sic allatum supra antecedens : qui promiscue fidit, facile decipitur, probari potest. 1. à *Causa*, quia homo homini est lupo ad nocendum comparatus; at lupo non credimus; nec igitur unicuivis homini promiscue. 2. à *Comparatione majorum ad minus*: tutum non est vel uni fidere, ergo minus pluribus. 3. à *Contrario*: quia quotquot decipi noluere, quam paucissimis cautissime credidere. 4. *Ab Exemplo* Samsonis à Dalila secreti conscia hostibus proditi. 5. à *Testimonio* Eccli. 19. v. 4. Qui credit cito, levis corde est, & minorabitur. *Complexio* ergo

ergo unicuivis promiscue credendum non est. III. Hæ Enthymematis rationes, si Oratori libuerit, redigi possunt singulæ in aliquam argumentationis formam, ut syllogismum tripartitum, vel etiam quinquepartitum, collectionem Oratoriam &c. Vel etiam sine his per locum Rhetoricum (ut ante diximus) deduci queunt. IV. Sicut in Syllogismo, ita in Enthymemate; partium ordo permisceri potest. Sæpe propositionem, sive antecedens præit conclusio: sæpe statim consequitur; post rationes sequuntur: rursum conclusio repetitur. V. Quæ de complexione diximus supra in Syllogismo, eadem hic servari possunt, maxime de corollariis pro instituenda morum digressionem.

§. II.

Paradigma hujus Modi.

Paradigma Enthymematis simplicis servato partium ordine in illud Joan. 6. Colligite, quæ superaverunt, fragmenta, ne pereant. Thema: Divites obstringuntur ad dandam pauperibus eleemosynam de rebus (ut ajunt) superfluis. Enthymematis antecedens, sive propositio: Divites non sunt absoluti rerum superfluarum Domini. Ratio antecedentis: 1. Ab argumento extrinseco: quia id communis Patrum sensus docet. 2. Ab argumento intrinseco: quia secus Deus non esset providus in pauperes Pater. 3. Quia id Christus præcepit: Quod superest, date eleemosynam (f)

Ex-

f) Vide Segneri Serm. 22. Quadr.

PARS II.

CAPUT. II.

ARTICUL. III.

§ II.

Propositio, sive Antecedens: Divites non sunt absoluti rerum superfluarum Domini. Semper ego gravissimos inter errores, quibus mundum hunc quamplurimis video implicari, illum etiam adnumerabam, quo plerique divitum male sibi persuasum habent, se omnium, quæ possident, rerum tam absolutum, perfectumque jus obtinere, ut eas pro suo arbitratu non expendere solent; sed etiam abligurire; quin, si luberet, in undas etiam, ut Crates fecit, & multi alii fecere Philosophi, tuto abjicere posse putent. Quod certe falsissimum, & à veritate prorsus alienum esse duco. Non diffiteor equidem divites fortunarum suarum esse dominos; haud tamen tam integros, perfectosque, quasi omni lege soluti, nihil eorum, quæ congruenti superfuerint victui, in pauperum usus erogare obstringerentur.

I. Ratio Antecedentis à loco extrinseco: quia hoc communis Patrum sensus docet. Novi, O divites, perbelle doctrinam hanc complurium vestrum auribus arduam admodum, insolentemque accidere; pluresque jam Theologorum vestra causa in eo elaborasse, ut hujus severitatem parumper temperatam, ad gravem illuntaxat proximi restringerent necessitatem. Verum opinioni huic ingens Patrum turba, effusi instar torrentis, pleno senet alveo opponere videtur. Si dicitis fidem non habetis, Divum audite Augustinum. (g) Quidquid (inquit ille) excepto victu,

g) Serm. de Villico iniquit.

ctu, & vestitu rationabili superfluit, non lu-
 xui reservetur; sed in thesauro cœlesti per
 eleemosynam reponatur; quod si non fece-
 rimus, res alienas invadimus. *Quid hoc te-
 stimonio luculentius esse potest? Eadem mens est
 Chrystostomi locis innumeris, eadem Basilii, Bedæ
 eadem, ac Theophylacti. S. Gaudentius apertissi-
 me Germinio scribit: nihil nostrum esse in hoc
 sæculo; nobis creditam solum esse dispen-
 sationem facultatum Domini nostri, vel ad
 utendum iis sufficienter: vel ad distribu-
 dum conservis: atque adeo non licere no-
 bis eas in expensas usurpare superfluas; cum
 sit erogationis ratio Deo venienti reddenda.
 Videte, quam perspicue loquatur sanctus Do-
 ctor. Non adfero cæteros gravissimos Ecclesiæ Pa-
 tres: Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, unus
 instar omnium sit Angelicus, qui solita sibi clarita-
 te geminas docet esse radices, quæ rigidam tribuen-
 dæ eleemosynæ pariunt legem. Alteram à pauperi-
 bus; à divitibus repetit alteram. Illam à pauperum
 necessitate, & inopia; hanc à divitum copia, & a-
 bundantia. Ubicunque igitur inopum gravis est
 necessitas, obstringuntur divites ad levandam eo-
 rum miseriam, tametsi superfluis non redundant;
 si vero redundaverint, tum enim vero tenentur ea,
 quæ superant, in egentes erogare, tametsi nulla
 gravi necessitate premi videantur.*

2. Ratio antecedentis ex loco intrinseco:
 quia secus Deus non esset providus egen-
 cium Pater. *Miramini, non dubito, divites hoc*

PARS II
 CAPUT II.
 ARTIC. III.
 §. II.

insolens dictionis argumentum, totique jam tremefacti, cum Judæis Capharnaitis è mea discessionem concione paratis: Durus est (inquietes) hic sermo, & quis potest eum audire? At si paternæ Dei providentiæ campi lilia tam eleganter vestit; si columbas, & corvos pascit: si vilissimis terræ vermiculis sollicitus escam præbet, quid? hominumne egentium obliviscetur? An non Deus communis est, ac providentissimus divitum æque ac miserorum Pater? cur ergo tam dispari modo filiis providet? ut unus egeat; alter abundet: unus satur sit; alter esuriat: unus cum Lazaro ne suæ quidem nuditati consulere queat; alter vero cum Epulone bysso, & purpura ad luxum usque splendide vestiatur. Fortasse Deum injustum esse Patrem dicetis? aut partium studiosum? vel impotentem? ac inconsultum, qui indigentium calamitatibus nequeat subvenire? Verum facebant hæc blasphemix! providit summa Dei sapientia etiam pauperibus de fixo, stabilique re: unum proventu; cum a sublevandam eorum miseriam, non extremam duntaxat; sed etiam communem in superfluis divitum bonis censum constituit nunquam defecturum; quemadmodum planetis attribuit lucem ex amplissimo Solis corpore, diluvii instar, quaquaversum perpetuo effluentem.

3. Ratio Antecedentis: quia id Christus præcipit. Quid ad hæc O Divites? dubitatis forsitan adhuc de rei veritate; at ne ambigatis audite quid Dominus, ac Magister vester Christus præcipiat: nec enim existimo, eo vos dementiae, & improbitatis devenisse, ut exuta omni religione Christi

sto

PARS II.

CAPUT II.

ARTICUL. III.

§. II.

sto Divinæ sapientiæ, ac veritati fidem abnuatis. Quod superest (inquit (h) ille) date eleemosynam, quasi diceret: Divites! vos rebus affluitis omnibus; sunt, qui penuriam patiuntur; quod igitur superest vobis, seu de victu, seu de vestitu, seu de reliquis sustinendæ vitæ, ac domûs vestræ necessitatibus date eleemosynam, sive in pauperes erogate: hoc enim præcipit Christus, ut omnia superflua pauperum usus debita esse censeatis. Non meum, sed Angelici Doctoris verba ista explicantis est effatum: omnia superflua Dominus jubet pauperibus exhiberi. Advertite! quid dicat? non ait: hortatur, vel consilium dat, sed jubet pauperibus exhiberi; ut intelligatis eleemosynam è superfluis dare non esse Christi monitum, sed præceptum: non consilium, sed mandatum, cui vos, O Divites, quotquot estis, pro facultate vestra conformare debeatis; secus eandem miseram cum Evangelico Divite sortem estis experturi, qui mortuus est, & sepultus est in inferno.

Conclusio: Ergo divites obstringuntur ad dandam pauperibus eleemosynam. Hæc cum ita sint, quid agitis O luxui dediti mortales? ecquando tandem ad tam apertam legis Divinæ lucem oculos aperietis? quando capita vestra submittetis? eritne tempus, quo creditoribus vestris, idest, pauperibus satisfacietis? Eja expergiscimini tandem! en pro foribus vestris stat ingens mendicorum, stat viduarum, stat pupillorum, stat orphanorum turba, altisque suspiriis, manantibus oculis, contenta voce debitam sibi reddi opem implorat. Nolite mise-

ros

h) Luc, 11, v. 41.

PARS II.
CAPUT II.
ARTICUL. III.
§ II.

ros morari, minus existimare: vos absolutos perfectosque superfluorum esse Dominos, ut ea libere in vestra commoda, in luxum, in pompam usurpare valeatis. Quod superest, date eleemosynam: hoc enim deposcit à vobis communis Patrum sensus: hoc divina exigit providentia: hoc luculentum Christi præcipit mandatum: quod superest, date eleemosynam.

A R T I C U L U S I V.

MODUS CONFIRMATIONIS PER COLLECTIONEM ORATORIAM.

§ I.

Præcepta hujus Modi.

I. *Natura Modi.* Collectio Oratoria est argumentatio Authori ad Herennium, *absolutissima & perfectissima.* Magni usus olim apud Oratores, Ciceronem præsertim, quam à collectis, quas continet, rationibus collectionem Oratoriam appellavere. *In quinque partes est distributa* (ait Author ad Herennium) *propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, & complexionem.* *Propositio est, per quam ostendimus summam, quid sit, quod probare volumus. Ratio est causa, quæ demonstrat id verum esse, quod intendimus. Rationis confirmatio est ea, quæ pluribus argumentis corroborat breviter expositam rationem. Exornatio est, qua utimur rei honestandæ, & collocupletandæ causa confirmata argumentatione, id est, rationum in confirmatione allatarum amplificatio. Complexio est,*
que

quæ concludit breviter colligens partes argumentationis. Ita author ad Herenium.

PARS II.
CAPUT. II.
ARTIC. IV.
§ I.

II. *Praxis Modi.* Quomodo hæc Oratoria collectio fit instituenda, datum est hujus exemplum superius, in gratiam tamen Tyronum exemplis delectantium adduco aliud. Sic hæc *propositio*, cujus jam ante meminimus: Homo Christianus tenetur reddere animam Deo, quia in anima Christiani est subscriptio Dei. *Ratio propositionis*: quia animæ Christianæ impressus est character baptismi nunquam delendus; sed in ea, vel ad gloriam, vel ad ignominiam (ut ait S. Thomas) perpetuo remansurus. *Unxit nos Deus* (inquit (i) Paulus) *qui & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Item Thomas: *Post hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam: & in malis ad eorum ignominiam.* *Rationis confirmatio*: quia anima Christiani per baptismum effecta est: 1. Ovis Christi. 2. adscripta est in familiam Christi; sed oves ad discrimen cæterarum ad ovile non pertinentium stigmatibus notantur: famuli Herorum insignibus distinguuntur; ergo etiam animam Christianam à cæteris nondum baptismo initiatis, character (signo quodam, ut ait Florentinum *spirituali*, à cæteris distincto) discriminari oportebat. *Exornatio.* 1. *Ab Exemplo Seraphici Francisci stigmatibus insigniti.* 2. *A Similitudine monetæ nomine Israelitarum signo Thau, ne Angelus noceret,*

G g

ret,

i) 2. ad Cor. 1. v. 22.

PARS II.
CAPUT. II
ARTICUL. IV
§ I.

ret, super frontem signatorum. Vel à tur-
ma Apocalyptica, quos, ut Dei servos, An-
gelus Domini in frontibus signavit. *Conclu-
sio.* Ergo homo Christianus tenetur reddere
animam Deo, quia in anima hominis est su-
perscriptio Dei.

III. *Observanda in usu Modi hujus.* 1. In
collectione Oratoria *propositio* non debet es-
se distincta à re probanda, sive à themate
Orationis, vel membro divisionis: nec con-
clusio à propositione, ut in allato patet ex-
emplo. 2. Cum *prorositio* sit fusior rei pro-
bandæ expositio, plerumque exponitur per
paraphrasim, vel aliud amplificandi genus.
3. *Rationis confirmatio* potest esse una, vel
multiplex, ex eodem, vel ex pluribus locis
Rhetoricis desumpta, ut allatum exhibet ex-
emplum. 4. Cum *exornatio* nil sit aliud, quam
rationis amplificatio, institui ea potest à pa-
raphrasi, vel à contrario, aut simili, exem-
plo, comparatione &c. vel simul ab omni-
bus. 5. Quod dixi de Syllogismo, idem re-
peto de collectione: quælibet hujus pars re-
digi potest in aliquam argumentationis for-
mam, ut Syllogismum, Enthymema, imo in
novam iterum Collectionem, vel sine his fit
per amplificationem alicujus loci Rhetorici,
ut Oratori placuerit. 6. *Exornatio* haud est
tam necessaria, ut nequeat omitti, si Ora-
tor existimet prætereundam, quod tunc
plerumque fit, cum *Ratio confirmationis* pau-
lo amplior, longiorve fuerit; vel in perspi-
cua,

cua, & ornata, ut non egeat uberiori ornatu, & explicatione. 7. *Complexio* vel est directa, quæ brevi enumeratione per conclusionem repetit dicta in ratione, & rationis confirmatione: vel est indirecta, per contrarium, aut consecutiones, sive corollaria ex directa conclusione inferenda, quod servit ad faciendas, ut ante de Syllogismo, & Enthymemate diximus, morum digressiones.

PARS III.

CAPUT II.

ARTICULUS IV.

§. I.

§. II.

Paradigma hujus Modi.

Paradigma Collectionis Oratoriæ. Sit Festo S. Jacobi Apostoli in illud: *Dic: ut sedent hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo, hoc thema concionis: recta Parentum institutio facit, ut multi filiorum in die judicii sedeant à dextris; prava autem efficit, ut multi filiorum stent à sinistris. Si alteram divisionis partem Collectione Oratoria pertractare volueris, ita dispones, & eloqueris. (k)*

EXERCITATIO.

Propositio. Prava Parentum institutio facit, ut multi filiorum in die judicii stent à sinistris. *Quemadmodum in Sacris literis dextera in futuro Christi Regno, ab ultimo judicii die inchoando, ubi omne genu curvabitur, & omnis lingua confitebitur ei, beatam Electorum sortem significat; ita Divini Judicis sinistra, ad quam*

G g 2

re-

k) Vide Segneri serm. 25. *Quadr.*

PARS II.
CAPUT II.
ARTICUL. IV.
§ II.

*reprobi hædos inter sunt constituri, infelicem d i-
natorum indicat conditionem. Congregabuntur
autem (inquit (1) Christus) omnes gentes, &
separabit eas ab invicem, sicut pastor segre-
gat oves ab hædis: & statuet oves quidem à
dextris suis; hædos autem à sinistris. O Pa-
tres, Matresque familias! quot erunt filiorum ve-
strorum, qui ad hanc tristissimam Judicis sinistram
in ultimo conjicientur mundi die æternum perituri?
Tot certe, quod prava institutione vestra fuerint
depravati. Dixi: prava institutione: ea enim infe-
licia vivimus Parentum tempora, ut optabilius mul-
to foret, nullos suscipi liberos; vel, si suscepti sunt,
statim à baptisinate vita fungi; vel canistro, ut o-
lim Moyses, aut fiscelle inclusos undis, & fortuna
exponi, quam Parentum curæ committi; felicius
in alienis, quam in Parentum manibus instituendi.*

*Ratio propositionis: quia plurimi Paren-
tum filios pravis principiis, tota postea ætate
retentis, consalto imbuunt. Parcite Audito-
res, quod mei sensa animi tam libere, ape. teque pro-
mam. Nollem equidem; at vel invitus cogor: tan-
tam etenim in Parentibus video erga filios impieta-
tem, ut ad eam detestandam cor mihi æneum, vo-
cemque tonitru optarem. Sunt enim, hoc maxime
tempore, quamplurimi Parentum, qui filios, ad
omnem probitatem sanctissimis vitæ Christianæ legi-
bus informandos, tam noxiis impiisque principiis,
tota reliqua ætate retinendis, statim à puero imbu-
unt, ut pestifero hoc odor: lanæ, ac t stæ instar nun-
quam dimisso, de futura eorum salute actum esse vi-
dea.*

1) Matth. 25. v. 32.

deatur. Utinam (ait (m) *Chrysoſtomus*) hoc tantum culpa eſſet, nihil utile liberis parentes conſulere, poſſet id, quanquam graviffimum ſit, aliquatenus tolerari; nunc vero eos ad ea, quæ ſaluti ſuæ ſunt adverſiſſima, impellit, & ac ſi dedita opera liberos veſtros perdere omni ſtudio curetis; ita univerſa illos jubetis facere, quæ qui faciunt, ſalvi eſſe non poſſunt.

Confirmatio rationis: quia adverſus omnem doctrinam Evangelicam imbuunt peſſimis ſuperbiæ, luxus, avaritiæ, vanitatis &c. principiis. *Vultis, ut iſta vobis luce ipſa clariora eſſe demonſtrem? faciam; verum attentas huc aures diligenter advertite. Nonne Lex Evangelica, quam teneris jam infantibus cum lacte ſtatim infundere deberetis, æternam divitiis intentat damnationem. Væ vobis (inquit) divitiis (n) Vos vero quid agitis? à primis ſtatim incunabulis cereis puerorum animis habendi cupiditatem ingeritis: omnem hominis felicitatem in eo repositam eſſe docetis, ut ſcrinia plena, pingua maſſupia, horrea referta, cellas omni rerum copia affluentibus poſſideant. Ecce (aitis) aspice! hunc inſtitorem, hunc Nobilem, hunc Prælatum: vide, ad quantam pervenit felicitatem. Hic ſuburbanum magnifice extruxit palatium: iſte opimum adeptus eſt beneficium: ille ſuam proſpero conjugio fortunam ſtabilivit. Tunc eo te aliquando pertingere poſſe diſſidis? Apage huiusmodi filium! à præcelſis parentum cogitationibus degenerem ac deſciſcentem. Hæc ſunt Patrum monita in animis*

G g 3

filio-

m) *Chryſ. l. 3. contra Viruper. n) Luc. 6. v. 24.*

PARS II.
CAPUT II.
ARTICUL. IV.
§ II.

filiorum tam alte radices defigentia, ut aurum & opes suum veluti postea numen esse credant. Rursus. Evangelium docet Christianæ studendum esse demissioni: Recumbe (inquit (o) Christus) in novissimo loco. Quid vos? alius, ait, connitendum est: viles cardui & urticæ humi repunt, nobiles arbores in cælum provehuntur. Non decere generosum animum sua sorte, & fortuna, in qua primi eum natales posuerunt, esse contentum: novis, & majoribus in dies honorum, & opum incrementis augenda est familia, fluminis instar in ampliora semper terræ spatia semet latius diffundentis. Iterum. Evangelium affirmat dandam esse æmulis offensæ gratiam: Diligite inquit (p) Christus) inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt. At vos opposita liberorum mentibus instillatis: neminem ullum injuriæ oblivisci oportere: dentem denti, canem instar, opponendum esse. Si latret quis. vicissim adlatrandus: si mordet remordendus. Ipsæ etiam Matres, cæteroquin probæ, ac piæ, quibus, obsecro, doctrinis filiarum animos informant? fortasse Evangelicis ad vitandum luxum, fugiendam pompam, modestiam consecutandam? Ne solliciti (q) sitis corpori vestro, quid induamini. Verum O tempora! O mores! nihil minus, quam ista cogitantur. Eja (inquiunt) age filia! dic Patri: te velle ad normam æqualium a niciri: probrosus esse materno lateri inornatam adistere, dic: promantur aurei è scriniis lemnisci: aptentur collo monilia: armillis ornentur brachia: auribus

o) Luc. 14. v. 10. p) Luc. 6. v. 27. q) Luc. 12. v. 22.

ribus in aures inferantur: nudetur pectus ad lasciviam: cerussa, fuco, pigmentis facies illinatur. Ecce Auditores! hæc illa est pulcherrima, qua hæc ætate à plerisque parentibus liberi instituantur, disciplina; & quo fructu? eo nempe, ut ubi hæc prava semina mollibus animis fuerint credita, confestim profundas occipiant agere radices fastus, ambitio, vanitas, audacia, commodi proprii studium, cæteri; pravi animorum affectus nulla hominum arte, ac industria extirpandi. Adolescens (inquit (r) Sapiens) juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

Exornatio à simili. Per similes mihi profecto videntur esse hujusmodi Parentes vesano Agricola, qui feracem, ac pinguem ceterum nactus esset agrum. pessimis tamen consulto seminibus confere-ret, ut non alium, quam lolia, ac zizania in ignem projicienda, fructum ferret. Vel ejusmodi O-litori, qui teneras perfrigido aëri studiose plantas exponeret, ut à pruina in herba adhuc decoquerentur. Agri sunt, O parentes, filii vestri; plantæ sunt, O matres, filia vestra, quas Cælestis Agricola, Divinus Pater, curæ vestræ tradidit excolendos; principia autem teneris filiorum mentibus instillata quid sunt? nisi semina, & illa quidem pessima, si Christi legibus fuerint adversa. His autem toties agros vestros conferitis O parentes, quoties impia liberorum animis, & auribus consilia inculcatis.

Conclusio cum digressionem morali ad Pa-
rentes: ergo prava parentum institutio facit,
ut multi filiorum in die judicii stent à sinistris.

G g 4

Et

r) Prov. 22. v. 6.

PARS II.
CAPUT. II
ARTICUL. IV
§ II

Et quo fine? tristissimo certe: veniet enim feralis ille dies, in quo (tepte Paulo) omnes stabimus ante tribunal Judicis Christi, vel ad dextram vel ad sinistram constituendi. Ubi, oro, tunc liberos vestros collocandos esse putatis? Ad dexteram fortasse? opta em enimvero ex animo, ut hæc beata eos aliquando fors maneret; at metuo gravissime, ne forsân hæc perversa institutio una cum liberis vos etiam Parentes ad infelicem Judicis sinistram conjiciat æternum interituros. Si enim Heli Sacerdoti nimia in filios improbos indulgentia tantum Dei odium concivit, ut nec sacrificiis, nec victimis, nec ullis precibus crimen potuerit expiari: Eo quod noverat indigne agere filios, & non corripuerit eos, idcirco juravi domui Heli, quod non expiatur iniquitas domus ejus victimis, & muneribus usque in sempiternum. (s) Quod obsecro supplicium vos manebit O parentes, qui liberos vestros non solum à vitis non retrahitis; sed perniciosis præterea superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, iræ, principiis ad ea impellit, & incitatis. Si tam est invisum Deo, non plectere peccata, quiderit ea laudare, svadere, propagare, eorum auctorem esse. Ego equidem jam pridem latam in vos ea propter à Divino Sponso reperio sententiam: (t) capite nobis inquit ille) vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. Hieronymus legit: capite nobis vulpes, quæ parvulas demoliuntur vineas, ut vox parvulas non ad vulpes; ve um ad vineas referatur. Hujusmodi vulpes estis vos O parentes, qui prava institutione vineas demolimini

par-

s) 1. Reg. 3. v. 13. t) Cant. 2. v. 15.

parvulas, id est teneras filiorum animas depravatis. Verum advertite, quid Divinus jubeat sponsus: capite, id est; occidite, mactate, jugulate nobis vulpes, quæ parvulas demoliuntur vineas. En vestrum quod aliquando vos manebit triste factum! Quare Patres, Matresque familias satagite, ut liberos vestros ad omnem recti, honestique normam quam optimis Christianæ vitæ principiis instituatis. Filii tibi sunt (inquit (u) Sapiens) erudi illos, & curva illos à pueritia illorum. Nostisne quid sit erudire? erudire est docere, verum non ambitionem; sed humilitatem: non avaritiam; sed divitiarum contemptum: non luxum; sed modestiam, & sobrietatem, hoc est erudire, hoc curvare, quod ni feceritis, ad Judicis sinistram procul dubio consistetis.

ARTICULUS V.

MODUS CONFIRMATIONIS PER DILEMA.

§. I.

Præcepta hujus Modi.

I. *Natura Modi.* Dilema (latine cautio) est argumentatio duabus sibi oppositis propositionibus constans, quarum in alterutram necesse est incurrere. Unde Syllogismus cornutus appellatur. Tale est illud Tertulliani, quo Trajani Imperatoris rescriptum ad Senecam de Christianis non inquirendis; si tamen deferantur, puniendis in hunc sensum egregie confutavit: Vel impii sunt Christiani, vel non? si sunt impii? Imperatoris est curare, ut conquirantur, ne impii tolerati

PARS II. noceant piis. Si non sunt? tametsi deferantur
 CAPUT. II. haud tamen sunt puniendi: cum sola impietas
 ARTICUL. V. plectatur. Ergo Trajani rescriptum est ini-
 § I. quum.

II. *Observanda in hoc modo.* 1. Curandum, ut Dilema sit verum, cui nullum medium interveniat; secus facile diluetur vel negando, vel retorquendo, aut distinguendo. 2. Dilema aliquando brevius; oratorie diffusius aliquando tractatur, & tunc singulæ partes una, vel pluribus rationibus ex eodem, aut è diversis locis probari possunt; quin singulæ rationes, si Oratori libuerit, in alias poterunt redigi argumentationes. 3. Observavi: interdum Dilema toti bipartitæ Orationi materiam præbuisse. 4. Quod ante dixeram; idem hic de complexione repeti debet.

§. II.

Paradigma hujus Modi.

Paradigma per Dilema, in illud Lucae (x) feria II. Paschatis: nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloria n suam. Thema: adversitates patienter, constanter, hilariter sunt ferendæ. Dilema I. partis: Vel peccasti, vel non? Si peccasti? adversitatibus premi mereris. Si non peccasti? gloriam cœlestem haud aliter, quam per adversitates patienter toleratas obtinebis. Ergo adversitates patienter sunt ferendæ.

Ex.

EXERCITATIO.

PARS II.

CAPUT. II.

ARTICUL. V.

§. II.

Tametsi res inter humanas nihil crebrius, ac pervulgatius soleat evenire, quam miseris premi; attamen nihil perinde arduum, ac difficile accidit hominibus, quam immixtas æquo patientique animo tolerare calamitates. Quot sunt mortalium, qui vel modica pressi adversitate confestim effunduntur in querelas, solvuntur in murmura, jaciunt blasphemias, ac pæne in ultimam adducuntur desperationem.

Dilema proponitur: Vel peccastis, vel non? Verum adeste mortales, quicumque immixtas repugnanti animo à Deo excipitis adversitates. Dicite: quis vestrum est sine peccato? volui dicere: peccastisne aliquando, vel non? Respondite? quid vobis videtur? siletis? cur ita? Pudet fortasse rem conscientiam crimen fateri? aut Christiana demissione erubescitis palam prodere vitæ innocentis sanctitatem?

1. Pars Dilematis: si peccastis, mere mini premi adversitatibus. At tametsi nihil quicquam respondeatis; video tamen è signis baud obscuris latentem animi vestri sensum, quid cogitetis? Quid enim ab imo pectore ducta longius volunt suspiria? Quid notant oculi in terram depressi? quid iteratæ pectoris percussiones? nunquid tacite innuunt Evangelico vos persimiles esse Publicano, qui à longe stans, volebat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori? (y) Quod equidem, si animo sentitis, verissimum cogitatis: Divino etenim

Joan-

PARS II.
CAPUT II.
ARTICUL. V.
§ II.

Joannis testimonio (z) si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si porro peccastis, vel saltem peccati aliquando perpetrati reos peragit conscientia, qui, oro, potestis refugere tantopere calamitates? Nunquid peccatum vel semel admis- sum promeretur vindice Dei manu acerbissime castigari? Potest Deus ob unum Adæ crimen tot ad- versitatibus mundum premere. Potuit Angelicos Spiritus è cælo ad inferni barathrum rudentibus disturbare. Potuit mundum univèrsum ob peccata diluvio perimere. Amplius dico: potest Deus homi- nes nullius sceleris conscios ad ostendendam solutio- do gloriam suam miseriis affligere, quemadmodum afflixit hominem à sua natiuitate cæcum. Interroga- verunt eum (a) discipuli ejus: Rabbi, quis pecca- vit? hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit JESUS: neque hic peccavit, neq; parentes ejus; sed ut manifestentur o- pera Dei in illo. Quid existimatis? non poterit Deus, nec vos promeremini, ut ob ingentia, quæ olim perpetrastis, vel etiam nunc adhuc perpetrare pergitis, crimina, quidpiam calamitatum immit- tat, quibus vel ad sobrietatem revocemini, vel ad- missa scelera salutari pœnitentia expietis? si Deus illo ipso, quo peccastis, momento, nulla pœniten- di mora vobis concessa, statim, ut poterat, ad infernum præcipites egisset, futurusne injurius erat? vel potius justissimi Judicis promerito suppli- cio fontes castigantis officium explevisset? Jam si infinita sua benignitate, & misericordia hanc sum- mam

z) 1. Joan. 1. v. 8. a) Joan. v. 2.

nam cum parva : hanc extremam cum modica : hanc æternam cum brevi vitæ hujus adversitate commutet, hicne injuriam irrogabit? Imo vero beneficentissimam ostendis, O Deus, clementiæ tuæ manum, quam pio supplices osculo veneramur. Hic ure, hic seca; modo in æternum parcas. Peccavimus, fatendum est; sed en paratos in flagella! Immitte morbos, immitte cruces, immitte ignominias, en paratos in flagella. Feremus animo æquo, & patienti, quæcunque immiseris; agnoscimus enim cum pœnitente latrone: quoniam digna factis recipiemus.

PARS II.
CAPUT. II.
ARTICUL. V.
§ II.

2. Pars Dilematis: si non peccastis; ob cœlestem tamen gloriam, non aliter, quam per multas tribulationes obtinendam, perferre debetis. *At demus Auditores, vos esse homines nullius admissi peccati reos: divina mandata jam inde à juventute cum Evangelico homine sancte custodisse: cum Zacharia, & Elisabeth ante Deum incessisse in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela. Verbo: tam sancte vitam innocenterque traduxisse, ut in vobis totidem mihi Aloysios, vel Joannes, aut Emericos videar intueri. Verum quamcunque sanctos, ac integros vos esse contingat, putatisne vos idcirco à ferendis calamitatibus immunes, ac eximios fore? Imo vero id ipsum, quod pii, sanctique sitis, ampliore tolerantia materiam, & causam præbet. Omnes (inquit (b)) Apostolus qui pie volunt vivere, persecutionem patientur: nec cœlestem ad gloriam sine laboribus pervenitur,*

vel

b) 2. ad Tim. 3. v. 12.

PARS II.
CAPUT II.
ARTICUL. V.
§. II.

vel ultro susceptis, vel si aliunde humeris imponantur, patienter toleratis. Reflectite mentem ad ipsum, quem ante memoravi, Aloysium. Hic tametsi moribus Angelus extiterit, cœlestium tamen ille donorum distributor Deus, in hoc ipso Angelico Juvene miram vitæ innocentiam cum pari pœnitentia, id est, vitæ austeritate voluit sociatam. Sanctissimum fuisse Joannem, Domini præcursores, quis nescit? adeo, ut ipsius Christi (c) testimonio: non surrexerit inter natos mulierum major Joanne Baptista. At Superi! quam austeram, quam severam, quam rigidam egit vitam? Quid perfectius Christo Deo homine vel cogitari potest? At nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Et vos alia, quam crucis via, ad cœlum perventuros existimatis? Credite Paulo (d) non coronabitur; nisi qui legitime certaverit. Arcta via est, quæ ducit ad cœlum. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Qui non accipit crucem suam (ait (e) Christus) & sequitur me, non est me dignus. Advertistis, quid dicat? si non? repeto, dicit: qui non accipit crucem suam, suam inquam, non est me dignus, ut intelligatis unicuique hominum suas inesse cruces, quas non ferre; sed accipere oportet, id est: æquo, patientique animo tolerare, ut vos Christo, illiusque gloria dignos efficiatis. Quis jam vestrum est Auditores, quæ in cœli obtinendi desiderium non teneret? certe hæc ipsa vitæ vestrae

c) Joan. 11. v. 11. d) 2. ad Tim. 2. v. 5. e) Matth. 10. v. 38.

vestræ probitas maximo mihi est argumento, vos ardentissimo illius adipiscendi studio flagrare, at nunquam illud sine cruce, sine tribulatione, sine adversitate à vobis obtineri posse, persuasum habeatis.

Complexio cum enumeratione: ergo adversitates patienter sunt ferendæ. *Quare obsecro vos Christiani, ut si adversitatibus premi contingat, non abhorrescatis (f) propter adversos casus; sed reputate ea, quæ accidunt non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. Christianus in adversis (inquit Augustinus) aut probatur, si justus est, aut emendatur, si peccator est. Probatur si justus est, ut cum probatus fuerit, accipiat coronam vitæ, quam Deus diligentibus se repromisit. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, & omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes, transierunt. Si peccator est, emendatur: à Domino enim corripimur (inquit (g) Paulus) ut non in hoc mundo damnemur. Corripe ergo O Domine, corripe! verum corripe in iudicio, non in furore, ut intelligat homo, medicum esse Deum, & tribulationem esse medicamentum ad salutem, non ad damnationem, inquit Augustinus.*

ARTI-

f) 2. Machab. 6. v. 12. g) 1. ad Cor. 11. v. 23.

ARTICULUS VI.

PARS II.

CAPUT. II.

ARTICUL. VI.

§ I.

MODUS CONFIRMATIONIS PER SO-
RITEN.

§ I.

Præcepta hujus Modi.

I. *Natura Modi.* Sorites, à Græco Σόρις, quod cumulum, acervum significat, nomen habet. Est argumentatio, qua ex multis coacervatis propositionibus, quarum una gradatim ducitur ex altera, aliquid inferitur. Talis est Pauli (b) ad Romanos scribentis, ac probantis: gloriandum esse in tribulatione. Sed & gloriamini in tribulationibus: scientes, quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio vero spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

II. *Observanda in hoc modo.* 1. In hac argumentatione attendendum ad singula membra: nam vel uno gradu fallente, tota gradatio perturbatur. 2. Singulæ partes suis rationibus confirmantur, quæ per alias novas argumentationes, vel sine iis per aliquem locum Rhetoricum poterunt expoliri.

§ II.

Paradigma hujus Modi.

Paradigma per Soriten. Thema Concionis in illud i) *Et sunt novissima hominis illius peiora prioribus*: frequens in peccatum prolapso: 1. est indicium actæ falsæ pœnitentiæ.

2. Est

b) ad Rom. 5. v. 3. i) Matth. 12. v. 45.

2. Est obstaculum agenda veræ pœnitentiæ. Si alteram divisionis partem probatam velles per Soriten, ita facies: frequens prolapsio in peccatum inveteratam parit consuetudinem, consuetudo obdurat animum, obduratus animus Divinarum Gratiarum causat contemptum, contemptus peccatoris à Deo derelictionem, derelictio desperationem; ergo frequens in peccatum prolapsio est obstaculum agenda veræ pœnitentiæ.

EXERCITATIO.

Propositio: frequens in peccatum prolapsio est obstaculum veræ pœnitentiæ. *Est hæc miserrima hominum crebrius in peccata relabentium fors, & conditio, ut non modo veram non agant; sed ne agere quidem facile queant pœnitentiam. Frequens enim scelerum iteratio tam validum, ac pertinax agenda veræ pœnitentiæ obstaculum præbet, ut nunquam perrumpi, vel saltem difficile admodum valeat superari. Temerarium profecto, & audax, quin etiam dictu incredibile, hoc esse putarem; nisi me Pauli, Gentium Doctoris, ad hoc proferendum auctoritas commoveret. Impossibile est (inquit (k) ille) eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti --- & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Videte, quid dicat? impossibile, id est (ut Calmetus (l) explicat) difficile admodum veram iis agere pœnitentiam, qui semel prolapsi, iterum*

H h

ac

k) Ad Hebr. 6. v. 4. l) Calmet in locum eundem.

PARS II.
CAPUT. II.
ARTIC. VI.
§ II.

ac iterum, ac sepius in scelera relabuntur; quem-
admodum avaro diviti difficile est injuste parva red-
dere, ac idcirco, Christi testimonio, Cælum adipi-
sci: Dives difficile intrabit in Regnum Cœ-
lorum. (m)

I. Pars: quia inveteratam parit con-
suetudinem. At quæretis ex me Auditores, unde
ista pœnitendi difficultas in hominibus, sua in pec-
cata sepe relabentibus, ortum trahat? Si me auditis,
ab inveterata certe consuetudine, quam fre-
quentati lapsus parere solent, repetenda videtur.
Ex iterata enim prolapsione nascitur quædam pec-
candi facilitas, ut peccator sine horrore, sine sti-
mulis, sine repugnantia; immo cum gaudio, & vo-
luptate quadam, è mente (n) Fobi, bibit quasi a-
quam iniquitatem, & quo amplius hauserit, eo
ardentiori peccandi æstu, ac siti urgeatur, adeo, ut
ne advertat quidem se peccare. Habet hoc (in-
quit Emiffenus) infelix peccandi consuetu-
do, ut quanto amplius quisque peccaverit;
tanto minus intelligat se peccasse. O mise-
ram, & infelicem hujusmodi peccatorum conditio-
nem! quam dum ego reminiscor, offerre se mihi
videtur hominis cuiuspiam catenis toto corpore vin-
cti, funibus arctissime colligati tristissima species,
& imago, quem videor cum Davide gementem au-
dire: heu me miserum, funes peccatorum cir-
cumplexi sunt me (o)! Expertus rei hujus gra-
vitatem olim Augustinus malo simili implicatus.
Suspirabam (ait (p) Vir sanctissimus) ligatus
non

m) Matth. 19. v. 23. n) Fobi 15. v. 16.
o) Psal. 118. v. 61. p) l. 8. Confess. c. 5.

non ferro alieno; sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me: quippe ex voluntate perversa facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus, quasi annulis quibusdam sibimet innexis (inde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus.

2. Pars: quia consuetudo animum indurat; induratus autem animus omnes Cælestes Gratias contemnit. *Ex hac miserabili quidem servitute (ægerrime licet) explicuit se tandem Augustinus assiduis Ambrosii hortationibus, & Matris Monicæ lachrymis, & precibus pulsatus. At quot sunt Auditores, qui eidem implicati æternum periere. Audite rem horrendam! Vix de centum millibus hominum (ait (p) Hieronymus) quorum mala fuit vita, meretur habere indulgentiam unus. Tantum est mala consuevisse! Nec miror eam illi vim inesse: inveterata enim consuetudo ita peccatorum corda, & animos cum Pharaone indurat, ut silicis, ac petreæ instar, nullis Divinæ Gratiæ motibus percellantur. Pulsat quidem ostium Deus, monet, hortatur, minatur; sed frustra omnia, impius enim cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Notate, quid Sapiens (q) dicat: cum in profundum venerit, id est, prava in eo consuetudo inveteraverit, cor, & animus induerit, tum enimvero omnes divinas cum Pharaone*

PARS II.
CAPUT. II.
ARTICUL. VI.
§ II.

H h 2

ne

p) Apud Segneri Serm. 1. Quadr. q) Prov. 18. v. 3.

PAPERS II. *ne gratias contemnit. Opportuna suggeruntur*
 CAPUT II. *consilia, contemnit: severis instatur minis, con-*
 ARTICUL. VI. *temnit: illatæ Deo exaggerantur injuriæ, contemnit:*
 §. II. *biantes monstrantur inferni fauces, contemnit, con-*
temnit. Cur? induratum est cor Pharaonis (r).

3. Pars: quia Gratiarum contemptus, Divinam causat peccatoris derelictionem. Si porro contemnit, quid mirum? si vicissim peccator à Deo contemnatur. Solet equidem injuriarum tolerantissimus, & in peccatores misericordissimus esse Deus, ut omnem, prodigus tametsi fuerit filius, ad se revertentem paterne complectatur; una tamen Medico persimilem esse experimur. Nostisne morem Medicorum? Hi, si morbus ita convalescat, ut ejus pertinacia nulla arte superari queat: vel æger stomachi vitio, aut medicinæ horrore, vel etiam sua repugnantia respuat salutis remedia; tum enimvero re quasi desperata conclamant, ægrum destituunt. Morbi sunt scelera vestra peccatores: Medicus est æternus Pater: Gratiæ sunt medicinæ. Has si contemnatis, si refugiatis, quid, oro, sperari potest, quam ut Cælestis Medicus dicat: (s) Curavimus Babylo-nem, & non est sanata, derelinquamus eam. Experta tristem hanc à Deo derelictionem grandi suo malo Hierosolyma. Erat hæc olim Civitas sancta, Civitas electa, Civitas Deo grata, & accepta. At postquam in profundum peccatorum delapsa, Divinas Dei vocantis comminationes, & gratias contempsit, tum Civitatem hanc sanctam ita destituit Deus, ut per Titum funditus everterit.

r) Exod. 7. v. 13. s) Jerem. 51. v. 9.

terit. Jerusalem (t) Jerusalem! quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt; quoties volui congregare filios tuos; quemadmodum galina congregat pullos suos, & noluisti? ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. *Hæc vestra est facies O peccatores! Quoties Deus ad vos etiam suos misit Prophetas: interiores nempe animi motus, Divinos impulsus, stimulos salutare, qui arcana, ac cælesti quadam voce à vitiis deterrebant; & vos noluistis? Quoties sacri præcones pro concione proposito mortis metu, judicii horrore, inferni acerbitate ad detestandam peccatorum gravitatem inflammabant; nec tamen voluistis? Quoties immissis calamitatibus, morbis, ignominiiis ad saniora revocabat; & ne tum quidem sapere voluistis? Ne miremini, si scelerum vindex, & ultor Deus tandem edicat: ecce relinquetur domus vestra deserta! curavimus enim Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.*

4. Pars: quia derelictio adducit ad desperationem. *O tristem tunc derelicti hujusmodi peccatoris sortem! Quid eveniet? quam ut ad extremam devolvatur desperationem. Vidistis per sepe (non dubito) ægrum ad extrema deductum. Quid agit? quamdiu non destituitur Medicorum remediis, tamdiu spe, saltem dubia, salutis tenetur. At postquam de eo fuerit conclamatum; tum omnem abjicit fiduciam vitæ imposterum retinendæ. Quid vos peccatores? à Divino deserti Medico non abjicietis spem salutis consequendæ? Nollem*

H h 3

equi-

t) Matth. 23. v. 37.

PARS II.
CAPUT II.
ARTICUL. VI.
§ II.

equidem, ut abiceretis; verum aliud longe tristissimum desperantis Judæ exemplum docet. Hic minutis primum furtis insueverat: fur erat, & loculos habens, inquit (u) Joannes. Crescente postea paulatim avaritia, eo sceleris prolapsus est, ut cum Principibus Sacerdotum impia de Christo prodendo consilia ceperit agitare: Quid vultis, (x) inquit, mihi dare, & ego vobis eum tradam? Quid illi? constituerunt ei triginta argenteos. Et ecce, O impium, ac scelestum hominem! pecuniæ amore captus, exinde quærebat oportunitatem, ut traderet eum. Satis quidem, superque hominem, ut saperet, in ipsa etiam, cui ultimum accubuerat, cæna admonerat Christus. At frustra: impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Ergo abit, & acceptis triginta argenteis inaudita prodicione Christum tradit. Juda! quid agis? ergo discipulus Magistrum, creatura Creatorem, homo Deum prodidisti. O te infelicem! Nescis: Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur? Revertere à malis ceptis, retracta impia consilia, projice argenteos, dic: peccavi tradens sanguinem justum. Dixit, projecit, pœnitentia ductus est. At novinus: pœnitentia sera raro vera. Videns igitur Christum ad mortem damnatum esse, in desperationam actus, abjectis argenteis abiit, & laqueo se suspendit. Ista est inveteratorum infelicitas peccatorum, & peccati pœna justissima (ait Augustinus) ut qui recte facere, cum possit, renuit; amittat posse, cum velit.

Com.

u) Joan. 12. v. 6. x) Matth. 26. v. 15.

Complexio : ergo frequens in peccatum prolapsio , est obstaculum veræ pœnitentiæ.

Videte jam Auditores! quantum agenda veræ pœnitentiæ præbeat obstaculum crebra peccatorum perpetratio : hæc enim inveteratam parit consuetudinem : consuetudo indurat animum : induratus animus Divinarum Gratiarum facit contemptum : contemptus causat derelictionem : derelictio desperationem : desperatio quid? nisi æternam adfert damnationem. Quare si vos aliqua salutis vestræ cura tenet, exsurgite O peccatores! nolite comperendinare; sed ausu generoso discindite funes, confringite compedes, disrumpite vincula peccatorum, quæ vos circumplectunt. Hoc unum est remedium, quod facere oportet, ut aliquando asseramini in libertatem Regni Cœlestis. Nostisne, cur æmuli Alexandri Magni regnum Asiæ consequi non potuere; contra Macedo sine ullo temporis, & laboris impendio confestim fuerit consecutus? Illi nodum Gordium sensim solvere volebant; hic uno gladii ictu discidit, & Asia potitus est. Ita agendum est vobis, O peccatores! ut Regnum Cœlorum, quod vim patitur, & violenti rapiunt illud, feliciter obtineatis, discindite nodos; at non sensim; sed ictu uno, id est: concepto generoso animi proposito, dicite cum prodigo ad Patrem revertente: Surgam, & ibo ad Patrem meum, dicam: peccavi in Cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.

PARS II.

CAPUT II.

ARTICUL. VI.

§ II.

ARTICULUS VII.

PARS II.
CAPUT. II.
ARTICUL. VII.
§ I.

MODUS CONFIRMATIONIS PER INDUCTIONEM.

§ I.

Præcepta hujus Modi.

I. *Natura Modi.* Inductio est argumentatio, in qua ex multis singularibus non dubiis inferitur aliquid ipsis simile. Ita S. Ambrosius (y) de vera libertate disputans, ab inductionibus exemplorum fuse probat sapientem esse liberum; insipientem vero servum. Similiter Paulus (z) fidem extollit ab inductione Patrum à mundi exordio usque ad David, ac Prophetas multa fidei virtute operantium. Libet adscribere exemplum Cypriani (brevius utpote) unitatem Dei adversus Idola gentium ab inductione ita comprobantis: *Ad Divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando unquam regni societas aut cum fide cepit, aut sine cruore desit? Sic Thebarum germanitas rupta: sic Romanos Geminos unum non capit Regnum, quos unum uteri suscepit hospitium: Pompejus, & Cesar affines fuerunt; nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Neque hoc tu de homine mireris, cum in hoc omnis natura consentiat. Rex unus est apibus, & Dux unus in gregibus, & in armentis Rector unus. Multo magis mundi unus est Rector, qui universa, quæcunque sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat &c.*

II. Ob-

y) l. 2. epist. 7. ad Simplicianum. z) Ad Hebr. 11.

II, *Observanda in hoc Modo.* I. Multiplex est inductio: 1. Ab enumeratione partium specificarum. 2. A congerie plurium similium. 3. A pluribus comparatis, seu exemplis, ut patebit ex paradigmate. II. Dupliciter instituitur hæc argumentatio: 1. quando multa singularia in antecedenti per congeriem adducuntur; postea in complexione ex omnibus aliud simile infertur, quin prius sua singulis apodosi addatur, ut patet in allato exemplo. 2. Quando cuilibet singulari sua apodosi additur; postea rursum in complexione aliud simile infertur, V.g. Aquæ putent; nisi moveantur: ita homo, ni labore exerceatur. Aer deses fit pestilens: ita desidia ignavi corrumpuntur. Agri inarati fiunt senticeta: ita homo otio diffluens, totidem quasi sentibus, desædatur. *Complexio*: ergo otium non erit sine vitio.

§. II.

Paradigma hujus Modi.

Paradigma per Inductionem. Thema Concionis: Adversis gaudendum magis, quam prosperis. Partitio: quia 1. adversa hominem ad Deum adducunt. 2. quia prospera à Deo facile abducunt. Prima pars probatur 1. Ab inductione plurium exemplorum cum apodosi singulis subjuncta. 2. Ab inductione plurium partium specificarum. 3. Ab inductione plurium similium. 4. Ab inductione

PARS II.
 CAPUT II.
 ARTICUL. VII.

plurium rursus exemplorum; at sine apodofi-
 singulis subjuncta. (a)

EXERCITATIO.

§ II.

Propositio: Adversa hominem ad Deum adducunt: *Si quid verissimum unquam, illud certe dixit Gregorius: mala, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt. Si enim omnia nobis è voto, ac sententia fluerent, si secunda semper aura rebus nostris adspiraret, si nihil adversi, nihil timoris haberemus, Superi! quot nostrum essent (fateamur ut res est) qui Dei ne meminisse quidem vellent.*

Inductio plurium exemplorum cum apodofi singulorum: *Convertite mentem ad discipulos naufragii periculum subeuntes. Hi quamdiu tranquillo fruebantur cælo; reliquere Christum solum in puppi dormientem. At ubi motus magnus factus est in mari; ita, ut navicula fluctibus operiretur; tum enim vero anxii ad Christum accurrunt, opem implorant: (b) Domine, salva nos, perimus! Hoc ipsum in dies usuvenit Christianis: si cessaret Deus (ait Augustinus) & non misceret amaritudines felicitatibus sæculi, oolivisceremur Dei. Ut Divinæ igitur reminiscamur bonitatis, immitit animi tempestates, casus adversos, vitæ naufragia, calamitates, ut mala, quæ nos premunt, ad Deum ire compellant. Fratres Joseph ubi, oro, sceleris sui gravitatem leguntur agnovisse, nunquid in Ægypto? dum carcere, vinculis attenti, justo Cæ-*

a) Vide Segneri Serm. 27. Quadr. b) Matth. 8.
 N. 25.

li iudicio vexarentur; tum admissi in fratrem criminis recordati, merito hæc patimur, *ajebant*, (c) quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcirco venit semper nos ista tribulatio. O quoties Numinis obliti, suis sordibus, velut sus cæno, ac volutabro, adhærerent homines, nisi aduersitates, quæ sobriam faciunt animam, sapere, ac intelligere docerent: merito hæc patimur, quia peccavimus in Deum, idcirco venit super nos ista tribulatio. Divus quidem gentium Doct̃or Paulus incredibili semper in Deum amore ferebatur; quando tamen ardentius Dominum dicitur orasse: Ter Dominum rogavi, nonne cum gravioribus tentationibus acrius pulsaretur? Datus est mihi (d) stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi, cur? ut discederet à me; quid autem Deus? Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Haud secus nobiscum evenire solet. Pervidet sua infinita sapientia Deus, tam imbecillam esse virtutem nostram, ut rebus prosperis quam facillime labefactetur: ut eam igitur infirmitate perficiat, ac corroboret; immittit Angelum Sathanæ (ut olim in Jobum) qui gravissimis tentationibus, ignominitiis, morbis, detrimentis, cæterisque calamitatibus nos veluti colaphizet: rogamus tum equidem, & obsecramus, ut discederent; verum reponit Deus: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perfici-

e) Gen. 42. v. 21. d) 2. ad Cor. 12. v. 7. &c.

PARS II. ficitur. Videte Auditores, quis fructus, quod lu-
 CAPUT. II. critan, quæ sit utilitas adversitatum: mala nempe,
 ARTICUL. VII. quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.

§. II.

Inductio enumerationis partium. Ac ut veritas ista luculentius patefcat, revocate in memoriam, quibus, oro, temporibus majora in Deum pietatis opera exercuistis, quam adversitatum? Nonne tunc piam peregrinationem suscepistis; cum sterilitate damnati prolem à Deo flagitabatis: tunc liberalius eleemosynas erogastis; cum morbo detenti pro salute obtinenda Cælo supplicabatis: tunc precibus, orationi ardentius vacastis; cum calumniis petiti, ab infamia liberari petebatis: tunc jejuniis, corporis afflictationibus carnem macerastis; cum variis tentationibus gravius exagitati fueratis. En Auditores! quam verissimum: mala, cum nos premunt, tum maxime per opera pietatis ferventius exercita ad Deum ire compellunt.

Inductio plurium similium. Certe inmissis adversitatibus id ipsum video evenire, quod ebordis fidium accidere intuemur. Ut suavem illæ sonum edant, nonne violente attrahi, intendi, nec aliter, quam reus in equuleo, torqueri debent; secus laxatæ continuo dissonum quid, ac tumultuosum canere videbuntur? Vineæ ut palmites, uvæ, botros progerminet, an non pampini scirpicula, id est: falce vineatica incidi debent; secus steriles remansuri? Nunquam juniperi grana suavem redderent odorem, nisi ardentibus prunis injicerentur. Nostisne, qua arte, & industria aquæ in altum provebantur? certe cum patentem per campum quietius discurrunt; tum facile exundare,

in

in stagna, & paludes diffundi, atque illic putescere solent. Ut vero altius attollantur, angustos inter syphones, & canales constringi, ac impelli debent. Haud secus evenit mortalibus: cum prospere omnia ad votum fluunt, humi serpinus, facile diffundimur, quasi aquæ delabimur in terram, inquit Divinus(e) Spiritus, hæremus in stagnis vitiorum. At calamitatibus, velut inter angustias, constricti, tum enim vero caput in cælum erigimus, manus, & oculos ad Deum attolimus: levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (f). Quam apposite igitur olim de populo tuo Isaiâ dixisti (g), Domine: in angustia requisierunt te: mala enim, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.

Inductio plurium exemplorum sine apodofi singulorum. Nunquam ego dicendi finem facerem, si numerum eorum inire cuperem, qui angusto hoc tramite ad Deum pervenere. An unquam filium prodigum ad Patrem reversurum fuisse creditis; nisi calamitates, quibus premebatur, reditum persuasissent? Cum nudus, & famelicus porcos pasceret, nec pasceret solum; sed siliquis eorum vesci coactus, fame propemodum interiret; tum è labris expressum est: Surgam, & ibo ad Patrem meum. Manasses post gravissimam in Deum perfidiam Divinæ iterum se legi submit, dirutasque aras instauravit; at istud carceris diutini squalor, & pondera catenarum extorserunt. Antiochus post atroces Divini honoris inju-

c) 2. Reg. 14. v. 14. f) Psal. 120. v. 1. g) Isa. 26. v. 16.

PARS II.
CAPUT II.
ARTICU. VII.
§ II.

injurias pacem à Deo suppliciter poposcit ; sed vermes coegere miseri corpus crudeliter depascentes. Ipse David (h) palam confitetur : nunquam se Deo ardentius supplicasse, ac in calamitate : In die tribulationis Deum exquisivi ; qui tamen in prosperis, Dei oblitus, cum Bethsabæa petulantius lasciviebat. Quis jam ambigat Auditores, adversitates non esse viam, ac tramitem illum, qui nos ad Cælum ducat ? Certe mala, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.

Conclusio totius Inductionis. Hæc si ita sunt. Quantopere igitur gaudere, & exultare vos oportet, immo non gaudere solum ; at insuper submissas, quam potestis maxime, Deo vos prementi gratias habere. Quod enim grandius beneficium esse potest, quam ad Deum, ad Cælum compelli. Nunquid vos ipsi Deum optimum, Maximum oratis, ut voluntates vestras, quamvis repugnantes, vi quadam amica ad se trahat: nostras rebelles (inquit Ecclesia) ad te propitius compelle voluntates ; hoc ipsum est, quod inmissis efficere calamitatibus contendit Deus. Cur ergo ad primum fræni morsum, equi velut indomiti, assurgitis ? Ponite, quæso, ferociam, certoque persuasum habete : calamitates regiam esse ad cælum viam : mala enim, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.

ARTI-

h) Psal. 76. v. 3.

ARTICULUS VIII.

MODUS CONFIRMATIONIS PER EXEMPLUM.

PARS II.
CAPUT. II.
ARTIC. VIII.
§ I.

§ I.

Præcepta hujus Modi.

I. *Natura Modi.* Exemplum est argumentatio, qua ab uno pari ad aliud simile argumentamur. Vix differt à loco comparationis. V.g. Wenceslaus Bohemiæ Dux fratri suo Boleslao magna sua gloria injuriæ gratiam fecit, ergo gloriosum est parcere inimicis. Differt ab Enthymemate, quod in hoc semper aliquid genericum ponatur, vel intelligatur. Hac argumentationis specie crebro utuntur *Itali* Oratores, cum primis *Segneri*, alteram Concionis partem illustri exemplo solitus concludere.

II. *Observanda in hoc modo.* 1. Hæc exempla (ut ante dixi, meliora erunt sacra) quam profana. 2. E Scriptura potius, quam aliunde deprompta. 3. Ad leges bonæ Narrationis, vel amplificationis sunt exigenda, quas dicemus in Narratione, & amplificatione.

§ II.

Paradigma hujus Modi.

Paradigma per Exemplum. *Thema Concionis.* Mors peccatorum est acerba: 1. Recordatione præteritorum. 2. Intuitu præsentium. 3. Metu futurorum. Si primam partem per exemplum probare velis, ita argumentationem institues: Sauli commissa
præ-

PARS II.
CAPUT. II.
ARTICULUS. VIII.
§. II.

præterita vitæ crimina summos in morte angores peperere; ergo mors peccatorum est acerba recordatione præteritorum. (i)

EXERCITATIO.

Propositio: recordatio præteritorum acerbe angit in morte peccatores. Inter multiplices (ait Gregorius) animæ tribulationes, & innumerabiles afflictionum molestias, nulla major est, quam conscientia delictorum. *Est enim hæc crudelis quidam animi tormentor, qui tacitis ita aculeis mentem dies, noctesque discruciat, ut vel ad auræ sibilum trepidet cum Adamo, vel ad folii motum expavescat cum Caino. Hi poro angores licet semper, in extremo tamen vitæ articulo, cum fatalis imminet hora, quam maxime torquent animum peccatoris. Tunc etenim velut mare coorta fervens tempestate sordes omnes egerit; ita scelerati hominis conscientia tristi præteritorum recordatione fœdam scelerum imaginem sub aspectum ponit. Quis tunc animum sensus, quæ angustiae, qui dolores occupent? vos ipsi iudicate.*

Exemplum: Sauli commissa præteritæ vitæ crimina summos in morte angores peperere. Rex Saul gesto infeliciter prælio, cum à Philistæis victus, fugatusque fuisset, actus in desperationem gladium arripuit, & irruit super eum, quo lethale sibi quidem vulnus infixit; nec tamen, ut optabat, consciscere non potuit. Quid igitur consilii capit? videt prætereuntem tunc forte juvenem Amalecitem, supplici voce rogat, ut

ulti-

i) Vide Segneri Serm. 24. Quadr.

ultimam ceptæ jam morti manum admoveret: Sta (inquit) super me, & interfice me (k). Verum quid agis O Saul? Ergo tuusmet carnifex truculentam tibi ipsi necem inferre paras? Nescis: nos vitæ haud esse Dominos, sed ministros? Præstat in manibus hostium inglorium vivere; quam æternum insanem mori. At frustra: ingentibus animi doloribus pressus mortem præoptabat, ut se ocyus ab angustiis expediret: Sta, inquit, super me, & interfice me. Cur? quoniam tenent me angustiae.

Non dubito, quæretis ex me Auditores: cuiusmodi fuerint in Saule angores isti? Corporisne, an animi? Ab hominibusne, an à Dæmonibus excitati? Dicam: verum tristem prius Regis Antiochi casum percipite. Hic post gravissima, quæ Hierosolymis patrauerat, scelera; eo dementiæ venit, ut existimaret se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter habendum deducturum. Tandem ad mortis confinia delapsus, gravibus adeo ceperat conscientiae stimulis agitari, ut nec somnum capere valuerit: recessit (inquit) somnus ab oculis meis, & concidi, & corruï corde præ sollicitudine, & dixi in corde meo: in quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus tristitiæ (l). At quid, obsecro, turbaris Regum potentissime? recordare ingentium, quas retulisti, victoriarum. Tu Ægyptum, tu Palestinam, tu Syriam potestati tuæ subjugasti. Tu fortissimis quatuor exercitibus Asiam inundasti: terrore nominis tui extremis Nili accolis leges iuposuisti. Tua est

I i

Baby-

k) 2. Reg. 1. v. 9. l) 1. Machab. 6. v. 10.

PARS II.

CAPUT II.

ARTIC. VIII.

§. II.

Babylon, tua Susa, tua Antiochia, tua Hierusalem, urbes celeberrimæ. Quid ergo times? quid expavescis, ut nec quietem capere valeas præ horrore? Recessit somnus ab oculis meis. At his nihil proficientibus timet miser Antiochus. Et vero quis non timeret ad funestam tot gravissimorum, quæ Hierosolymis patraerat, nunc vero formidanda specie mors obijcit, scelerum recordationem? Recessit igitur, ait, somnus ab oculis meis, & concidi, & corruui. Cur? nunc enim reminiscor malorum, quæ feci in Hierusalem (m). En videte Auditores, & intelligite, quales angustia Saulis animum occupavere! Reminiscebatur nempe Rex impius malorum, quæ fecit in Nobe, cum Achimelechum Sacerdotem, Davidi hospitium præbentem, præceperat jugulari; idcirco agebat: Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustia. Non meum, sed Abulensis, celeberrimi Scripturarum interpretis, è phrasi Hebræa, verborum loco: tenent me angustia, hoc legentis: tenent me oræ vestimenti Sacerdotalis, est hoc testimonium. Videbatur sibi Saul (ait Abulensis) propinquus morti videre Sacerdotes Domini, accusantes eum, in judicio coram Domino. Atque istud est, quam ob rem gravissimis angustia premebatur Saul.

Ut hoc intelligatis, libet rem ab ovo, paulum diffusius, qui contigerit, explicare. Fugerat David Saulem persequentem. Accidit, ut lassus fame ac itinere, diverterit ad Achimelechum, urbis Nobe Sacerdotem. Exceptus multa, ut par erat, hu-

mani

manitate; quin etiam commeatu, & Goliathi gladio
instructus ad reliquum iter tuto prosequendum.

Advertit res ista perfidum, quod pone aderat, Saulis servitium: quare usitata famulis proditione, rem omnem confestim prodit Regi. Quid Rex? incredibile dictu! in quantam illico rabiem exarsit. Subet extemplo adesse Achimelechum cum reliqua Sacerdotum turba, quos corrugata fronte, diductis labiis, adducto supercilio, minacibus oculis, ignem, & flammam spirantibus severe intuitus, ita affatur: Heus Achimelech! tu ille sceleratus Vir es, qui Davidem, hostem meum, hospitio excepisti? Quin immo, reponit Achimelech, generum putabam, cui neminem in tota servorum tuorum corona scio tibi fideliorum. Recepi illum, ac porro recipiam: quis enim non recipiat Regis generum, & amicum? Vab perfide, respondit Saul, ergo tu quoque in caput meum, & coronam meam conjurasti? dabis meritas sceleris poenas! Eja, agite, satellites! actutum Sacerdotes omnes interficite. Rem miram! ne unus equidem repertus erat, qui auderet in Viros Sanctos manum admovere. Conversus ergo Saul ad servum Doeg Idumæum, illum ipsum, cujus ante memineram, Davidis proditorem. Hic vero irruit (n) in Sacerdotem, & trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo. Hæc est tragica Saulis, quam peregerat, scena. Jam ad propositum revertamur. Cum extremum morte Saul luctaretur, videbatur sibi (ait Abulensis) hos infelices octoginta quinque viros, omnes Sacerdotis ha-

PARS II. bitu conspicuos, vulneribus lividos, sanguine con-
 CAPUT. II. spersos, qui crudelem homini impietatem exprobra-
 ARTIC. VIII. bant: & animam, jam jam abituram, violente mor-
 § II. rabantur, ut graviore doloris sensu moreretur. En!
 hæc fuere angustiae, quæ miserum excruciant:
 Interfice me, quoniam tenent me angustiae.

Conclusio. Ergo recordatio præteritorum acerbe angit in morte peccatores. Quod Sauli, utinam non hoc ipsum eveniret unicuique peccatori! At usu docemur: terribilem, ac funestam in extremo illo mortis conflictu eorum mentibus scenam aperiri. Tunc horribili specie se se objicient mercenarii debita mercede defraudati. Tunc lugebunt, velut ante oculos positi, pauperes injuriis affecti. Tunc è faucibus inferni prodibunt pravus consiliis seducti adolescentes, mulieres constupratae &c. Et quid ad hæc peccatores? an non clamabunt cum Saule: tenent me angustiae. Ita enimvero clamabunt; nam inter multiplices animæ tribulationes nulla major est, quam conscientia delictorum. En! quam vere, sapienterque dixit David: Mors pessima peccatorum.

ARTICULUS IX.

MODUS CONFIRMATIONIS PER SUBDIVISIONES.

§ I.

Præcepta hujus Modi.

I. *Natura Modi.* Plerique recentiorum hujus ævi Oratorum, Galli præsertim, suæ partes Confirmationis per subdivisionem

tra-



tractare solent. Quid ea sit, quibusve legibus niti debeat? jam ante docuimus, cum de subdivisione egeramus; sunt tamen aliqua in usu Methodi hujus observanda.

II. *Observanda in hoc modo.* I. Subdivisio plerumque initio statim proponitur vel in Majore, si sit Syllogismus; si vero Enthymema, in propositione, seu antecedente, cujus dein partes singulæ ex ordine restant probandæ. En utriusque exemplum. 1. Syllogismi; sit partitio: homo recte agendo neminem timeat; male agendo omnem timeat. Primæ partis subdivisio ita effertur Syllogismo: *Tres sunt, qui ab homine timeri possunt: Deus, Angelus, homo; sed recte agendo nec Deus, nec Angelus, nec homo est timendus; ergo recte agendo nullus est timendus.* Si vero enthymema usurpare velis, præterita majore dices: *Recte agenti nec Deus, nec Angelus, nec homo est timendus; nullus ergo timendus.* 2. Fit tamen, ut subdivisio nec in majori, nec in minori; sed in minoris probatione proponatur, cujus exemplum habetur in paradiamate. 3. In Syllogismo, posita majore sæpe omittitur minor, & statim ipsa subdivisio inchoatur. 4. Quin observavi, celebriores etiam apud Oratores, prætermissa tam majore, quam minore, ac etiam Enthymematis antecedente, ipsas statim subdivisionum partes, unam ex altera per ordinem pertractari; quin ulla prius earum mentio vel generatim habeatur; in complexione tamen fit omnium anacephaleo,

PARS II. leosis, five enumeratio. Hujusmodi arte con-
 CAPUT. II. structa est Panegyris Sanctæ Catharinæ Bono-
 ARTICUL. IX. niensi dicta à Cesare Calini. 5. Singulæ partes
 §. I. subdivisionis rursus probari possunt, vel
 Syllogismo, aut Enthymemate, aut per Col-
 lectionem Oratoriam, vel Inductionem, aut
 Exemplum, vel etiam sine argumentatione
 per aliquem locum Rhetoricum, unum, aut
 plures. 6. Sunt, qui subdivisiones iterum, ac
 iterum subdividunt. At morem hunc *Vincen-
 tius Houdri*, nisi materiæ, vel artis ratio de-
 poscat, in vulgaribus præsertim concioni-
 bus, quæ breviores plerumque fieri solent,
 non admodum probat; in Panegyricis ta-
 men, vel si typis danda sit concio, non au-
 sim improbare, cum à celeberrimis Oratori-
 bus videam usurpari. 7. Non omnes partes
 æque sunt tractandæ: aliæ solent brevius;
 diffusius aliæ: immo sæpe Oratores per figu-
 ram præteritionis aliquas quasi præterire vi-
 dentur, ut postea longius uni, ubi vis ma-
 jor posita est Orationis, immorari queant.
 8. In complexione breviter subdivisionis
 membra colliguntur; quamquam hæc colle-
 ctio, si Oratori videbitur, omitti possit. Re-
 liqua huc attinentia jam ante retulimus.

§. II.

Paradigma hujus Modi.

Paradigma per subdivisiones. Sit thema:
 Extremum Judicium peccatori est summe
 formidandum. *Partitio*: i. ob Judicis poten-
 tiam.

tiam. 2. Ob Judicis sapientiam. 3. Ob Judicis justitiam. Si primam partem per subdivisionem Syllogismo propositam pertractare velis, ita institues.

PARS II.
CAPUT II.
ARTICUL. IX.
§. II.

EXERCITATIO.

Propositio, sive Major, cum subdivisione generatim posita: Judicum potentiam faciunt formidandam: 1. Si Judices summam habeant quam severissime reos judicandi auctoritatem. 2. Si rei nullam habeant evadendi hujus Judicii facultatem. *Ita existimo AA. Judicum tribunalia, ubi de hominum vita, sanguine, capitibus quæstio peragitur, duabus potissimum de causis reddi reis formidanda. Prima est Judicum auctoritas; altera est reorum difficultas. Auctoritas: quam severissime reos judicandi; difficultas: hoc judicium arte ulla evadendi. Utraque tanto formidabiliorem facit Judicum pro tribunali sedentium potentiam; quanto Judices majori præditi fuerint judicandi auctoritate; fontes autem ampliori eam evadendi destituentur spe, & facultate.*

Assumptio, sive Minor, cum subdivisione themati applicata: sed Divinus Judex in extremo mundi die summam habebit peccatores quam severissime judicandi auctoritatem; peccatores vero nullam habebunt hoc judicium evadendi spem, & facultatem. *Cogitate jam peccatores, quantus non pavor, quanta non formido occupare debeat animos vestros in extremo mundi die, cum feralem tubæ graviter insonantis vocem percipietis: Surgite mortui,*

PARS II.
CAPUT. II.
ARTICUL. I.
§ II.

venite ad iudicium. Sanctus Hieronymus, magnam illud sanctitatis, & doctrinae prodigium, palam de se profertur: quoties tristissimi huius soni vel cogitatio mentem subibat: toties totus corpore, totus animo contremiscere solebat. Et vos peccatores non expavescetis? cum è tumultu prodituri, terribilem subibitis aspectum advenientis non iam Servatoris, sed potentissimi Iudicis, cui summa inerit, quæ in orbe esse potest, vos quam severissime iudicandi potestas; vobis autem nulla suppetet eam evadendi spes, & facultas.

I. Pars primæ subdivisionis: Divinus Iudex in extremo mundi die summam habebit peccatores iudicandi auctoritatem, per Syllogismum quinquepartitum, cuius in probatione assumptionis fit secunda subdivisio. Ac ut primum de auctoritate loquamur: erit hæc tanta, quanta esse potest maxima, & severissima. (Major) Vesanus sit oportet, quisquis summam neget esse æterno Patri iustissimo Iudicio scelera iudicandi, vindicandi, plæctendi potestatem. (Ratio Majoris.) Quis enim Spiritus Angelicos Cælo deturbavit? Quis primum Parentem Paradiso expulit? Quis Sodomam, & Gomorrhæam igne delevit? Quis mundum ipsum diluvio peremit? Tua sunt hæc æterno Pater, tristissima profecto, manus ultricis monumenta, peccatoribus in terrorem, & exemplum relicta, futurum aliquando, ni sapiant, ut parem Divini Iudicis cum potestate magna, & majestare adventuri severitatem experiantur. (Minor) Et experientur certe. An nescitis? omnem à Cælesti Patre in Filium traductam esse iudicandi

di potestatem? Neque enim Pater (ait (a) Christus) judicat quemquam; sed omne iudicium dedit filio. (Ratio Minoris) Adverte, quid dicat: omne iudicium, id est: omnem, quæ ad formam, & rationem attinet iudicii quam severissime peragendi, auctoritatem dedit Filio. (Subdivisio secunda.) Dedit, ut quam strictissimam de rebus omnibus exigat rationem. Dedit, ut quam rigidissimam exactis de rebus proferat sententiam. Dedit, ut quam fidelissime prolatam exequatur. Et quid putatis? defuturumne triplici huic muneri Judicem Christum existimatis?

I. Pars secundæ subdivisionis. Ego equidem jam nunc intueri mihi videor ingentem impiorum hominum ad iudicis sinistram consistentium turbam, vultu pallidam, ore trepidam, crine horrentem, toto corpore contremiscentem. At cur expavescitis? mementote: Judicem esse Christum, illum equidem Christum, qui pro vobis homo factus de Cælo descendit, qui vitam, & sanguinem fudit, qui eo consilio venit, ut mundum salvaret; non iudicet. Nolite timere, nunc etiam pro innata sibi benignitate propitius erit. Esset; ni versa rerum alea omne ei iudicium dedisset Pater, id est: arctissime præcepisset quam severissimam à nobis exigendi rationem. Tunc certe id nobiscum eveniet, quod Evangelicus cum Villico iniquitatis fecisse legitur Herus. Hic cum sua ab eo vidisset bona dissipari, jubet hominem accersiri (p): Vocavit illum, & ait illi: quid hoc audio de te? quasi diceret: Heus perfide! en villicum te con-

I i 5

sti-

PARS II.
CAPUT. II.
ARTICUL. IX.
§ II.

stitui, & meam fidei tuæ substantiam credidi; tu prodigi instar filii dissipasti. Toti te domui œconomum, velut olim Pharao Josephum, præposui, ut mihi scœnori, ac utilitati fores; tu gravissima detrimenta intulisti. Redde rationem (q) villificationis tuæ; jam enim non poteris villicare. Hoc, aut simili modo Cœlestis nos etiam appellabit Judex, vocabit ferali tuba: Surgite mortui, venite ad judicium; tum unicuique dicet: quid hoc audio de te? Substantiam meam pessumdedisti, gratias contempsisti, beneficiis ingratus respondisti, redde rationem. O quantus pudor, quanta tunc confusio cooperiet facies vestras peccatores! Si nunc ægerrime fertis pro tribunali vel uni pandere crimen Sacerdoti, quid erit? cum toti pendentur orbi, cum abscondita tenebrarum illuminabuntur, cum occultissima scelera in lucem protrahentur: detegentur grandes injustitiæ, horrendæ lasciviæ, immania sacrilegia &c. An non timore, ac horrore concutiemini ad hanc Judicis, vos in quæstionem vocantis, severitatem?

2. Pars secundæ subdivisionis. Quid jam si sententia proferretur? Erit hæc etiam terribilis prorsus, ac funesta, quam Divinus ipse proferet Judex, voce alta, voce exaggerata, voce furoris, ac iræ plena peccatores allocutus: Discedite (r) à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Quid ea horribilius, quid rigidius, quid tristius esse potest? Si primi parentes grandi affecti sunt tristitia, cum

fo

q) Ibidem. r) Matth. 25. v. 41.

se de paradiso voluptatis ad aratrum, & sulcos Dei sententia damnatos, & ejectos viderent: si Agar magno occupata est mœrore, cum se è laribus Abrahami cum filio Ismaele expulsam cerneret: si ingens Mariæ, Aaronis sorori, injectus est pudor, cum lepra percussam è papilionibus ejecere. Nihilne miseris accidet peccatoribus in die iudicii? cum Divinam audierint sententiam, qua Cœlesti Paradiso excludentur: à Dei conspectu discedere jubebuntur: maledicti promuntiabuntur: ad Dæmonum consortia damnabuntur, ad ignem tota æternitate duraturum projicientur.

3. Pars subdivisionis secundæ. Erit hoc certe ed horribilius; quo exactius, ac fidelius hæc omnia Divinus confestim exequetur Judex. Christus quidem nunc misericordissimus est omnium Pater, qui nullius vult mortem peccatoris; sed ut convertatur, & vivat; in extremo tamen iudicii die alia longe ei facies est futura: tunc severum Judicem indutus, deposita misericordia sumet justitiam quam severissime exercendam. Exequetur enim latam ab se sententiam sine ulla mora, sine ulla spe illius vel in minimo relaxandæ. Audite, quid Matthæus dicat (s) Ite ibunt hi in supplicium æternum. Ibunt: qui? hi, in quos Cœlestis Judex hoc terribile vibrabit fulmen: discedite à me maledicti; hi, hi, confestim ibunt in supplicium, sive ignem æternum, quorsum Divinæ Justitiæ sententia in perpetuum conjicientur.

Complexio primæ partis primæ subdivisionis. Quid ad hæc peccatores? non contremis-

sci-

1) Matth. 25. v. 45.

PARS II.
CAPUT II.
ARTICUL. IX.
§ II.

scitis? non agnoscitis formidandam Divini Judicis potestatem? Agnosco O Deus, agnosco, summam tibi inesse peccatores judicandi auctoritatem; at una te oro, & obtestor, ut (t) non intres in judicium cum servo tuo: à judiciis enim tuis semper timui, & nunc tanto timeo magis, quanto clarius perspicio: nullam mihi superesse illius evadendi facultatem.

II. Pars primæ subdivisionis: Peccatores nullam habebunt hoc judicium evadendi spem, & facultatem, per Syllogismum tripartitum, cum nova subdivisione in majori proposita. Major. *Est hæc reorum in humanis tribunalibus damnatorum persæpe felicitas, ut severam Judicium evadant auctoritatem vel fugam capessendo, vel ad altius tribunal, aut Regis gratiam provocando. (Minor) Grandis profecto vestra etiam beatitas foret peccatores, si è Divini Judicis conspectu hac arte elabi possetis; sed O miseram vestram conditionem! tanta est Judicis Dei Filii potentia, ut ab ejus tribunali nec detur locus fugæ, nec appellationi.*

I. Pars subdivisionis secundæ. *Paulus Gentium Apostolus Festo Prætori falso insimulatus à Judæis, cum videret ferendæ in caput suum sententiæ iniquitatem haud evadere posse, Civis Romani jure usus, quo Tarsus, urbs socia Romanorum, Pauli vero patria, gaudebat, ad Cæsarem appellavit: Cæsarem (u) appello. Tum Festus: Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis. Quid vos infelices peccatores, ad Divinum Christi Ju-*
di-

t) *Psal. 142. v. 2. u) Act. 25. v. 11.*

dicis tribunal constituti, quorsum, oro, ibitis? cujus ad tribunal appellabitis? Cæsarum fortasse? at hi omnes stabunt ante tribunal Christi una vobiscum judicandi; & tametsi non starent, an putatis humana Cæsarum tribunalia Dei tribunali esse potiora, ut hinc eò liceat tuto appellare? Ad æterni Patris (inquiētis) qui major est Filio hominis, judicium confugiemus. O vos miseros, & infelices! non ergo scitis: quia neminem judicat Pater; sed omne judicium dedit Filio? Quid ergo agetis? gratiam fortasse implorabitis? verum cuius? Christi? sed hic Judex erit, qui orbem judicabit in veritate, & justitia. Nec Cælestis Pater ullius tangetur miseratione: judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam (x). Quid ergo consilii suscipietis?

2. Pars subdivisionis secundæ. Scio, scio, quid suscipietis? fugam, dicitis, corripiemus. Egregium, si placet Superis, consilium! Verum, priusquam illud ineatis, quero è vobis peccatores: à facie Dei quo fugietis, ut suo non vos illico brachio comprehendat? Scytharum Rex Itansura legitur Dario Regi, hosti suo jurato, tria diverse indolis animalia: glirem, piscem, volucrum cum sagitta veneno illita misisse, ad significandum (ut refert Clemens (y) Alexandrinus) ni se talpæ instar terræ visceribus abdiderit, aut piscis instar undis immerferit, vel in modum volucris in nubes, & auras avolaverit, manus, & sagittam suam haud evasurum. Barbara hæc Scythici Regis, & plena fastus erat jactantia; non item fo-

ret

x) Jacobi 2. v. 13. y) Strom. l. 5.

PARS II.
CAPET. II.
ARTIC. IX
§ II.

ret Dei. Quis enim est in orbe locus tam abditus, ac remotus, in quo Divinae Justitiæ immensa manus non vos illico corripere queat? Cælum dicetis? verum audite, quid (z) Psaltes dicat: Si ascendero in Cælum, tu illic es. Infernum? at si descendero in infernum, ades. Extrema maris? si habitavero in extremis maris, illic tenebit me dextera tua. Stellas, & sydera? si inter Sydera posueris nidum tuum. inde detraham te, dicit (a) Dominus. Et si detraxerit, putatisne fieri posse, ut iterum amittat? tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit, qui eruat eam, inquit (b) Isaias. (Conclusio) Frustra ergo peccatores, frustra spem vestram in fuga collocatis: frustra ad altius tribunal provocatis: frustra in gratia confiditis: in extremo enim judicii die nec fuga, nec appellatio, nec gratia locum habent. Tam horrendum est in Judicis Dei manus incidisse!

Conclusio totius argumentationis cum enumeratione, & motu. Hæc si ita sunt, videte jam Auditores, quod principio Orationis dixeram, quam terribilis, quam formidandus sit futurus extremi judicii dies ob Divinam Judicis potentiam. Judex enim summa præditus erit quam severissime peccatores judicandi auctoritate, sive spectemus quæstionis in eo instituendæ rigorem, sive sententiæ proferendæ gravitatem, sive exequendæ severitatem. Peccatores vero nullam habebunt judicii hujus tam rigidi, seu gratia, seu fuga, seu appellatioe evadendi facultatem. Et quid vos ad
hæc

z) Psal. 138. v. 8. a) Abd. 4. b) Isa. 5. v. 29.

hæc O Peccatores? non expavescitis? non contremiscitis ad tam tristem, ac funestam rei memoriam? adhucne sceleribus vestris Divini Judicis iram irritare pergetis? &c. Absit, O JESU absit, ut porro te laceßam! Peccavi, fateor, peccavi in cælum, & coram te, ut non sim dignus vocari filius tuus; sed en delicta mea paveſco, & ante te erubefco! id unum per tuum amorem, & sanguinem obteſtatus: dum veneris judicare, noli me condemnare.

PARS II.
CAPUT II.
ARTICULUS IX.
§. 11.

CAPUT III.

DE DISPOSITIONE RELIQUARUM
PARTIUM ORATIONIS.

Reliquæ partes Orationis, quarum dispositio restat explicanda, sunt: *Confutatio, Narratio, Digressio Moralis, & Peroratio*, quas totidem Articulis exponemus.

ARTICULUS I.

DE CONFUTATIONE.

§ I.

Leges Confutationis.

Confutatio (Ciceroni (c) *reprehensio*) est pars confirmationis, qua rationes objectæ, vel saltem objiciendæ diluuntur. Dixi: *pars confirmationis*: nec enim sufficit Oratori propositum suum argumentis stabilire; sed præterea opus est rationes oppositas infirmare, ut causæ veritas magis pateſcat. In usu hujus sequentia sunt servanda.

I. Con-

c) l. 1. de Invent.

PARS II.
CAPUT. III.
ARTICUL. I.
§ I.

I. Confutatio olim in genere judiciali vix unquam poterat præteriri; at nunc etiam sacris in Concionibus crebro est usurpanda, maxime in genere Polemico; cum fidei nostræ capita explicamus, vel tuemur, aut firmamus adversum Sectarios; quin sæpe adhibetur in themate etiam morali, maxime difficiliore, quod sensui, vel rationi repugnare videtur.

II. Licet tota interdum Concio (si sit Polemica) vel saltem pars una impendi possit dissolvendis ex ordine difficultatibus; plerumque tamen sub finem totius argumentationis, cum ad complexiones, vel perorationem acceditur, subjici solent; quantum objecta levia, ac breviora non sint ad finem differenda; sed statim ipsi, ubi occurrerint, argumento per figuram anteoccupationis subdenda, ac diluenda.

III. Caveat tamen Orator, in Concionibus maxime Polemicis, ea objicere, quæ vix Auditori (præsertim rudiori) in mentem venissent; vel difficilius intelligi, aut explicari queunt.

IV. Refellantur autem objecta ordine converso, quam dixerimus argumenta in confirmatione esse proponenda: initio, & in fine debiliora; validiora in medio, ob rationem oppositam.

§.II.

§ II.

Modi Confutationis.

PARS II.

CAPUT III.

ARTICUL. I.

§ II.

Confutatio (ut ait (d) Cicero) fonte *inventionis eodem utetur, quo utitur confirmatio, propterea, quod quibus ex locis aliqua res confirmari potest, iisdem potest ex locis infirmari; exponemus tamen modos reprehensionis, quos, qui observabunt, facilius ea, quæ contra dicentur, diluere, aut infirmare poterunt. Septem autem modos suis cum exemplis proponam.*

I. Modus: *Negando.* Cum rem objectam ostendimus non esse factam, vel aliter factam, absurdam, incredibilem, repugnantem loco, tempori, personæ, ingenio, moribus, cæterisque adjunctis. Aut si comparabile, vel simile adferatur; dissimile esse ostendatur. Vel complexio male consequi demonstratur. Hujusmodi à repugnantia morum factæ confutationis exemplum habetur supra de Josepho Ægyptiaco in loco Definitionis. Sit alterum ex *Campiano* (e) mutatis paulum verbis, quo res objecta ostenditur non esse facta: item aliter facta. *Nunquid ad Concilium, quorsum semper antea provocaverant Adversarii, fide publica Tridentum invitati fuere? cur igitur adesse recusarunt, ut nos refellerent, in quos velut ranunculi coaxant è cavernulis? Dicent: tristia Hussi, ac Hieronymi Pragensis exempla cautos reddiderunt, quibus fidem fregere. Qui? Constantiensis Concilii Proceres. Falsum est: nullam enim dedere. Sed nec in*

K k

Huf-

d) *Lib. 1. de Inv. c) In decem Rationibus, Rar. 1.*

PARS II.
CAPUT III.
ARTICUL. I.
§ II.

Huſſum tamen animadverſum fuiſſet, niſi homo perfidus, ac peſtilens, retractus ex fuga, quam ei Sigifmundus Imperator periculo capitis interdixerat, violatis etiam conditionibus, quas ſcripto pepigerat cum Cæſare, vim omnem illius diplomatis enerwaſſet, &c.

II. Modus : *Redarguendo.* Cum oſtendimus rem objectam ſecum ipſo pugnare, ſibiſque contradicere. Exemplum. *At quæro ex vobis Adverſarii : quo jure, qua authoritate corpus Biblicum diripitis? Quis illius detruncandi poteſtatem vobis dedit? Scio perbelle, quid reſpondeatis : vos veras Scripturas non excindere ; ſed excernere ſuppoſititias. Verum, quo Judice? ait : Spiritu Sancto. Si Spiritu Sancto? cur ergo alias alii Scripturas lancinatis? cur non pari conſenſione conſpiratis ad eaſdem vel probandas, vel condemnandas? tamen omnes eodem Spiritu gloriamini? Calvinianorum ſpiritus recipit ſex episto- las, quæ ſpiritu diſplicent Lutherano ; freti tamen uterque Sancto Spiritu. O bellum hunc ſpiritum! Aut igitur fatendum eſt : vos Divino non agi Spiritu, aut certe Divinus Spiritus falli, ac fallere neſcius ſecum ipſo pugnat, ſibiſque contradicit ; dum aliud uni, aliud inſpirat alteri. Quis hoc ſcelus ferat?*

III. Modus : *Retorquendo.* Cum tela ab Adverſariis objecta retorquentur, in eodem, vel pari genere ſolvenda. Exemplum : *O barbarum (aitis) tranſubſtantiationis vocabulum! quod nuſquam in Scripturis reperitur, quod tota antiquitas ignoravit. At demns, ſit ita : ig-
nora-*

noravit, non reperitur. Quid tum postea? nunquid nec Homouſii, nec Trinitatis nomen ſacris in litteris habetur? nonne ante Nicæni tempora neutrum orbi notum erat? Quis tamen veſtrum cum Ario barbarum auſit appellare? impiuin aſſeverare? Dicetis: Rem (quod ſatis eſt) Homouſii, ac Trinitatis nomine ſignificatam, ſcimus in Scripturis reperiri; à tota retro Chriſtiani- tate credi; Nicæni calculo approbari. Miſeret me veſtri magnopere Auditores, quod hoc reſponſo non modo nodum non diſſolvatis; ſed gravius implicetis. Certe res tranſubſtantiatiſationis nomine expreſſa ſacris quoque in Bibliis invenitur: hanc jam ante, quam ipſum vulgo nomen uſurparetur, Græca, æque ac Latina credidit Eccleſia: Tridentini quoque Patres ſuo illud ſuffragio comproba- runt, & tamen vos in dubium revocare audetis? Si audetis? revocate etiam Sanctiſſimum Homou- ſii nomen, revocate Sacroſanctum Trinitatis my- ſterium, tricipitis Cerberi cum impio Serveto, blaſphemia notate, Videte, quantum in præcipi- tium veſtra vos adducat opinandi libido &c.

IV. Modus: Elevando. Cum adverſa argu- menta nequeunt negari; elevantur tamen, ac imminuuntur: 1. Oſtenſa eorum infirmi- tate: non eſſe tam valida, ac videantur: ſumpta eſſe dubia pro certis: eſſe fallacia, æquivoca: nullo, vel exiguo, aut falſo fun- damento nixa. 2. Excufando ab adjunctis perſonæ, temporis, occaſionis &c. Vel ea, quæ crimini dantur, facta eſſe caſu, fortu- na; immo ex virtute, vel alia de cauſa. 3. Si

PARS II.
CAPUT III.
ARTIC. I.
§ II.

dicatur rem objectam majoris boni utilitate compensari. Denique si refellatur comparatione. Sint exempla: 1. Attenuando. *Serva cor tuum, ait Sapiens, O Christiane. Servarem, inquires, perlibenter, ni à Dæmone, hoste potentissimo, gravissimis omni loco, & tempore, per vim, & fraudes tentationibus infestarer, quibus vel invito est succumbendum. O imbellem animam! Ergo tu Dæmonem tam potentem, tam validum hostem esse putas, ut nequeat superari? Verum est: attenda nocendi voluntate Leonem esse rugientem, qui circuit, quærens, quem devoret; at si potestatem spectes, persimilis est Melampo catenis adstricto, qui latrare potest, mordere non potest, nisi accedentem. Contemne, & vices. 2. Excusando. Gravissima me affecit injuria, scelus ulciscar. At quæro ex te Christiane: quali injuria? nonne verbo quodam paulum ignominioso, subita ira, imprudenter verius, quam nefarie prolato? & hoc ulcisceris? si ulcisceris? ostendes profecto potentiam tuam contra folium, quod vento rapitur, & stipulam siccam persequeris. 3. Compensatione: Durum est, ais, contra stimulum calcitrare. Durum enimvero; at suspice Cælum O Christiane! vide, quantis illic hæc modica difficultas præmiis compensetur. Modicum, & leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in nobis, inquit Paulus. Comparationis exemplum habes in loco Comparationis.*

V. Modus: Distinguendo: vel rei objectæ sensum, aut verba explicando. Barla-
jus

jus (f) *Neque validius in nos telum expediunt à Domini verbis : Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Nam si simpliciter velint intelligi carnem Christi nihil prodesse, quæram ab ipsis, cur dixerit Christus : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ? sibi repugnantem autumant Christum ? absit ! quid igitur ? omnino coguntur distinguere de modo, quo sumpta Domini caro profit, & de modo, quo non profit : nempe Capharnaitas, qui Christum audiebant, finxisse animis pinguem aliquam, indignamque rationem, & omnino carnalem, qua is se manducandum assereret ; ideoque in hunc sensum locutum esse Christum : non prodest caro sic sumpta, ut intra vos cogitatis ; at altiori, magisque spirituali, quam creditis, ratione me tradam, & à vobis sumptus in cibum vivificabo animas vestras. Ita de modo sumptionis ; non de ipsa simpliciter sumptione dixit Christus : caro non prodest quidquam.*

VI. Modus : *Irridendo, vel indignando. Sit exemplum primi : At nos teneriori fuimus natura comparati ; quam ut libidinis æstum domuisse poteramus. O molles, ac delicatos trosculos ! Ergo Cœlites ferrei erant, aut ænei ? non perinde, ac vos ex ossibus, & nervis : ex carne, & sanguine compacti ? gravissimis tentationibus exagitati ? Et tamen poterant hi, & hæc, & tu non poteris, quod isti, & istæ ? Exemplum alterius. Non possum, ais, non committere, ne veteres in libidines*

K k 3

non

f) In Parænesi l. 2. c. 2.

PARS II. non relabar. O te canem, vel suem, non vero bo-
 CAPUT III. mine! Hic enim vero approbas, quod Divus olim
 ARTICUL. 1. dixerat Petrus: contingit eis, ut illud ve-
 § II. ri proverbii: canis reversus ad suum vomitum; & sus lota in volutabro luti.

VII. Modus. Contemnendo adhibitis jocis, salibus, cavendum tamen in Concionibus maxime Polemicis adversus Sectarios, ne degenerent in scurilitatem, maledicta, vel dicacitatem. Exempla: 1. Contemptu. *Vis, ut respondam? facerem profecto, ni tua ejusmodi ponderis essent objecta, quæ protulisse jam esset refutasse. Item: Videris mihi sane bis objectis domum in arena edificare, vel in aere arcem construere: tam levia sunt, quæcunque attulisti, argumenta, ut uno confestim halitu diffuari queant.* 2. Jocis, salibus. Ut si cum Hieronymo adversus Vigilantium Hæreticum diceres: *Vigilanti! tu vigilans dormis, & dormiens scribis: proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ à te, & similibus tui legitur. Ubi scriptum est: quod post mortem nullus pro aliis audeat deprecari? quem ego librum nunquam legi. Quid enim necesse est in manus sumere, quod Ecclesia non recipit. Vel Anonymi in Calvinum. Non agam tecum bone Vir convitiis: scio, reverenda esse tua, quæ in corpore portas, stigmata, præsertim, si essent Jesu Christi; illud tamen dico &c.*

§. III.

Formule Confutationis.

Confutatio, ut ornatior evadat, figuris vestiri, ac perpoliri solet, quarum formu-

mulas ex præstantiorum Oratorum lectione condifces; sint tamen aliqua earum exempla.

PARS II.
CAPUT. III.
ARTICUL. I.

§ II.

I. Per Præoccupationem. *At tametsi non videam, animo tamen præcipio: quid cogitetis? Durus est hic, aitis, sermo: & quis potest eum audire? At nunquid Capharnaitis etiam durus erat; Christus tamen dicit: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Si vere? non igitur tropice, non figurate solum; sed vere, id est: re ipsa cibus, re ipsa potus &c. Item: At dicet forsitan vestrum aliquis: rem hanc clarissimis Scripturæ testimoniis adversari. Verum ubi? apud Joannem aitis: verba, quæ ego locutus sum, spiritus, & vita sunt, id est, Chrysofomo interprete, spiritualiter intelligenda sunt. Ergo ad obscuram hanc Christi sententiam alia aperta, perspicua, clarissima dicentis verba: caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus in vestrum præposterum sensum detorquere audetis? &c.*

II. Per Interrogationem. *Quid ad hæc respondebitis (opponetis) quod non confestim validis rationibus refelli queat? Illud fortasse: Ego sum vitis, vos palmites? &c. At quis nescit, hic Christum figurate locutum esse &c. Item: Quid ais O Christiane? Ergo impossibile est Divina implere mandata? si impossibile? qui igitur poterat dixisse Christus: jugum meum suave est, & onus meum leve.*

III. Per Distributionem. *Video omnia, quæ vos retinent, rationum momenta (Vel: ne quid*

PARS II.

CAPUT. III.

ARTIC. I.

§ II.

quid difficultatis ad declarandam rei præsentis veritatem videar præteruisse, omnia, quæ vos retinent, rationum momenta ad tria potissimum video capita revocari, primum: quia Christum in Eucharistia vere esse præsentem non sensui tantum; sed etiam rationi asseritis repugnare. Alterum: quia Divinissimam ejus Majestatem dedecere putatis. Tertium: quia apertissimo Christi contrarium perhibentis testimonio adversari existimatis. Verum hæc omnia haud ita firma sunt, ut iis propositæ jam ante rationes valeant infirmari. Rem ex ordine prosequamur.

IV. Per Apostrophen. Adeste jam Adversarii! vos ego hic appello: te cumprimis sceleratissime hominum Socine! exurge tuo de sepulchro, dic: quibus rationum momentis miserrimam hanc, & infelicem populi multitudinem à credenda Christi Divinitate poteris abduxisse &c.

V. Per Præteritionem. Sunt equidem multa, & pene innumera, quæ ad labefactandam rei hujus veritatem congeruntur verius, quam solide adferuntur argumenta. At ego hæc brevitatis gratia prætereo; illud tamen dissimulare haud possum, ut non hoc confutem: offensæ gratiam præbere, ignavi prorsus animi argumentum esse.

VI. Per suspensionem. Miseret me vestri magnopere Auditores, vos eo cæcitate, ac tenebrarum prolapsos esse, ut ad apertam Divinæ veritatis lucem cæcutiatis. Dicite: quid esse poterat, quod tantam oculis vestris caliginem valuerat affudisse? &c. Fortasse illud? &c. At &c.

VII.

VII. Per admirationem. *Admiror vehementer Auditores, quid esse potest? Vos ceterum viros oculatos, ingenio perspicaces, doctrina præcellentes, rem tam perfacilem haud capere posse, dicam potius: nolle. Ergo hæc minutia tantum apud vos momenti, ac ponderis habere possunt, ut &c.*

Similiter institui potest per Concessionem, cujus exemplum habetur in Modo III. Item: per Communicationem &c.

PARS. II.
CAPUT. III.
ARTICULUS II.
§. I.

ARTICULUS II.

DE NARRATIONE.

§ I.

Leges Narrationis.

Narratio olim in genere Judiciali non ultima pars erat Orationis, alterum statim ab exordio locum obtinere solita; his temporibus in Eloquentia Sacra nullum certum locum habet; sed jam huic, jam illi Orationis parti brevius, aut fusius, ut res postulerit, admiscetur. Est autem Narratio rerum gestarum, vel quasi gestarum expositio. Dixi: *quasi gestarum*: ne fabula, aut parabola, vel apologus excludatur. Suas hæc etiam leges habet.

I. *Sit brevis.* Erit, si narrandi initium non altius, ab ovo (ut ajunt) repetatur; verum unde necesse est. 2. Si adjuncta ad rem solum pertinentia adferantur. Unde plures historiarum partes, ac eventus ad propositum parum, aut nihil conducibiles, omittantur.

PARS II.
CAPUT. III.
ARTICUL. II.

3. Si inutiles periphraſes, aut digreſſiones reſecentur.

§ I.

II. Sit *perſpicua*. Fiet, ſi 1. verbis propriis, & uſitatis inſtituatur. 2. Si ordo temporis ſervetur; ſervabitur autem, ſi Narrationem (ut plerumque faciunt) diviſeris in eventus initium, medium, ac finem. Sic in parabola Filii prodigi, diſceſſus è domo paterna ſuis cum adiunctis antecedentibus, comitantibus, & conſequentibus deſervit initio: commoratio extra domum paternam ſuis iterum cum circumſtantiis eſt medium: reditus ad domum paternam eſt finis, quæ tria, ne aberret Narratio, diligenter ſunt obſervanda; niſi ratio, aut varietas aliud depoſcat. 3. Senſus, & periodi ſint breves, nec circumductæ, nec multis, aut longioribus parentheſibus, vel relativis interſtinctæ.

III. *Probabilis* erit: 1. Si rei geſtæ ſeriem exponat ſine fucò, ſine lenociniis, ac verborum calamitris. 2. Si fidei nihil abſonum adferat, vel à communi hominum ſenſu abhorrens. 3. Si quid vero ſimile non appareat, præmuniat Auditorem, vel cauſam reddendo: *ſprevit avarus pecuniam: quoniam inde videbat ſibi periculum imminere.* Vel conſitando, quod negari nequit. *Mirabile dictu, ſi referentibus fidem habemus. Mirum eſt; verum tamen: nam certis authoribus compertum habemus.* 4. Si clare, aperteque exponas circumſtantias, & adiuncta perſonarum, locorum, ac

tem-

temporum, unde maxima Narrationi fides conciliari solet.

IV. Sit *suavis*. Ad hanc obtinendam utatur Orator verbis nitidis, elegantibus, ac numerosis: interspergat sententias, adagia, vel acute dicta. 2. Stylus jam sit tenuior, jam amplior pro varietate, & ratione materiae, qui affectum exprimat, id est: tristitia tristiter: læta hilariter: iracunda irate: horrenda ad horrorem narret. 3. Ornetur figuris, maxime sententiarum, cujusmodi sunt: hypothiposis, suspensio, apostrophe, exclamatio, communicatio, dialogismus, subjunctio, ironia, &c. 4. Præmittatur Narrationi proœmii instar brevis sententia, aliena, vel Oratoris propria: rursus in fine claudatur brevi epiphonemate, vel etiam apodosi diffusiori, cum digressionem, & applicationem morali, si Narratio ad motum, & affectum in Auditore excitandum usurpetur.

§. II.

Paradigmata Narrationis.

Paradigma I. Narrationis divisæ in eventus initium, medium, ac finem, cum brevi proœmio, & epiphonemate, per figuram apostrophes, hypothiposeos, suspensionis, subjunctiois, exclamationis, dialogismi &c.

EXERCITATIO.

Initium Narrationis cum brevi proœmio. *Iusto Dei iudicio fit* (ait Innocentius hoc nomine Papa tertius) *ut, qui cum potest homo con-*
verti,

PAPUS II.
CAPUT III.
ARTICULUS II.
§. 1.

PARS II. *verti, & non vult; cum vult, forte converti non*
 CAPUT III. *possit. Id per sepe evenire, in parabola decem Vir-*
 ARTICUL. II. *ginum tristi sane exemplo docet Christus. Accidit,*
 § II. *ut Sponsus Evangelicus suæ nuptias Sponsæ ador-*
naturus, pro more regionis, etiam Virgines invi-
tarit, quæ Sponsam paternis ab ædibus disceden-
tem, accensis vespere lampadibus in Sponsi domum
comitarentur. Harum quinque erant fatuæ; quin-
que prudentes. Prudentes: suas tempestive lucer-
nas oleo instruxerunt; venienti igitur Sponsæ con-
festim paratæ occurrerunt. Fatuæ contra, hic
etiam (ut erant) se fatuas probavere; neglecta
enim comparandi olei cura, accensis haud poterant
lampadibus obviam processisse.

Medium Narrationis. *Quid fit? Sponso,*
moram casu faciente, dormire ceperunt, ac re ipsa
altum etiam indormierunt omnes. Interea mediam
sub noctem ingens repente exoritur clamor: (Apo-
strophe) Heus Virgines! quam ocyssime adeste,
vestras quanta maxime potestis celeritate lucernas
apparate, obviam exite, ecce Sponsus venit! (Hy-
pothiposis) Tunc sine mora consurgunt omnes,
lampades arripiunt, exornant, prudentes accen-
dunt, atque in occursum adventantis Sponsi non
tam procedunt, quam currunt. Quid autem fa-
tuae? hæc etiam suas corripunt lucernas; verum
oleo destituta, ut repente fuerat accensa; ita su-
bito extinctæ. (Suspensio cum subjectione)
Quod igitur consilium suscipiunt? cum sororibus
abierunt fortasse? abiissent; at Sponsi metus
sine lumine venientes repulsuri magnopere pro-
bibebat. Remanserunt? remansissent enimvero; sed

à nuptiis excludi noluerunt. Quid ergo? sero sapere cum Phrygibus doctæ, anxie, ac solícite (semper enim sententia aperta malum præsens gravissime angere solet animos futuri incurios) ultimam, quæ supersuerat, tabulam arripiunt, vertuntur ad præces, rogant prudentiores: (brevis dialogismus) O bonæ sorores! date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. Dederuntne prudentes? dedissent enimvero, ni prudentia præditæ fuissent: ne forte (inquiunt) non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.

Finis Narrationis. Tandem abierunt, ac dum emere pararent (exclamatio) O miseras & infelices! ecce Sponsus venit, & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. Tum novissime adveniunt cum oleo & imprudentes, fores pulsant, orant: Domine, Domine, ecce adsumus, aperi nobis. Audiitne Sponsus? audiit; haud tamen exaudiit; verum indignabundus eas facessere iussit: Amen dico vobis: nescio vos. Tanti refert (Epiphonema) in tempore sapuisse! Est hæc justissima peccati pœna, ut qui recte facere, cum possit, renuit; amittat posse, cum velit.

Paradigma II. Narrationis rursus divisæ in eventus initium, medium, & finem cum apodosi, & applicatione morali, per figuras apostrophes, suspensionis, exclamationis, fictionis, prolopopææ, interspersis sententiis apertis, occultis. (g)

Ex-

g) Vido Sogneri Serm. 13. Quadr.

EXERCITATIO.

PARS II.

CAPUT. III.

ARTICUL. II.

§ II.

Initium Narrationis cum proœmio. *At demus familiam vestram bonis inique partis fama crescere, gratia florere, altum provehi, bonoribus augeri, fortunis stabiliri. Quid tum pstea? an inde quoddam operæ vestræ pretium referetis? Mibi certe, ut videtur, nullum, nisi illud fortasse, ut justo Dei judicio hunc ipsam exaltatæ per vos familie splendorem seris aliquando lachrymis cum Agrippina Neronis matre deploretis. Romani referunt fasti: mulierem hanc ardentissime exoptasse, ut Neronem filium Romæ imperantem videret. Monuerant eam quidem Chaldæi Aruspices in consilium vocati, futurum, ut filius sceptrum teneret; sed matris sanguine aspergendum (suspensio) Quid hæc mulier? destititne à proposito? mutavitne consilium? debuisset enim vero (sententia occulta) ni cæca insipientem ambitio excæcasset. Quid ergo? Nil interest, ait, occidat; modo imperet. O stultam vocem! O præposterum iudicium! (Apostrophe) Agrippina! quid agis? ergo exiguum filii honorem vitæ tuæ præfers? tibi mortem; illi gloriam exoptas? Si sapias, muta consilium, dic: non imperet, si occidet. At frustra: (sententia aperta) tam stultus est amor, tam stulta ambitio, ut suam suo etiam detrimento velit expleri cupiditatem.*

Medium Narrationis. *Explevit quidem infelix Agrippina; at non diu expletæ cupiditatis solatio perfruita: cum cerneret imperantis filii crudelitatem; vota inconsulte concepta damnavit, totaque in id incubuit, ut pulso Nerone privignum*

Bri-

Britannicum regno sufficeret; cui natalium jure sceptrum debebatur; quin palam nunciat Neroni: futurum, ut ipsamet ad exercitum proficiscatur, militum animos muneribus, adhortationibus, lacrymis permotura, ut novi decernant Principis electionem. Verum quid minæ profecerunt? an Neronem à vitæ instituto abduxerint? an scelera correxerint? (sententia aperta) Durum est annosam quercum radicibus extirpare: secari potest, non evelli; at tum etiam magnopere metuendum, ne securis impatiens repente opprimat ferientem. Oppressit Nero: nam Britannicam veneno tolli; Matrem vero honoris specie jussit ad palatium reduci arcte custodiendam. (Fictio cum Prosopopæa) Fingite jam Auditores in hoc rerum articulo, unum aliquem ad Agrippinam solandi causa accessisse. Eja Princeps Augusta! quid affligeris? recordare vocis generosæ: occidat; modo imperet. En jam filium throno insidentem, totique Romæ jura dantem vides! cur angeris? cur mortem times? quam ultro elegisti, ut Neroni tuo imperium parares. Edicite, obsecro, (communicatio) Auditores, quid vobis videtur? si unus aliquis hoc, aut simili sermone Agrippinam aggressus fuisset, putatisne, ullum inde solatium habituram?

Finis Narrationis. Quin existimo majores in furias agendam fuisse, ut re ipsa (teste Tacito) acta fuit: dum enim stricto acinace ingredientem intueretur centurionem, ut ei vel gulam secaret, vel pectus transfoderet, vesanæ similis uterum ostendit: hic, inquit, feri hic! In mortem Centurioni ferrum distringenti (ait Tacitus)

pro-

PARS II.
CAPUT. III.
ARTICUL. III.
§. II.

protendens uterum : ventrem feri exclamavit. *Quo id consilio fecerit Agrippina? an in detestationem parricidii, aut vindictæ de se ipsa repetendæ, quod Neronem tam crudele orbi monstrum utero peperisset? nolim definire; illud tamen fidenter assevero: justam à Deo punitæ ambitionis poenam extitisse. (Epiphonema) Ita nempe fit, ut per quæ quis peccat, per eadem etiam puniatur.*

Apodosi cum adhortatione morali. *Veniam peto Auditores, quod hanc profanam, meo tamen proposito admodum profuturam paulum productius expenderim narrationem. Si Agrippina amore filii sanguinem fundere parata, ut ei purpuram tingeret; in mortis tamen articulo adeo mentem, affectumque mutavit; quid vobis accidet miseris ad æterna inferni supplicia (quod Superi avertant) eapropter damnatis, quod filios, & hæredes non Imperatores, sed è plebejis cives, è civibus nobiles, è nobilibus optimates injuste effeceritis? an non præ omni frendebitis Agrippina? Nunc quidem exaltatæ familiæ splendoribus capti, ait: pereat anima; modo floreat familia; at erit aliquando tempus, erit, quo insultum hunc posteritatis amorem, nil proficientibus lachrymis sero estis deploraturi. Si tunc ex inferni faucibus emergere, ac lares vestros repetere liceret, certe omnes familiæ opes, ac divitias: omnia scrinia, & horrea: omnes agros, & fundos: omnia inique congesta, quamcunque amplissima forent, fortunæ bona, tanquam tristissima vestræ infelicitatis instrumenta, momento in cineres, & favillas redigeretis. Ne vos igitur tam sera, ac funesta*

nesta sceleris vestri aliquando subeat pœnitentia, per amorem, ac salutem vestram vos oro, & obtestor O Christiani! deponite hunc perversum posteritatis amorem, vestram potius curate salutem, curate animam, omni auro, omni honore potiozem. Amate quidem, baud moror, propinquos vestros; sed magis animam: amate caducam, fluxamque felicitatem; sed æternam longe magis amate beatitudinem: amate gloriam terrestrem; sed multo amplius Cœlestem. Verbo: amate, non obsistimus, amate filios vestros; sed tamen secundo à vobis gradu. Ita illos diligite (O verba eximia) ita illos diligite, ne vos odisse videamini: inconsultus namque, & stultus amor est, alterius memor, sui immemor. Ita Salviamus.

PARS II.
CAPUT III.
ARTIC. II.
§ II.

ARTICULUS III.

DE DIGRESSIONE MORALI.

§ I.

Leges Digressionis Moralis.

Digressionem veteres etiam adhibuere Oratores, quam, teste (b) Quintiliano, *alienæ rei, ad utilitatem causæ pertinentis, extra ordinem excurrentem tractationem* dixere, plerumque delectationis, vel ornatus, vel amplificationis gratia usurpatam. Hujusmodi sunt: expositiones rerum gestarum, descriptiones locorum, regionum, personarum; tractationes communium locorum de vitiis, virtutibus &c. quas his, aut similibus formu-

L 1

lis

h) *Inst. Orat. l. 4. c. 3.*

PARS II.
CAPUT. III.
ARTICU. III.
§. 1.

lis exprimebant initio: *Liceat hic parumper altius progredi Auditores. Vel: Concedite, ut hic paulum longius immoremur, Orationis vela protendamus.* In fine claudebant: *jam vela contrabamus. Vel: amplius, quam debuisset, procurrit Oratione, nunc ad propositum revertamur.* Licet hæc digressio, quam Rhetoricam appello, ut scernam à morali, in Sacra etiam Eloquentia locum teneat, Moralis tamen Digressionis nomine intelligimus factam ab Oratoribus Sacris ad informandos, vel arguendos hominum mores procurfionem, quam alii *adhortationem*, alii *moralem* vocare solent *applicacionem*, vel *fractum Concionis*. Plurimum momenti habet in Concione, ut igitur rite fiat, sequentia sunt servanda.

I. Nulla Concio in genere etiam Panegyrico, ad rudiores præsertim Auditores, sua morali careat digressione, ni sperato fructu destitutam velimus. Hæc autem non versetur in thesibus, sed ad hypotheses, sive singularia descendat; secus Auditores (ut ait (i) Segneri) veritatem glutient tantum, non mandent; haud alio inde sensu affecti, quam qui granum sinapi non contritum devoraret. Nolim tamen, ut ab uno extremo ad alterum declinet, id est, ne ad minuta nimis, ac specialia delabatur, in genere maxime lubrico, coram adolescentioribus. Helleborum, quod turturi cibus est, venenum est columbæ.

II. Sit

i.) In *Instit. Parochi.* c. 7.

II. Sit opportuna, id est, suo loco adhibita. Sunt autem aptissima Digressionum Moralium loca: 1. Singularum Orationis partium complexiones: postquam enim Orator Sacer susceptam affatim probaverit veritatem, opportune digredietur ad mores. 2. Epilogus, qui terminat Orationem, estque ultimus veluti aries ad pervincendum Auditorem.

II. Sit conformis proposito, id est, ne vagetur extra oleas; non autem vagabitur, si Digressio Moralis totidem quasi corollaria ex themate, vel membris partitionum deducta contineat. Hæc autem confectaria pluribus modis institui possunt: 1. Particulares virtutum, aut vitiorum pro themate Concionis assumptorum actus, vel species enumerando per figuram distributionis, repetitionis &c. 2. Proponendo modos, aut praxes, unam, vel plures exercendæ speciatim virtutis, aut vitii defugiendi, designata temporis, loci, occasionis opportunitate. Paradigma dabitur inferius. 3. Contraria complexioni inferendo, sive propositæ ab Oratore veritati oppositos hominum mores aperte, vel occulte arguendo. V. g. si Charitatem patientem, ac benignam probasses, recte in complexione cum Paulo (k) inferes contraria: ergo *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit, quæ sua sunt, non irritatur, non*

L 1 2

cogi-

k) 1. ad Cor. 13. v. 4.

PARS II. cogitat malum, non gaudet super iniquitate; con-
 CAPUT III. gaudet autem veritati &c. quæ oratorie de-
 ARTIC. III. ducta erunt aptissima digressionis capita.
 §. I. Unde Orator hanc digressionem facturus,
 diligenter dispiciat, quales è suo themate,
 vel membris partitionum consequentias, si-
 ve corollaria eruere possit, quæ inventis
 statim partitionibus inveniri, ac determina-
 ri queunt. Sit exemplum: de cura animæ
 dicendum foret: 1. quia anima nihil est homi-
 ni pretiosius. 2. quia anima nihil homini potest
 esse charius. 3. quia perãta anima perduntur
 omnia. En corollaria è loco contrariorum
 desumpta singularum partium digressionibus
 servitura: 1. Si anima nihil est pretiosius, cur
 igitur toties pro vili venditur voluptate &c.
 Quis furor est viles à vobis animas vestras
 haberi, quas etiam diabolus putat esse pre-
 tiosas, ait Salvianus. 2. Si anima nihil est
 charius, pluris igitur facienda, quam Orbis
 universus &c. Cuncta, quæ habet homo, da-
 bit pro anima sua, inquit Jobus. 3. Si perdi-
 ta anima perduntur omnia, quid juvat cum ja-
 ctura animæ, vel totius mundi opes congregasse?
 &c. Quid prodest homini, si mundum uni-
 versum lucretur, animæ vero detrimentum
 patiat. Matth. 16.

IV, Digressio sit ornata. Ornatur au-
 tem variis figuris, maxime moventibus, ut
 interrogatione, comminatione, obsecra-
 tione, increpatione, conversione, comple-
 xione, repetitione sacrae alicujus sententiæ,

maximè pro themate Concionis assumptæ. Vel ut Itali faciunt Oratores: clauditur argumentum historia, aut exemplo, vel similitudine breviter proposita, cujus in apodofi ad mores postea fit delapsus. Vel sacra quæpiam Scripturæ, aut Patris sententia, præsertim adhortans, increpans, obsecrans, aut minitans &c. arripitur, qua oratorie amplificata motus, ac digressiones fiunt.

V. Sit prudenter instituta. Non igitur in digressionibus (ut ante dixi) se acerbum exhibeat Orator, vel Auditorum status, & conditiones traducat; minus Principum Virorum, vel publici Magistratus vitia carpat. Sunt, qui ad vitandum, in aulicis præsertim concionibus, odium, ac invidiam profanum quoddam, aut sacrum ex historia exemplum adhibent, ac per apostrophen, aut profopopæam personam in ea contentam alloquuntur, omniaq; digressionis capita eo, quasi res nec ad Auditorem pertineret, dirigunt. Alii Scripturam, vel sanctum Ecclesiæ Patrem loquentem inducunt. Sunt, qui laudando, ut in suis ad Regem Christianissimum Concionibus facit *Bourdalous*, officii admonent Auditorem. Multi utuntur excusatione, vel deprecatione, se non odio, non ira concitatos loqui; sed pro sui muneris ratione, ac salutis uniuscujusque desiderio veritatem profari.

PARS II.
CAPUT III.
ARTICUL. III.
§. I.

PARS II.

CAPUT. III.

ARTICUL. III.

§ II.

§. II.

Paradigmata Digressionis Moralis.

Paradigma I. Per Historiam cum enumeratione actuum exercendæ virtutis. Hæc si ita sunt Auditores, quid igitur consilii suscipiendum? si tam dura, ac difficilis est curatu inveterata hominis lascivia, ergo desperandum? absit! quid ergo? generosius, sed ad normam Saulis dimicandum. Hic paucis copiis, & exiguo labore feliciter devicit Ammonitas, Moabitas, cæterosque populos Palestine. At dum cum Amalecitis pugnandum erat, quoniam hostes reliquis potentiores fuere, vi eos majori aggressus, totum exercitum convocavit, atque ita junctis viribus conflavit, vicit, triumphavit. Congregato exercitu percussit Amalec. En Auditores è mente Gregorii Amalec obduratæ typus est lasciviæ: in hanc nunquam vis proficit mediocris, toto, si vincere velimus, conatu progrediendum. Ad extinguendum fornicationis spiritum (inquit Gregorius) virtus una non sufficit, vires omnes colligendæ. (Enumeratio) Adhibete preces; sed admodum ferventes: erogate elemosynas: sed valde liberales: usurpate jejunia; sed austera: castigatè corpus; sed severe: vitate occasiones; at vel minimas: adite Sacramenta; sed quam creberrime. Non igitur satis sit vobis Marianam corollam decurrisse, aram quampiam visitasse, concionem audisse: nec enim ad extinguendum fornicationis spiritum virtus una sufficit: viribus omnibus connitendum est, ut victoria obtineatur. Congregato exercitu percussit Amalec.

Para-

Paradigma II. Proponendo modum, & praxim exercendæ virtutis, v.g. justitiæ cum enumeratione, & repetitione sacræ sententiæ per figuram complexionis. *Quare fixum vobis, ratumque sit Auditores, hoc adhuc vespere, quamprimum ab hac sacra Concione domos vestras repetieritis, antequam cubitum concedatis, omnia, quæ possidetis, saltem mente, & cogitatione perlustrare, ac severius in examen revocare: an quispiam sit, cui fraudem, ac injuriam intuleritis? quem debita mercede defraudaveritis? apud quem contractum expungere nomen neglexeritis? an sit, quod à vobis, vel à majoribus vestris inique partum, aut retentum foret? Et si vos prudenter ambigere contingat, tum excutite scrinia, pervolvite monumenta, investigate jura, sapientum sensa exquirite, dicite cum Zachæo: Siquid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. En si huic famulorum mercedem retinui, reddo quadruplum. Si huic creditorum, cum poteram, satisfacere consulto neglexi, reddo quadruplum. Si hanc emptionem, aut venditionem non sine injuria institui, reddo quadruplum. Si hoc testamentum depravavi, hanc litem injuste intentavi, hanc sententiam præpostere tuli, reddo quadruplum. Si hunc agrum, hanc domum, hoc prædium inique usurpavi, reddo quadruplum. Ac tum sperare potestis, ut Divinus vobis etiam, quemadmodum Zachæo, Servator dicat: hodie salus huic domui facta est.*

Paradigma III. Per contraria. *Si tantum est animæ pretium Auditores, ut illius amore*

RARS II. *Christus ipse vitam, & sanguinem profuderit:*
 CAPUT III. *si Dæmon tam ardenti vel unius animæ desiderio*
 ARTIC. III. *tenetur, ut ejus obtinendæ causa omnia mundi*
 § II. *bona lubens impenderet: hæc omnia dabo tibi,*
si cadens adoraveris me, aiebat olim Christo.
Dicite: Quis furor est (verba sunt Salviani)
viles à vobis animas vestras haberi, quas
etiam Diabolus putat esse pretiosas? Quis,
inquam, furor est, tam viles à vobis haberi, ut
pro modica voluptate, tenui lucello, inani honore,
exiguo domus, aut familiæ vestræ emolumento
venalem exponatis? Ab Christiani! per Deum,
& salutem vestram vos oro, & obtestor: nolite
tam iniqui esse institores, ut rem tanti pretii, ac
momenti pessumdetis; sed solícite custodite ani-
mas vestras, quas non Christus solum, sed Dæ-
mon etiam, hostis, & adversarius vester, omni
auro, omni honore, omni lucro putat esse pretio-
siores &c.

ARTICULUS IV.

DE PERORATIONE.

§. I.

Leges Perorationis.

Peroratio, quam, teste (l) Quintiliano,
cumulum quidam, conclusionem alii vocant,
 Cicero autem in Bruto epilogum Græce ap-
 pellat, est exitus (m) ac determinatio totius
 Orationis, in qua Orator id, quod tota Ora-
 tione expetebat, majori vehementia evin-
 ce-

l) Quint. Instit. Orat. l. 6. c. 1. m) Cicero l. 1.
 de Inv.

cere, & obtinere contendit. Sequentibus legibus constat.

PARS II.
CAPUT. III.
ARTIC. IV.
§ I.

I. Licet ordine sit postrema, dignitate tamen, & Oratoris cura prima esse debet. *Plurimum* enim (ut in Bruto ait Cicero) *pollet in Oratione*; cum sit ultimus veluti affultus, quo animos Auditorum aggreditur Orator, totaque inde victoria pendet: res enim plerumque ab exitu, & fine probantur; cum posteriora semper magis Auditorum mentibus adhærescant, quam priora. Unde

II. Omnes eloquentiæ nervi eo sunt conferendi, ut Peroratio quam optime expoliatur. Peccant igitur, qui componendi laborem tamdiu protrahunt, ut debito elaborandæ illius tempore destituantur. Alii in exordio, confirmatione, maxime in complexionibus partium, & argumentorum, totam ita eloquentiam effundunt, ut postea in epilogo, ubi maxima vis esse deberet, admodum langueant, quasi naves ad portum vento destituti. Sunt, qui in pronuncian- da Oratione parum sibi, aut nihil norunt moderari, clamando, vociferando ita se prius exhauriunt, ut ad extremum in epilogo, cum summa spirituum, & vocis contentione agere deberent, irraucescant, & ægre admodum intelligantur.

III. Utendum in Peroratione stylo acri, & sublimi, membris, ac commatis distincto: item pathetico, figuris vehementioribus in-

PARS. II. CAPUT III. ARTICUL. IV. §. I.
 structo, cujusmodi sunt: interrogationis, repetitionis, apostrophes, exclamationis, profopopææ, obsecrationis, comminationis, indignationis, commiserationis &c. quæ animum vehementius pungere, ac ferire solent.

IV. Quam vero prolixa, ac longa esse debeat? pendet à judicio Oratoris. Plerumque ex Orationis proportione solet æstimari. Aliqui exordio parem, productionem alii fieri posse contendunt. At brevior sit potius, quam diffusior. Longi affectus facile languescunt.

§. II.

Partes Perorationis.

DUplex ratio est Perorationis (ait (n) Quintilianus) posita aut in rebus, aut in affectibus, id est, in enumeratione rerum, & motu animorum. Cicero autem tres statuit (o) enumerationem, indignationem, & conquestionem; in Partitionibus duas: enumerationem, & amplificationem; Authori autem ad Herenium (p) constat ex enumeratione, & commiseratione; at hæc omnia (ut Petrus Burmannus belle (q) advertit) consentiunt: nam in amplificatione moventur affectus: ad hos referuntur indignatio, conquestio, & commiseratio: affectus autem ad motum pertinent. Unde duæ sunt partes Perorationis: 1. Rerum repetitio, Græcis ἀνακεφαλαιώσεις, Latini-

n) Ibidem. o) l. 1. de Invent. p) Ad Heren. l. 3. q) In notis ad l. 6. c. 1. Instit. Orat. Quintil.

PARS II.
CAPUT. III.
ARTIC. IV.
§ II.

Latinis enumeratio, quæ res per causam dispersas colligit, ac in summam redigit, ut memoriam Auditoris reficiat: totam simul causam sub aspectum ponat: & si per singula minus moverat, turba valeat, ut ait Quintilianus. 2. Motus, sive affectuum concitatio, qui suam in epilogo videntur sedem habere: cum in aliis partibus, ut fere nascuntur, ita tractentur. De utroque agam seorsim.

I. De *Enumeratione*. Licet hæc utiliter fieri soleat in quolibet Orationis genere; maxime tamen in Concionibus Didacticis, & Moralibus, ut populo præsertim rudiori proposita fidei, morumve capita tenacius imprimantur. Vel si longior fuerit Concio, ac pluribus argumentis defensa. Si autem breves, ac simplices fuerint, aut causæ acriter, ubi magis est affectui indulgendum, necessaria non est: cum à præstantissimis Orationibus eam tunc præteriri observarim. 2. Quæ repetemus, quam brevissime dicenda sunt, & quod Græco anacephaleoseos verbo patet, dicendum per capita; nam si morabimur, non jam enumeratio, sed altera quasi, vel certe renovata, fiet Oratio. 3. Initium autem enumerationis (ut monet Author ad Herenium) summendum est à divisione; post, si fuerit, repetenda subdivisio, vel ex unaquaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non possit, id eligatur, quod erit gravissimum, ad causam maxime pertinens,

PARS II. nens, vel quod animis Auditorum præ cæ-
 CAPUT III. teris altius impressum cuperet Orator. 4.
 ARTICUL. IV. Quæ enumeranda videbuntur, cum ponde-
 § II. re aliquo dicenda sunt, & aptis excitanda
 sententiis, & figuris varianda, ne nuda, ac
 jejuna repetitio, aut si semper eodem mo-
 do tractetur, recocta velut crambe, satieta-
 tem adferat Auditori. 5. Variis autem mo-
 dis hanc enumerationem institui posse (r) *docet Cicero: 1. Simpliciter: cum ex sua
 persona quid, quoque loco dixerit, admo-
 net Orator. Sit exemplum. Atque hæc sunt,
 quæ ad vos dicenda habueram Auditores, nunc ite-
 rum, atque iterum repeto, & voce, qua possum,
 contentissima hortor, & oro: diligite vos ad invi-
 cem &c. Mementote, quod primo dixeram loco,
 unumquemque nostrum vivam, ac spirantem esse
 Dei imaginem. Quis erit tam impius, ac vesan-
 nus, qui Deum audeat odisse, audeat aversari;
 hoc enim vero agitis Auditores: cum proximos ve-
 stros odio prosequimini: qui enim non diligit pro-
 ximum, non diligit Deum &c. Quid dico Deum?
 sed ne se ipsum quidem, quorsum natura impelli-
 mur: quoniam non diligit animam, nobilissimam
 sui portionem, cujus amor, salus nunquam sine
 proximi amore consistere potest &c. 2. Cum ab
 iis, qui audiunt, per figuram interrogatio-
 nis, vel communicationis quærimus: quid
 sit, quod sibi velle debeant demonstrari.
 Exemplum. Sed quoniam finem attigit Oratio,
 jam ad vos conversus, quæro è vobis Auditores,*
di-

r) l. 1. de Inv.

dicite: quid esse potest, quo validius amor proximi valeat demonstrari? Estne potentius aliquod amoris argumentum Deo, ac vobis ipsis? &c. *En planum fecimus: qui non diligit proximum, non diligit Deum &c. Immo n: se ipsum quidem; quorsum tamen natura impellimur &c.* 3. Per comparationem suorum, & contrariorum argumentorum. Exemplum. *Hæc si ita sunt, quid jam superat Auditores? quod à diligendo vos proximo avocare queat? Injuria fortasse, quam intulit? ignominia, qua affecit? &c. At cogitate: ne, dum hanc ulcisci meditamini, gravio rem Deo, ac vobis ipsis irrogetis. Nescitis: proximum odisse est odisse Deum, est odisse seipsum &c.* 4. Cum per figuram Profopopææ personam, aut rem aliquam v. g. legem, locum, urbem, monumentum inducimus, eique totam enumerationem attribuimus. *Quid ad hæc Auditores? adhucne proximos vestros diligere dubitatis? Si Christus adspectabilem se præberet, & hoc à vobis, quod olim à Petro quæreret: Petre! amasne me? addo ego: amasne te? quid responderetis? nunquid humili voce confiteremini: Domine tu scis, quia amo te, amo me. Si amas? cur igitur proximum tuum aversaris? nescis scriptum esse: si quis dixerit, quia diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est &c. Denique fieri potest per alias etiam figuras. Per exclamationem: *Quid restat AA. quam ut exclamemus: O summam amandi proximi vim! O ingentem necessitatem! sine qua nec Deum, nec nos ipsos vere diligemus. Non Deum: scriptum est etenim: si quis di-**

PARS II. dixerit, quia diligo Deum, & fratrem suum o-
 CAPUT III. dit, mendax est &c. Nec nos ipsos, qui etenim o-
 ARTICUL. IV. dit proximum, suam odit animam &c. Per præ-
 § II. teritionem: Finem facio Orationi. Nil porro
 loquar; illud præter: si Deum, si vos ipsos dili-
 gere velitis, diligite vos ad invicem &c. Per
 concessionem: *Ita jam scelesti mortales, odio
 habete, per me licet, proximos vestros; at noverit-
 tis: nec Deum, nec vos ipsos sincere diligetis &c.*
 Per apostrophem: *Adeste jam mortales, qui in-
 veterato proximorum vestrorum odio flagratis!
 Videte: quorsum hic præposterus vester vos affe-
 ctus ducat: ut Deum, ut vos ipsos odisse debeatis
 &c.*

II. De Motu. Altera, ac propria epilogo
 pars est motus: unde Peroratio à nonnul-
 lis motuum sedes appellatur: nam licet ali e
 quoque partes affectus recipiant, breviores
 tamen, ac remissiores; potiores huic refer-
 vandi, &, si usquam, hic certe, omnes elo-
 quentiæ fontes aperiendi, ac vela panden-
 da; quapropter (ut monet (s) Quintilia-
 nus) verbis, atque sententiis hic uti licet
 magnificis, atque ornatis. 2. Excitatur au-
 tem motus amplificationibus, affectibus tam
 apertis, quam occultis: digressionibus item
 moralibus, aliquem in se affectum continentibus.
*Probationes enim (ut advertit (t) Quin-
 tilianus) efficiunt quidem, ut causam nostram
 meliorem esse Judices putent; affectus præstant,
 ut etiam velint, & id, quod volunt, credant*
 quo-

s) Quint. loco citato. t) Quint. l. 6. c. 2.

quoque. Quomodo autem tractari debeant, suo jam ante loco diximus. 3. Hi affectus sint materiæ proposito, ac Orationis generi convenientes. Unde in Genere exornativo si Orator laudet, fieri potest vel affectus admirationis, admirando miram vitæ sanctitatem: vel gratulationis, ac lætitiæ ob dignitatem, gloriam in cœlis obtentam: aut amoris, item gratiarum actionis ob beneficia collata: spei ob patrocinium: æmulationis ob exempla virtutum. Si vituperet, excitandus est affectus odii, contemptus, pudoris &c. In moralibus autem illius virtutis exercendæ, aut vitii defugiendi, de quo agimus, motus est excitandus v. g. humilitatis, superbiam &c. 4. Motus varie disponi solet in Peroratione: plerumque secernitur ab enumeratione, & tunc crebrius novo urgetur argumento, tanquam fortiori telo ad finem reservato, vel illi affectui, qui excitatur, proprio. Sæpe à celeberrimis etiam Oratoribus cum enumeratione permiscetur. Frequentius enumeratio præit, nonnunquam tamen motum sequitur. Multorum mos est epilogum concludere apostrophe ad Deum, vel Sanctos. Urgetur etiam eleganter motus per aliquam Scripturæ, vel Sancti Patris, sententiam, maxime pro Concionis themate assumptam. Denique fit, ut in Peroratione solum motus sine ulla enumeratione adhibeatur. Sed hæc paradigmatis sient clariora.

PARS II.
CAPUT. III.
ARTICUL. IV.
§. II.

§ III.

Modi Perorationum.

PARS II.
CAPUT III.
ARTICULI IV.

§ III.

Modus I. Enumerationis cum motu permista, per sententiam sacram pro themate Concionis assumptam, ex sermone M. S. Anonymi.

EXEMPLUM.

Quare ut ubi cepit, ibidem terminetur Oratio, fas sit mihi Auditores, vos allatis principio dictionis mee Christi verbis iterum affari. Christiani! diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro calumniantibus vos. Repugnatis?

Prima ratio. Sufficite in hanc Crucem, quam æternus Pater, velut Doctoris cathedram, in monte defixit Golgothæo. Videte, quid in ea Divinissimus ultimum tradat Magister. Persæpe prius discipulos hortatus erat, ut se diligerent invicem, benefacerent inimicis, pro calumniantibus Deum orarent. At quoniam perspectum habuerat: validius semper doceri exemplis, quam verbis; idcirco ut doctrinam prius ab se verbis traditam opere etiam confirmaret: non ante Sanctissimam edere voluit animam, quam toti exemplum orbi daturus, æternum pro inimicis Patrem deprecaretur: Pater! ignosce illis, quoniam nesciunt, quid faciunt. Quid vos jam O Christiani ad hoc pulcherrimum Christi, è cruce, velut è cathedra docentis Magistri, exemplum agetis? Adbucne tam inveterato persistetis in odio, ut pro æmulis vestris non modo Deum non orare; sed ne minimam quidem offensæ gratiam iis præbere velitis?

Alte-

Altera ratio. *Ab timeo Christiani, vehementer timeo, ne fortasse hæc cathedra docentis vertatur aliquando vobis in tribunal iudicantis. Erit enim tempus, erit, ut, qui nunc se Magistrum præbet, Judicem exhibeat in ultimo mundi die, quo parebit signum, sive crux, filii hominis; ipse autem veniet cum potestate magna, & majestate, ad hanc crucem, velut ad tribunal, constiturus, ut ubi diligendos esse inimicos suo ultimum exemplo Magister docuerat; illic, velut in tribunali, severissimam in vos, hanc doctrinam aspernantes, sententiam ferat. Quis tunc vobis sensus erit O Christiani? nunquid, si fieri posset, animi consilia mutaretis, poneretis odia, offensæ veniam ultro offerretis; nec offerretis tantum; sed beneficiis eos afficeretis? Quod tunc, sero nimis, actum velletis; nunc, nunc, dum tempus suppetit, agatis oportet. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro calumniantibus vos, ad Divinissimi exemplum Magistri: Pater! æterne Pater! ignosce illis, quoniam nesciunt, quid faciunt.*

Modus II. Per enumerationem à motu distinctam. Ex Panegyrico Cæsaris Calini S. Catharinæ Bononiensi dicto in illud Pauli: *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio.*

EXEMPLUM.

Enumeratio. *Sic est Auditores dilectissimi, sic est: anima Catharinæ in corpore posita, videbatur extra corpus esse: nam in corpore iis erat dotibus prædita, ut nec corporeas appetitiones, nec onera, nec vincula persentisceret. Cum ageret in*

PARS II. terra, videbatur extra terram esse, velut in Cælo
 CAPUT. III. collocata: quoniam animæ beatæ fuere illi sociæ;
 ARTICUL. IV. quibuscum versabatur: cœlestes revelationes, sive
 § III. admonitus, quibus mens illustrabatur: Divini
 affectus, quibus cor inflammabatur. Postea extra
 corpus in Cælo constituta, videtur in corpore super
 terram esse, seu corporis naturam, seu animæ ope-
 ra spectemus. Naturam: reperimus enim illud
 integrum; quin deficiat: pulchrum; quin offen-
 dat. Operationes autem invenimus animæ propri-
 as, seu vegetanti, seu sentienti, sive rationali.

Motus per affectum fiducia. Quid jam
 superest O chari Auditores? illud certe, ut fidu-
 cia in Catharinam concepta, hac nobili fruamur
 opportunitate. Dum Catharina viveret in mun-
 do in corpore super terram posita, videbatur extra
 corpus in Cælo esse collocata, quod ingens equidem,
 at soli datum Catharinæ, beneficium erat; nunc
 autem extra corpus in Cælo constituta, dum vide-
 tur esse in corpore super terram, hoc etiam gran-
 de beneficium est; at nobis concessum. Cujus rei
 causa? illius certe, ut quovis tempore ad opem Ca-
 tharinæ perfacile refugium habere vſeamus. Quo
 quid majus esse potest? Si enim nostris eam votis
 conveniamus, videmur ad eam, quasi ad viventem,
 accedere, quæ non è longinquo, sed prope: non re-
 mote, sed nobiscum, quasi nos inter versata, au-
 diat vota supplicantum. Si precibus eam obteste-
 mur; videmur illos ipsos oculos intueri, qui san-
 guineas lacrymas profudere cuncta de Cælo exo-
 rantes. Videmur labia illa affari, quæ obduratiff-
 simorum corda peccatorum fusis ad Divinissimum
 Ser-

Servatorem precibus ad pœnitentiam inflexere. Videmur aures illas interpellare, ad quas Christum è pane Eucharistico, & Crucis simulacro locutum ingentes Catharinæ gratias novimus concessisse. Si prodigia quærimus? videmus manus illas, illas, inquam, manus, quæ solo Crucis signo bene precatæ miris beneficiis supplices affecere.

Apostrophe. Eja ergo O magna Catharinæ anima! tuas nunc etiam Sanctissimas attolle manus ad fauste precandum huic Urbi tibi devotæ, huic, inquam, Urbi, quæ te viventem, ut Cœli Civem fuerat admirata; nunc vero ut Civem Cœlestem, sua inter mœnia quasi adhuc viventem, supplex appellat. Dixi.

Modus III. Per motum ab enumeratione distinctum, sed quem novis argumentis urget Orator. Ex Praxi Oratoria Sigismundi Lauxmin. Cap. 9.

EXEMPLUM.

Enumeratio. Quæ cum ita sint, quis jam nostrum erit, Viri Religiosi, qui laborem aliquem magnum, curam singularem, admirabile obsequium, sollicitudinem non vulgarem in promovendo honore Divino se aliquando suscepturum putabit, si tot undique rationibus urgeri, atque impelli se ad colendum Numen sempiternum animadverterit? Etenim (prima ratio) si officii nostri rationem inquirimus, talem vitæ statum secuti sumus, cujus instituta omnia, cultum nobis Divinum præscribunt. (Altera ratio) Si meritum præmia suspiciamus, quæ majora esse possunt, quam ipsa vivendi ratio studio honoris Di-

PARS II. vini ad omnem honestatis normam directa, atque
 CAPUT III. conformata? (Tertia ratio) Si beneficia di-
 ARTICUL. IV. vinitus accepta memoria repetimus, ea tot, tan-
 § III. taque sunt, ut minima pars eorum nostri ipsorum
 pretio infinitis nominibus antecellat. Ecquid agi-
 mus Viri Religiosi? quando tandem eos induemus
 animos, ut præ culiu Numinis non modo nullam
 commodi nostri curam geramus; sed vilem sangui-
 nem hunc, & vitam ipsam despicabilem habeamus.

Motus per nova argumenta. An non vi-
 detis, ita nos orbi terrarum in spectaculum datos,
 ut omnium oculis expositi simus. Ad nos infide-
 les populi oculos convertunt, atque Christiani
 nominis gloriam illustrem institutis, obscuram ho-
 minum moribus, puram, atque sinceram aliquan-
 do intueri desiderant; & his veritatis lucem do-
 ctrina, & pietate nostra conspicuam non præfere-
 mus? Nos Ecclesiæ hostes diligenter observant:
 ut è calumniis nostris prætextum erroribus quæ-
 rant: & adversum hos pro Christi religione omni
 vigilantia, virtutumque studio pugnare non debe-
 bimus? Sunt multi inter fideles, quos aut insci-
 tia superstitionibus illigavit, aut licentia vitæ
 projecit ad scelera: & his non succuremus, unde
 suæ subsilium inscitæ, ac remedium licentiæ ha-
 bere queant? Nos cæteri fideles veluti luminaria
 quædam in sublime elata suspiciunt: à nobis Di-
 vinarum legum observantiam, à nobis vitæ Chri-
 stianæ normam, à nobis virtutum exempla præ-
 stolantur: & his non lucebit lux nostra, ut vi-
 deant opera nostra bona, & glorificent Patrem,
 qui in Cælis est? In nos Sanctissimi Majores no-
 stri

stri, in quorum jura, & hereditatem successimus, à Cælo prospiciunt, considerant diligenter, utrum nos, qui simili Numinis beneficio vocati ad obsequium Divinum, & paribus obstricti vinculis, idemque vitæ genus secuti sumus, parem ad promovendum cultum Divinum curam adferamus: an ignavi, & socordes per summam ignominiam religioso nomine, & officio abutemur? Ejiciamus ergo ex animis nostris omnem, siquæ est, aut negligentie suspicionem, aut laborum formidinem. Huc, huc, omnes animi curas, corporisque vires intendamus, ut virtutum studio, religiosæ vitæ observantia, omnibus Christianæ vitæ institutis, quam maximum possumus, cultum, atque honorem Numini sempiterno deferamus Amen.

PARS II.
CAPUT. III.
ARTICUL. IV
§ III.

Modus IV. Per motum ex digressionem morali constantem, quem sequitur enumeratio: ex laudatione funebri Ignatii Chiaberge, dicta Taurini Mariæ Joannæ Baptistæ Sabaudicæ Duci in illud: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Joan. II.

EXEMPLUM.

Motus per digressionem moralem ad Auditores. Jam vero quantacunque hæc demum sit germanæ pietatis, atque in tanta Principe heroice dominantis, quam hæctenus adumbravi, imago, quos vobis animos, quos sensus ingerit Auditores? Quid enim? an huc tantummodo funebris hujus pompæ Spectatores per otium futuri, aut orationem meam studiosius audituri convenistis? Sinite jam, ut eo Ecclesiastici epiphonemate saluberimo, quo mores omnium erga Deum instituit,

PAPRS II.
CAPUT III.
ARTICUL. IV.
§. III.

in rem vestram traducto dicendo finem faciam':
Exaltantes eum replemini virtute. Mariam
Joannam Baptistam rebus gestis illustrem, vir-
tutibus eximiam haud dubie suspicitis, atque lau-
datis. At nisi, quod admiramur, laudamusque,
diligamus atque opere complectamur; admiratio
inanis est, otiosa laudatio. Placeat exaltantibus
admiratio: sed admirantibus imitatio non desit:
Exaltantes replemini virtute. Principes con-
stituit Deus, non modo ut subditos legibus rege-
rent, sed ut exemplo, ac moribus gloriosius sub-
ditis præluerent. Mariam Joannam Baptistam,
Principem, Moderatricem coluistis: ipsam igitur
non admirationis argumentum tantummodo; sed ut
exemplar, normamque vitæ animis vestris semper
impressam habeatis.

Enumeratio. *En ipsam funeri suo adhuc
esse superstitem vidistis, ac porro in perpetuum vi-
dēturam videbitis. Videbitis in memoriis homi-
num impressa iisdem regalium virtutum
immagine. Videbitis in Rege filio, atque in Au-
gusta posteritate nepotum. Denique videbitis in
immortalibus Christianæ præsertim pietatis
operibus. Quæ demum pietas Cedrus illa est nun-
quam marcescens, mortis inscia, ac vitæ immor-
talis fomes. Si ipsius spectatissimos mores, atque
exempla virtutum in vivendi usum referetis, per-
get adhuc in vobis vivere; perget vivere in ope-
ribus vestris, ac immortalis illa Cedrus multipli-
cabitur. Unde toties vivet, quot virtutum suarum
non laudatores tantum inveniet, sed imitatores:*
Sicut Cedrus Libani multiplicabitur. Dixi.

CAPUT

CAPUT IV.

DE DISPOSITIONE TOTIUS SACRÆ ORATIONIS.

PARS II.
CAPUT. IV.
ARTICUL. I.
§ I.

Explicata singularum partium dispositione, nunc quomodo totum corpus adornandum, ac variandum sit, explicandum venit. Non est autem mihi propositum hic specimen dare disponendæ, ac variandæ totius Concionis spectata etiam elocutionis forma; sed primam solum ideam, qui formari debeat, docere, pictorum more, qui rudi penicillo prius ducunt extrema imaginis lineamenta; postea coloribus illustrent; ac demum suprema perficiunt manu. Sit igitur

ARTICULUS I.

DE FORMANDA PRIMA CONCIONIS
IDEA.

§ I.

Leges formandi primam Concionis Ideam.

Primæ Ideæ nomine, ut dixi, intelligo rudia quædam Sacræ Orationis lineamenta sine omni ornatu, & forma Oratoriæ elocutionis. Hanc vulgo *σκελετόν*; ducta metaphora ab ossea compage, nondum carne, ac nervis vestita, item *Orationis œconomiam* vocare solent. Est magnopere utilis, & necessaria Tyroni: nam 1. consuescet ordinate dicere ad propositum. 2. Nec inde à scopo facile aberrabit. 3. Citius, & ala-

PARS II.
CAPUT. IV.
ARTICUL. I
§ I.

crius Orationem componet: arduum enim est omnia simul agere; invenire nimirum, disponere, & eloqui. 4. Viso numero, ac vi argumentorum sciet, quid in argumentationibus contractius, quid amplius debeat expoliri. Denique longo usu id consequetur, ut vel ex tempore dicat ordinate. In hac ergo idea sequentia sunt servanda.

I. Ut in animalibus, teste Aristotele, primum cor ante omnia membra formari solet; ita in efformanda idea imprimis Oratori sententia sacra, tum propositio, ac partitio, tanquam cardines, & fundamenta partium cæterarum, sunt providenda.

II. Singulis partitionum membris suum, saltem princeps, quo firmetur, argumentum ex aliquo Rhetorum loco est inveniendum, modo jam ante tradito. Dixi *saltim princeps*: nam reliquæ principalium rationum probationes facile sub ipsa occurrent elocutione; quanquam sint, qui has etiam in prima statim idea determinant. Stat in arbitrio Oratoris.

III. Unumquodque princeps argumentum, si Oratori visum fuerit, redigatur in aliquam argumentationis formam ex propositis jam ante modis unam. Ad Orationis autem varietatem non semper eædem sunt adhibendæ; sed jam hæ, jam illæ pro placito Oratoris, vel thematis ratione.

IV. Quod autem amplificationes, figuras, periodos, transitiones, ac reliquum con-

cio-

PARS II. *ria veritatis, seu ex bonis Gratiae promanante. 3.*
 CAPUT IV. *exuit se gloria æternitatis ex beatitudine Cœlesti o-*
 ARTICUL. I. *ritura.*

§ II.

Confirmatio I. partis. S. Ignatius Divi-
 næ Gloriæ studio exuit se gloria vanitatis ex bo-
 nis naturæ proveniente. Argumenta principa-
 lia: I. Exuit se gloria Nobilitatis, cum Vir illu-
 stris vile mendicabilum induit, nec ullam unquam
 sanguinis sui rationem habere voluit. 2. Exuit se
 gloria divitiarum, cum abdicatis rebus omnibus
 Christum pauperem, vita omni est secutus. 2. E-
 xuit se gloria honorum, cum ab omnibus contemni,
 ac velut stultus existimari non optavit modo; sed
 re ipsa æquo animo tulit.

Confirmatio II. partis: S. Ignatius Di-
 vine Gloriæ studio exuit se gloria veritatis è Gra-
 tiæ bonis promanante. Argumenta principalia:
 I. Exuit se gloria honorum operum: nam licet è
 mente Pauli in iis in Domino gloriari potuisset,
 eam tamen totam in Deum transtulit, cum majore-
 rem ejus gloriam semper in ore habuerit, semper in
 omnibus quæsierit. 2. Exuit se gloria doctrinæ di-
 vinitus acceptæ: nam à Judicibus Sacræ Inqui-
 sitionis, unde rerum Divinarum cognitionem, qua
 homo, tunc ad huc literarum rudis, summa prædi-
 tus erat, hauserit, interrogatus; humili silentio
 pressit; tametsi dicere potuisset, eam Manresæ cœ-
 litus ab se haustam esse. 3. Exuit se gloria San-
 ctitatis: peccatorem, & omni bono pauperem Igna-
 tium professus; licet ab omnibus Vir Sanctissimus
 haberetur.

Con-

Confirmatio III. partis: S. Ignatius exiit se gloria æternitatis ex cœlesti beatitudine oritura. Argumentum principale: quia propagandæ Divinæ Gloriæ studio maluit salutis incertus vivere, quam Cœlo frui. Si optio daretur (dicere auditus) mallet beatitudinis incertus vivere, & interim Deo servire, & proximorum saluti; quam certus ejusdem gloriæ statim mori.

PARS II.
CAPUT IV.
ARTICUL. I.
§. II.

Peroratio constabit 1. Enumeratione. 2. Digressionem Morali per contraria ad homines vanæ gloriæ appetentes. 3. Motu per affectum contemptus gloriæ humanæ; studii autem propagandæ Divinæ.

Paradigma II. Ideæ plenioris, dispositis tam argumentis, quam argumentationibus, in genere morali, in Dominicam I. Quadragesimæ. Vide Segneri serm. 26. Quadr.

Textus Sacer. Ductus est JESUS in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Luc. 4.

Thema Concionis: Proxima peccati pericula non sunt temere adeunda.

Partitio à negatione caufarum efficientium: quia in iis temere susceptis, ne homo labatur, nec suæ virtuti fidere potest. 2. Nec in Divina gratia confidere potest.

Confirmatio I. partis: In peccandi periculis temere susceptis, ne homo labatur, suæ virtuti fidere non potest. Argumentatio per subdivisionem enthymemate propositam: Sanctissimi Viri, summa licet virtute præditi, ne laberentur, peccandi pericula fugerunt, aut si fugere neglexerunt turpiter sunt prolapsi; ergo &c.

PARS II.
CAPUT IV.
ARTIC. I.
§ II.

I. Pars subdivisionis probatur exemplo Hieronymi. Argumentatio per Syllogismum tripartitum: *Hieronymus severissimam, & virtutis perquam studiosam egit vitam* (Describetur vita Hieronymi) *sed hic in eremum Palaestinae concessit, ad fugienda in Urbe Roma tametsi remota peccandi pericula.* Complexio: ergo & nos proxima fugere debemus. Amplificabitur I. per comparisonem nostrae virtutis cum virtute Hieronymi. 2. Per similitudinem columbae in montibus semper tutioris, quam in uribus è verbis Ezechielis depromptam: Salvabuntur, qui fugerint ex eis, & erunt in montibus quasi columbae convallium, omnes trepidi.

2. Pars subdivisionis probatur: inductione exemplorum Davidis, Petri. Item: Jacobi, Victorini, Macarii Romani, & aliorum Sanctissimorum Eremitarum in peccandi occasionibus, quas fugere neglexerant, fæde succumbentium. Complexio utriusque partis: ergo in peccati periculis nemo suae virtuti fidere potest. Non enim est malum in civitate, quod fecit unus homo, ut Augustini testimonio, facere non possit alter homo. Digressio Moralis ad homines in sua virtute praesidentes, per contraria, cum enumeratione variorum periculorum.

Confirmatio II. partis per collectionem Oratoriam. Propositio: *In periculis temere susceptis homo nec in Divina Gratia confidere potest.* Ratio propositionis: *quia Deus nemini in proxima peccandi pericula se temere conjicienti suo specialis Gratiae auxilio adfistit.* Ratio

nis confirmatio per Syllogismum quinque-partitum. Major: *quia Deus nunquam adhibet remedia specialia, cum adsunt ordinaria.* Majoris probatio ab inductione exemplorum: *Sic tres Magos stella deduxit in patriam ignotam, non item in notam: Petrum Angelus vinculis solvit, non calcavit: Paulum Deus è naufragio liberavit; sed enatantem.* Minor: *sed in peccati periculis adest ordinarium fugæ remedium, quo si homo uti vellet, se tutum, ac liberum præstare possit.* Probatio Minoris. 1. à testimonio (u) *Scripturæ: qui cavet laqueos, securus erit. Salvabuntur, qui fugerint--- quasi columbæ convallium, omnes trepidi, inquit (x) Ezechiel.* 2. Ab inductione similium: *quia peccati pericula se habent instar colubri: quasi à facie colubri fuge peccata, inquit (y) Sapiens. Instar incendii, à cujus discrimine se Loth fuga liberavit.* Exornatio à confutatione contrariorum exemplorum: *ut trium Puerorum, Jonæ, Danielis, quos discrimini objectos Deus speciali auxilio servavit. Ita est, servavit; non tamen temeritate; sed necessitate, Dei nempe causa, in pericula coniectos, in qua semper se adsuturum speciali gratia sponndit: Fidelis Deus est (inquit (z) Paulus) qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed facit etiam cum tentatione provenitum, ut possitis sustinere. Deus quidem Angelis suis mandavit, ut custodiant te in omnibus viis, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; verum addit:*

u) Prov. 11. v. 15. x) Ezech. 7. v. 16. y) Eccli. 21. v. 2. z) 1. ad Cor. 10. v. 13.

PARS II.
CAPUT IV.
ARTICUL. I.
§ II.

dit: in viis suis, id est, non temere; sed Dei causa susceptis. Confirmatur à loco dissimilium exemplorum: Sic Deus ope Angeli Judith apud Holofernem libere diversantem custodivit; non item Dinam. Cur? quoniam Judith Dei causa, liberandæ nimirum patriæ amore, pericula adiit; Dina vero curiositate, ut videret mulieres regionis illius. Complexio: ergo cum Deus nemini temere peccati pericula adeunti sua speciali Gratia adsit, non igitur in Divina Gratia confidendum. Digressio Moralis fit per corollaria contraria ad homines in Dei Gratia præsidentes.

In epilogo fiat 1. Enumeratio argumentorum. 2. Motus per affectum fugæ, historia Josephi relicto pallio Heram fugientis amplificatum, cum enumeratione variorum periculorum, & repetitione sacræ sententiæ: relicto pallio fugit, & egressus est foras.

ARTICULUS II.

DE VARIANDA DISPOSITIONE ORATIONIS SACRÆ.

§. I.

Modi variandi Orationem Sacram.

REcte ait (a) Cicero: *variare autem Orationem oportebit: nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. Unde non postrema Sacri Oratoris laus est: variandæ Concionis artificium nosse, ne usurpato eodem semper modo Auditori fastidium creet. Hæc au-*

au-

a) *Libr. 1. de Inv.*

autem varietas multis instituitur modis ; juvat singulos explicare ad mentem *Amadæi*.

PARS II.
CAPUT. IV.
ARTIC. II.
§ I.

I. Variatur Oratio *materiæ, ac thematum diversitate* : si non eandem semper cramben repetat Orator. Hoc est : non semper de *pœnitentia, de morte, inferno &c.* agat. Fit enim, ut repetitis quotidie hujusmodi terroribus, tandem nec minas perhorrescat auditor, quas ad incutiendum solummodo metum frustra compositas arbitratur. Unde variandæ sunt Concionum materiæ : nunc aciores, mox iterum remissiores usurpandæ, ut molliori themate delinitus Orator, æquiori animo audiat severius argumentum. Haud tamen eapropter improbo, dum plures in eundem finem sermones diriguntur. Ut enim guttis pluribus mollescit lapis ; ita inolita vitia haud statim uno sermone extirpantur. Hoc tamen cum varietate saltem formæ Orationis, vel argumentorum prudenter censeo adhibendum.

II. Variatur *partitionibus*. Cum jam ex uno, jam ex altero fonte ducitur divisio Orationis. Modo bimembris, jam iterum trimembris adhibetur. Nunc subdivisionibus, rursus sine iis usurpatur. Jam nude, mox ornatus cum antithetis, vel incremento, aut alio elegantiae modo profertur.

III. Variatur *forma Orationis*. Fit enim persæpe, ut in diversa licet materia, eadem tamen methodo, ac dispositionis forma, constructa Oratio non parvum adferat tedium

Au-

PARS II.
CAPUT IV.
ARTIC. II.
§. I.

Auditori. Unde variandi sunt : I. modi exordiorum , ne semper ex eodem inventionis fonte sumatur ingressus. Aliquando propositio confundatur cum partitione. Sæpe distinguatur , ac per introductionem inter se conjungantur : jam sine ea , sola partitio usurpetur. Confirmatio nunc per hunc, nunc per illum modum instituatur. Similiter & epilogus. Confutatio hic adhibeatur , ibi prætereatur. Denique varietur stylus : hic sit humilior , illic sublimior, isthic temperatus. Modo simplex, modo argutus : jam concisus , mox periodicus , pro materiæ , & artis ratione.

IV. Variatur *argumentis* , & *argumentationibus*. Si rationes non ex eodem Rhetorum loco depromantur ; sed jam sint à definitione , jam à notatione , aut distributione , vel à causis , effectis , relatis , comparatione , simili &c. Nec iisdem , vel ex eodem Scripturæ loco , aut eorundem semper Patrum testimoniis utendum. Similiter variandæ sunt argumentationes. Pars ista Orationis syllogismo ; illa enthymemate , vel collectione Oratoria confirmetur. Aliquando inductio , exemplum , dilema , sorites usurpetur. Interdum fiat per subdivisionem , vel in modum Chriæ , quin etiam ipsæ rationes minus principales jam per hanc , jam per illam argumentandi formam expoliantur. Denique , ut Cicero ait , *in ipsa argumentatione* (syllogismo nimirum) *non semper à propositione*

tione oportet incipere, nec semper quinque partibus abuti, neque eadem ratione expolire partitiones: sed tum ab assumptione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum utraque, tum hoc, tum illo complexionis genere uti.

V. Variatur figuris ad amplificandas, & exornandas argumentationes adhiberi solitis; adeo, ut eadem argumentationis forma sæpe appareat quasi altera. Unde earum præcepta apprime sunt Tironi condiscenda, ususque crebriori exercitatione quam maxime familiaris reddendus. Multum etiam conferunt ad varietatem transitiones, præsertim occultæ, atque ex ipsis rebus natæ.

VI. Variatur genere Orationis. Cum adhibetur dicendi genus nunc *Didacticum* v. g. *Catheceticum* in forma grandiori, aut *Polemicum*, vel *Paraphrasticum*. Jam *Panegyricum*, illudque purum, aut mixtum. Denique *Morale*, quo virtutes suademus, aut vitia insectamur.

§ II.

Paradigma variandæ Orationis Sacræ.

Admodum foret operosum per omnes variandæ Orationis Sacræ modos progredi: fit paradigma unum, in eodem superioris thematici genere, in quo formandæ primæ ideæ specimen dedimus, ut inde cognoscat Tiro, quantum possit variatis argumentis, & argumentationibus ipsa etiam Orationis dispositio variari.

PARS II.

CAPUT. IV.

ARTIC. II.

§ II.

Sententia Sacra: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Matth. 4. v. 9.

Propositio: *Nemo se temere in peccandi pericula conjiciat.*

Partitio: *Quia hominem in peccandi pericula se temere conjicientem 1. nec sua virtus juvat: 2. nec Dei Gratia à lapsu conservat.*

Confirmatio I. partis. Argumentum à negatione specierum ad negationem generis: *Quia nec juvat virtus infirma, nec solida.* Argumentatio per subdivisionem dilemate propositam: *Vel juvaret virtus infirma, vel solida; at neutra.*

I. Pars subdivisionis probatur Enthymemate. Propositio: *Virtus infirma gravibus tentationibus nunquam obsistet.* Ratio propositionis: 1. *ab inductione plurium similium: sic miles debilis vincitur ab hoste robusto: infirmus graviori prosternitur morbo: ædificium exilibus nixum fundamentis facile valido corruiat terræ motu.* 2. *Ab exemplo Petri, cæterorumque discipulorum.* Complexio: *ergo infirma virtus non juvat hominem in peccati pericula se temere conjicientem.*

II. Pars subdivisionis probatur per Collectionem Oratoriam. Propositio: *Nec solida virtus juvat hominem in peccati pericula se temere conjicientem.* Ratio Propositionis ab effectis: *quia tametsi aliquamdiu tentationibus obsistet; tandem tamen succumbet.* Rationis confirmatio à simili: *sicut quercus, licet altis defixa radicibus, ab acrioribus tamen ventis multum agita-*

*gitata tandem sternitur; ita virtus. Unde Sa-
piens ait: qui amat periculum, in illo peribit.
Exornatio ab inductione exemplorum: Da-
vidis, Jacobi Anachoretæ, Macarii Romani tur-
piter prolabantium: denique Hieronymi, ne labe-
retur, in eremum secedentis. Complexio: ergo
nec solida virtus juvat hominem in peccati pericu-
la se temere conjicientem.*

PARS II.
CAPUT IV.
ARTIC. II.
§ II.

Confirmatio II. partis: *Nec Gratia Di-
vina conservat. Argumentum rursus à spe-
ciebus: Quia nec conservat Gratia communis,
nec specialis. Argumentatio per subdivisio-
nem Syllogismo tripartito propositam: Du-
plex est Gratia Divina: communis, & specialis;
sed neutra conservat hominem in peccati pericula
se temere conjicientem.*

I. Pars subdivisionis probatur Syllogis-
mo quinquepartito. Propositio: *Gratia com-
munis, seu ordinaria, hominem in periculis conser-
vans, est Gratia fugæ periculorum. Ratio Propo-
sitionis I. à testimonio Scripturæ: qui cavet la-
queos, securus erit. 2. A congerie similium:
quia peccati pericula se habent instar colubri, an-
guis, incendii, latronum, quos fugiat oportet,
quisquis immunis esse cupit. Assumptio: sed ista
ab homine in peccati pericula se temere conjiciente
respuitur. Exornatio à simili: unde perinde se
habet ac miles, qui in confertam hostium multitu-
dinem, aut in rogam ardentem irrueret, nec ta-
men perimi, aut comburi vellet. Complexio:
ergo Gratia communis hominem in peccati pericu-
lis non conservat.*

PARS II.

CAPUT IV.

ARTICUL. II.

§ II.

II. Pars Subdivisionis : *Sed nec Gratia juvat specialis. Argumentum: quia Deus hanc nulli dat in peccati pericula se temere conjicienti.*

Argumentatio per Syllogismum quinquepartitum. Propositio : *Deus, seu in rebus naturæ, seu Gratiæ, nil agit modis specialibus, quod remediis communibus, ac ordinariis obtineri potest.* Ratio propositionis ab inductione exemplorum : *ut trium Magorum, quos stella deduxit in patriam ignotam; non item reduxit in notam: Petrum vinculis solvit Angelus; non vero calceavit: Paulum Deus è naufragio liberavit; sed enatantem.* Assumptio: *Sed in periculis temere susceptis adest ordinarium fugæ remedium, quo si homo uti velit, eximium se præstare facile poterit.* Ratio assumptionis 1. à testimonio Scripturæ : *qui cavet laqueos, securus erit.* 2. Ab inductione trium Puerorum, Jonæ, Danielis, Judith, quos Deus in sua causa miraculo servavit; contra Dinam solius curiositatis gratia discrimini se exponentem nequaquam protexit. Complexio : *ergo nec Gratia specialis juvat hominem in peccandi pericula se temere conjicientem.*

Epilogus fiat 1. per enumerationem argumentorum : *ergo peccandi pericula non sunt temere adeunda: quoniam nemo suæ virtuti, seu solidæ, seu infirmæ fidere potest: nec in Divina Gratia, seu illa sit communis, seu specialis confidere potest.* 2. *Fiat motus per affectum fugæ, & digressionem moralem ad homines in sua virtute, & Divina Gratia confidentes.* Totius Orationis cum sua elocutione deductæ hic speci-

cimen dare consulto præterimus: cum plura reperientur in Tomulo altero, ubi agemus de eloquentia Sacra speciatim.

P A R S III.

DE ELOCUTIONE ORATIONIS SACRÆ.



Um eloqui (teste (b) Quintiliano) sit omnia, quæ mente conceperis, promere, atque ad audientes perferre; hinc elocutio recte Tullio dicta est: idoneorum verborum, ac sententiarum ad res inventas accommodatio. Hæc propria, & summa pars est Oratoris: nam *invenire*, & *disponere* (ut belle advertit (c) Cicero) sunt propria magis prudentiæ, quam eloquentiæ. Huc igitur omne studium Oratori tam profano, quam sacro adhibendum, ut suas quam eloquentissime expoliant Orationes. Comperit enim habemus, Concionatores elocutionis negligentiores nec libenter audiri, nec optatum, ut vellent, fructum consequi. Tribus autem de rebus agemus: 1. De stylo, seu forma elocutionis. 2. De ornatu. 3. De copia, seu amplificatione. Licet hæc pars ordine naturæ in structura Orationis ultima sit, ante cæteras tamen primo loco tradendam putarem, ut facilius in locis Rhetorici-

N n 3

tori-

b) *Quintilian. l. 8. in Proëm.* c) *In Oratore ad Bruzum c. 14.*

PAPRIS III.
CAPUT I.
ARTICUL. I.
§. I.

toricis, ac reliquis partibus Orationis rite
excolendis Tirones exerceri queant.

CAPUT I.

DE STYLO IN ELOCUTIONE.

Stylus, si primam vocis originem spectes, est acus, seu instrumentum, quo ceratis olim in tabulis scribebatur. Unde factum, ut *Stylus* pro ipsa scriptione, ac dicendi caractere, seu forma elocutionis sumeretur. De hoc igitur, quantum ad Eloquentiam Sacram attinet, hoc capite agemus. Cum autem Conciones plerumque ad populum vulgari idiomate habeantur; hinc ea solum adferemus, quæ communia esse possunt *Stylo*, in quacunque etiam vernacula, excolendo.

ARTICULUS I.

DE STYLO ORATORIO GENERATIM.

§ I.

Natura Styli Oratorii.

Multiplex est Stylus: Familiaris, Poëticus, & Oratorius; nos prætermisissis reliquis, de solo Oratorio agemus. Est autem

I. Stylus Oratorius forma, seu character res inventas, ac dispositas apte eloquendi ad persuadendum. Dixi: *ad persuadendum*, quo differt à reliquis. Id autem cum vocibus perficiatur, prima styli Oratorii quasi materia sunt voces singulæ: hæ vero
jam

jam inter se in aliquam sententiam, vel periodum, aut membrum, vel incisum coordinatæ, sunt quædam velut styli elementa; quæ si ita componantur, ut apta ad persuadendum Oratio evadant, tum hæc compositio erit forma, & character, sive stylus Oratoriæ elocutionis.

II. Unde ille stylum habere bonum censendus est, cujus Oratio selectas voces, appositas sententias, debitas periodos, membra, incisa apte colligata habuerit ad persuadendum: quam si colligationem dissolveris, tum Oratio confestim, defluet stylo idoneo destituta,

III. At quoniam ita quilibet de rebus loquitur, ut de illis cogitat, omnis elocutio est externa quædam cogitationum imago, ut talis stylus sit in dicendo, qualis fuerit comprehensionum animi de rebus in Oratore combinatio. Si itaque mens ordinate cogitaverit, stylus erit ordinatus: si perturbate, perturbatus: si clare, clarus: si obscure, obscurus: si tumide, tumidus. Atque istud est, quod *Juventius* (d) admonet, quemadmodum homo ex anima, & corpore constat; sic è sententia animi, sive cogitatione, & ejus per voces elocutione stylus efflorescit. Quare styli Oratorii primum fundamentum est bene cogitare, id est: prius internum mente stylum debite efformare, cui externa respondeat elocutio.

N n 4

§. II.

d) *In Rat. disc. ac docendi p. 1. c. 1. Art. 2. §. 1.*

§ II.

Dotes Styli Oratorii.

PARS III.
CAPUT I.
ARTICUL. I.
§ II.

Prima dos est *puritas*. *Hanc spectamus* (ait Quintilianus) *in verbis aut singulis, aut conjunctis*. In singulis intuumdum est, ut Orator voces linguæ suæ, qua scribit, aut dicit, maxime proprias, domesticas, ac veluti nativas adhibeat. Unde abstinendum à novatis, obsoletis, peregrinis, ac externis; nisi forsan longo Majorum usu civitate fuerint donatæ. Cujusmodi plurimas in una quavis lingua adscitas reperies. In verbis conjunctis, seu sententiis curandum, ut modi loquendi, seu phrasæ, seu idiotismi, sint unicuique linguæ proprii, ac usitati; in oratione tamen haud vulgares; sed culti.

II. Dos est *perspicuitas*. Posita 1. in proprietate dictionum, ut ad exprimendam rem unamquamque adhibeantur voces, quantum licuerit, suam simplicem, seu propriam, seu translataam significationem habentes. Non igitur sint verba impropria, ignota, abstrusa, æquivoca, ambigua, hyperbata. 2. In ordine rerum, & collocatione verborum. *Rerum*; ut belle noverit, quid primo, quid altero, quid tertio dicendum sit loco. *Verborum*; ne voces sensum unum efficientes longius à se trajiciantur, vel ibi verbum, aut nominis casus collocetur, ubi jure dubites, quorsum referatur. 3. Vitandæ sunt longæ interjectiones, & parentheses. 4. Ne congerantur verba non necessaria. 5. Ne quid ab-

fit

fit, quo manca, & mutila reddatur Oratio.

PARS III.

CAPUT. I.

ARTIC. I.

§ II.

III. Dos est *Ornatus*. Consistit 1. in *tropis*, temperate tamen adhibendis. 2. In *figuris* tam verborum, quam sententiarum. 3. In *argutiis*; at sobrie uturpandis. 4. In *sententiis* tam apertis, quam occultis. Denique in *transitionibus*, præsertim occultioribus, ex re ipsa prognatis.

IV. Dos est *suavitas*. Conciliatur 1. debita *collocatione* verborum. 2. Aptæ eorundem inte se *junctura*, ne aspera, & hiulca pronuntiatio evadat Oratio. 3. *Numero Oratorio*, de quibus diffusius agunt Rhetores.

V. Dos est *copia*. Ut eadem sententia non modo proprie, & eleganter efferatur, sed cum varietate multiplici ceræ instar in alias, atque alias formas, & modulos transfundi queat. Nam ut in rebus omnibus, ita in Oratione varietas delectationem parit. Hæc *copia* alia est *verborum*, alia *sententiarum*, alia denique *rerum*, de quibus alibi acturi sumus.

VI. Denique stylus Oratorius fit 1. dicenti *naturalis*, id est: non coactus, nec affectatus. 2. *Rebus dicendis*, sive themati, & partibus Orationis *accommodatus*. 3. *Par sibi*, ut quo ceperit Orator, eodem prosequatur, & finiat; haud tamen prohibeo varietatem, quam res ipsa postulat: alia enim periodice, alia membratim, incisim alia sunt dicenda. Hic argutiæ, ibi nudæ adhibentur sententiæ. 4. Denique Oratio sacra *spiret religionem*, ac

PARS III.

CAPUT I.

ARTIC. I.

§. III.

pietatem, ut à profanis, & Academicis sermonibus secernatur. Unde Scripturæ, aut Patrum sensus, & verba, licet barbara, miram tamen vim, & efficaciam habentia, non sunt aspernanda.

§ III.

Vitia styli Oratorii.

QUæcunque styli dotibus adversantur, vitiis sunt adnumeranda. Sunt tamen præter hæc, alia etiam ejus peccata, Oratori magnopere vitanda. Horum aliqua libro primo jam retulimus, nunc reliqua speciatim exponemus.

I. Vitium est *tumor*, eorum, qui semper nubes, & inania captant, humi incedere nesciunt. Positus est tam in *verbis*, quam in *sensibus*. In *verbis*: cum aut *novis* (ut ait Author ad Herennium) aut *priscis verbis*, aut *duriter aliunde translatis*, aut *gravioribus*, quam *res postulat*, aliquid dicitur. Sit exemplum ex Anonymo: *Papæ! quid hoc? en Crates Philosophaster, cum Athenas, oculum Græciæ, arguendi gratia pedasset, aurum abjecit, & vos auro suffarcinati Christum Codrum sequemini, qui prætextu eleemosynæ Mammoni sacrificatis?* 2. In *sensibus*: cum *verba sunt usitata*; at *sensu inflata*. Ut illud ex Sole Mariano Panegyri VII. *Etiam Sarmatica Ignatii legio nova belli fulmina subministrat. Nimirum & sub axe frigido calent animi, & ignes cælo excitant triumphales. Non soli ad Romulum volant vultures; & aquilæ Romanorum aquilis permiscende.*

Nempe

Nempe si columbæ filium colit Roma, nec pullos aquilæ aspernatur, quos terris educat Lechia, regnum aquilarum. &c. Quid tumidius? quid obscurius?

PARS III.

CAPUT I.

ARTICUL. I.

§ III.

II. Vitium est: cum stylus est *frigidus*, ac *juvenilis*, qui puerilia quædam ornamenta, lepores insulfos, conceptus Scripturæ, & allusiones frivolas, descriptiones affectatas, putidas metaphoras, verba diminutiva, cæteraque hujusmodi crepundia plerumque à rebus venustis deprompta confectatur. Anonymus de S. Aloysio: *O bellum flosculum! O pulcellum adolescentem Aloysium! quem nescio, utrum lilium appellem, an rosam? Tantus in eo vitæ candor erat, ut merito candidum lilium diceat: tam cruenta sanguinariæ pœnitentiæ severitas, ut rubens sanguine rosa vocari debeat. Verum utrumque de Aloysio dicamus; scriptum est enim: Dilectus meus candidus, ac rubicundus: candidus vitæ innocentia: rubicundus severa pœnitentia. Ibi lilium; isthic rosa.*

III. Vitium est: stylus *floridus*, crebrioribus metaphoris, ac tropis luxurians: inepte, aut nimium argutus: admodum allegoricus. Flores quidem, sententias, & argutias admittit Oratio Sacra, maxime Panegyrica, haud tamen coacervatas, aut per vim adductas. Patitur quoque allegorias, sed graves, ex appositis Scripturæ verbis potius, quam aliunde depromptas, & prudenter tractatas. Sint exempla: I. *Floridi ex Panegyrico Theodorici: Adhuc in cano flore*

PARS III.
CAPUT. I.
ARTICUL. I.
§ III.

flore degebas adolescentiæ, nec virtutum messem lacteus culmus attulerat, nec tingens faciem lanugo vestiebat, quando ævi purpura, & flosculus supervenientis imperii promittebat sollicitis de gratiæ commutatione terrorem. 2. Inepte arguti, quod olim memini me audisse: *Inter tonitrua, & fulmina dederat olim legem Moyse Deus. Quid agam peccatores? an in vos legum Divinarum prævaricatores vocem animem in tonos, an in tonitrua? dubia suspensus, velut ad subitum quoddam tonitru, hæreo antithesti.* 3. Allegorici simul & arguti: *Vulnera tua non aliter aspicio Christe: quam in tanto alveari, id est: corpore tuo magna foramina, è quibus Hyblæo quovis nectare gravior sanguis promanavit. Ita nempe suavissima apis etiam sanguinem tuum mel facis, memorque te esse florem, de te ipso mel legis. Merito dulcissimus vocaris Salvator, quandoquidem te undique sanguine, quasi suavissimo nectare, perfudisti.*

IV. *Humilis, & pedester, qui humi repit, vix, aut nunquam altius affurgit, verbis est impolitus, nec figuris ornatus, minime autem gravis, vel argutus. Sit exemplum: De Charitate bodie ad vos dicere constitui Auditores. Si de re aliqua, de hac certe, quam diligentissime debetis me audire. Est enim hæc inter omnes virtutes maxima: nam S. Paulus enumerans virtutes Theologicas ita loquitur: Fides, Spes, Charitas; horum autem major est Charitas.*

V. *Abruptus, ac dissolutus, in quo membra neutiquam, vel male cohærent; singula*
læ

læ sententiæ singulis incisus finiuntur. Exemplum : *Est Deus res inter omnes Optimus, Maximus. Est Charitas virtutum omnium maxima virtus. Habet Divinam bonitatem: in hanc, velut in scopum, fertur sagittæ instar. Hanc colite, hanc amate. Corrige, si dixeris: Quemadmodum Deus Optimus Maximus res omnes creatas quam longissime antecellit; ita profecto Charitas, virtutum omnium præcellentissima virtus, cæteris quam maxime præstat. Habet hæc Divinam Dei præpotentis bonitatem, velut scopum, & metam, in quam emissæ instar sagittæ celerrimo cursu semper ferri solet. Si salvi esse cupitis: hanc colite, hanc amate.*

VI. Vitium: si fit *Laconicus*, seu nimium brevis, qui omnia in pugnum contrahat, & plura cogitanda relinquat, quam dicat. Ut illud Cleomenis Spartanorum Ducis ad Samios: *eorum, quæ dixistis, prima non memini: media non intelligo: ultima non probo.* Vel: *Hominem Cæsar ut vidit, probavit, amavit.* Hæc, aut his similia, licet in Oratione (quæ fluminis instar ferri debet) in modum Epiphonematum adhiberi queant; haud tamen assiduo; sed interdum.

VII. Vitium: si nimium sit *prolixus*, qui diffuse cuncta minutim prosequatur, accumulet synonyma, dicta semel rursus otiosè (quod *tautologiam* dicunt) jam iisdem, jam aliis verbis repetat, aut supervacaneis (*pleonasmus* vocant) verbis redundet. Ita Cicero *Panjam* irrisit, cum filium decem mensibus à ma-

PARS III.
CAPUT I.
ARTIC. II.
§. I.

à matre utero gestatum dixisset: ergo (inquit) *aliæ in penula filios gestare solent?*

ARTICULUS II.

DE TRIBUS STYLI ORATORII SPECIEBUS RATIONE MATERIÆ.

§. I.

Natura hujus triplicis specie styli.

CUM Orator de rebus dicat, res autem *aliæ sint parvæ, aliæ graves, aliæ mediocres*; hinc alia exigunt dici *humiliter, alia sublimiter, alia denique temperate*. Dupliciter autem res parva, aut magna dici potest: 1. *rei natura*, ut sunt: *Deus, Angelus, cælum, virtutes, universim res Divinæ. Vel hominum opinione*, ut *honores, pompæ, triumphi, victoriæ*. 2. *Ex Rhetorum fine, & æstimatione*. Sic de *mysterio Trinitatis* verba *didactice* factururus, rem *natura* quidem *gravissimam*; at ex *Oratoris fine*, ac *existimatione* *parvam* diceres. Unde *res parvæ* illæ sunt *Oratoribus*, in quibus *eloquendis præstantia* *Oratoria*, habita ad *cæteras styli species* *ratione*, *minimum* elucet. Hujusmodi sunt, quæ *explicari, illuminari, doceri* desiderant. *Mediocres* reputantur, ubi *Oratoris præstantia* paulo *amplius* conspici debet. Qualia sunt, quæ & *illuminare, & cum delectatione* proferuntur; ita tamen, ut *delectatio* *potiorem locum* teneat. & *illuminatio* *serviat ad delectationem*. Denique ubi non *docere solum, & delectare, sed plu-*
ri-

rimum movere debet Orator, hoc *gravissimum est* Rhetorum existimatione: quoniam in eo maxime elucere solet Oratoris ars, & præstantia. Ex his confice: in Eloquentia tam profana, quam sacra, ratione materiæ, ac rerum dicendarum tres styli species exurgere: *submissum, sublinem, ac temperatum.* Nunc de singulis seorsim agendum est.

PARS II.
CAPUT I.
ARTICUL. II.
§. I.

I. Stylus *submissus*, quem etiam *infimum, humilem, tenuem*, Author ad Herenium *attenuatum*, Quintilianus (e) vero *gracilem, subtilem*, Græce *ισχυρόν* vocat, est tale dicendi genus, quod Authori ad Herennium *ad infimum, & prope quotidianum sermonem demissum est.* Nolim tamen hoc nomine intelligas neglectum quemdam, ac vulgarem scribendi modum. Habet enim *submissus* hic etiam dicendi character suas dotes, ac virtutes. Nam licet parcus sit in ornamentis, respuat amplificationes, affectus, figuras graviore: nec periodos, numeros accuratiores exquisit; utitur tamen verbis puris, & electis: admittit phrasas, tropos, figuras, leniores tamen, ac docentes, atque ad Orationis ornatum spectantes; qualium in vulgari etiam consuetudine usus esse solet. Verbo: est stylus nitidus, simplex, naturalis, qui nudam rei naturam, & veritatem, ut in se est, dicendo exprimere conatur, quod in communi sermone præcipue spectari solet.

II. Sty-

e) *Instit. Orat. l. 12. c. 10.*

PARS III.

CAPUT. I.

ARTICULUS. II.

§. 1.

II. Stylus *sublimis* est grandis, vehemens, incitatus, plenus vividis tam cogitationibus, quam sensibus, & animi motibus. Utitur verbis grandibus, ac sonantibus: sententiis virtutis energia, & majestate plenis. Præter invictam argumentationem gaudet gravioribus amplificationibus, figuris illustribus, præsertim moventibus, ut *interrogationis, repetitionis, apostrophes, obsecrationis, comminationis, prosopopœæ*, qua defunctos excitat: patriam, Ecclesiam loquentes inducit: ad Deum, & superos se convertit. Vehementiores affectus, ut iram, odium, misericordiam ciet. Per crebra incisa urget, mordet, perstringit, torrentis instar rapidus fertur. Denique cum *Pericle* tonat, fulgurat, fulminat, omnia permiscet.

III. Stylus *temperatus* humilem inter, ac sublimem medius est, unde mediocris appellatur: isto demissior, illo elatior, qui ornatus plurimum, minus vehementiæ habet. *Est translationibus* (ut ait (g) Quintilianus) *crebrior, figuris jucundior, egressionibus, & descriptionibus Rhetoricis amœnus, sententiis dulcis*, frequenti eruditione, similitudinibus, argutiis, gnomis, periodis, ac numeris ad delectationem, plausumque conciliandum aptis, mire venustus. Continet affectus, sed leniores: ut amoris, spei, gaudii &c. Denique, ut verbis Quintilianiani (h) utar: *veluti quidam amnis lucidus, & viventibus utrinque*

sylvis

g) *Instit. Orator. l. 12. c. 10.* h) *Ibidem.*

sylvis inumbratus. Quibus postea omnibus efficitur, ut aurea quadam mediocritate, qua non potest non delectari Auditor, temperata Oratio suavissime in aures, animosque illabatur.

IV. Sed neque his tribus dicendi characteribus (ut recte advertit Quinctilianus) Eloquentia includitur. *Nam ut inter gracile, sive submissum, validumque, id est sublime genus, tertium aliquid constitutum est; ita horum sunt intervalla, atque inter hac ipsa mixtum quiddam ex duobus medium est.* Ut enim submissio datur submissius, & etiam altius, quod temperato propius accedit; ita sublimi, ac vehementi datur remissius, ac etiam vehementius, & sublimius. In leni quoque, ac temperato datur gravius, & grandius, quod virtutis energia, & sententiarum amplitudine ascendit ad sublimem: vel tenuitate submittitur ad temperatum: non secus, ac inter quatuor ventos generales, aut in musica principales inter sonos plurimi medii reperiuntur; ita in singulis dicendi generibus dari differentias secundum *magis, & minus* ait Turnebus. Ex his autem characteribus ille cæteris præferendus est, qui ad rem, de qua agitur, maxime fuerit idoneus.

§ II.

Usus triplicis hujus Styli.

RAro admodum, immo nunquam evenire solet, ut in quacunque thematis specie, uno, eodemque styli genere tota O-

PARS III.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§ II.

ratio decurrat; hæc igitur adhibendi hujus triplicis styli lex esto generalis. Concionem elocuturus Orator, advertat ad *materiam*, ad *finem*, ad *circumstantias* dicendæ Orationis.

1. *Ad materiam*: in rebus enim tam natura, quam hominum opinione magnis, ut de *Deo*, *Ecclesia*, *Patria*, &c. utimur stylo *sublimi*, vel certe *grandiori*, temperatum inter & sublimem medio: in parvis, & familiaribus infimo: in jucundis ad laudem, plausum, delectationem pertinentibus temperato. 2. *Ad finem*, & *propositum* Oratoris, ut in qua dictione, aut dictionis parte docere intendit, stylum usurpet *submissam*, licet de Deo, ac rebus magnis agat; tunc enim ista ad finem Oratoris evadunt parva. Contra in rebus tametsi natura, & hominum opinione parvis, si movere, ac flectere velit Orator Auditorem, adhibeat *sublimem*. Ubi vero solum delectare animus est, utatur *temperato*. 3. *Ad circumstantias*: quis nempe ad quos dicat. Nam ad *obduratos*, qui impetu magis, quam ratione impelluntur, recte sectabimur summum genus. Ad *molliores*, ut *Nobiles*, *Religiosos*, *Viros doctos*, quorum est plerumque ratione, non affectu duci, vel si Orator autoritate præstet, ut sunt *Principes*, *Optimates*, *Præsules*, *Viri doctrinæ fama conspicui*, adhibeat *temperatum*, grandiosem tamen, qui energia, & sententiarum amplitudine ad sublimem accedat. Qui voce exili, ac pectore angusto præditus est, frustra ad
sum-

summum genus aspirat. Nec debilis memoria cultum ornatiorem affectet; argutus vero, ac temperatus character acutum ingenium deposcit. Hæc in genere, nunc particulatim.

PARS III.
CAPUT I.
ARTICUL. II.
§. II.

I. *Stylus infimus* locum habet: 1. in Concionibus *Didacticis*, fidei, morumve capita exponentibus: in *Paraphrasticis* Evangelium, vel alium quemcunque scripturæ locum explanantibus: in *Polemicis*, vel *Apologeticis* res fidei controversas tractantibus: in *Dogmaticis*, quibus obscurius aliquod Religionis mysterium, ut de SS. *Trinitate*, de *Cælesti gloria*, de causis *Incarnationis* è Theologiæ fontibus declarandum venit. 2. In partibus *Orationis*, quibus docetur, ut in propositione, partitione, introductione, narrationibus, aliquando in confutatione, ac etiam exordio narrationem, vel paraphrasim Evangelicam continente.

II. *Stylus sublimis* adhibetur: 1. in *Concionibus Moralibus*, ubi agitur de evellendis vitiis jam inolitatis, aut de veritatibus Evangelicis, sed durioribus, ut de relapsu vitando, de fuga occasionum, de condonandis injuriis, de carne domanda, de charitatis Christianæ officiis &c. 2. Ex partibus *Orationis* convenit *Petorationi*, *complexionibus argumentorum*, *digressionibus moralibus*, *adhortationibus*, *narrationibus rerum tragicarum*, & ad motum comparatis. Universe: ubi graviores amplificationes, & affectus exciuntur.

PARS. III.
CAPUT. I.
ARTICUL. II.
§. II.

III. *Stylus mediocris* sedem obtinet: I. in Orationibus *Panegyricis* Sanctorum: in *Eucharisticis* pro reportata victoria, confecta pace: in *Funebribus*, *Genetbliciis*, & quidquid ad *Panegyricum* refertur, ubi pro ratione thematis, & circumstantiis dicendæ Orationis, in eodem temperati genere jam grandior, jam argutior, ac etiam remissior esse potest. 2. In iis Orationis partibus, & locis, quæ nec docendi, nec movendi, sed oblectandi, vel Auditorem conciliandi, aut ad reliqua disponendi finem habent: cujusmodi plerumque est exordium (nisi ex abrupto fiat) ingressus nobilioris argumentationis, vel narratio rei jucundæ, aut ad ornatum Concionis comparatæ. Denique quidquid ad laudem, gaudium, plausum, voluptatem refertur, stylo mediocri, eoque grandiori, aut remissiori gaudet, ut res nempe postulaverit.

§. III.

Paradigmata in hac triplici specie styli.

PULcherrima in hoc triplici styli genere exempla proponit *Author ad Herennium*; nos etiam in superioribus exercitationibus complura habemus; Tironum tamen gratia libet alia sub unum velut aspectum adducere, ut in eodem argumenti genere, triplicis hujus styli natura, & diversitas amplius exemplis pateat.

Paradigma I. *Styli submissi*. Thema: *Pecator Dei Gratia destitutus nequit agere pœnitentiam.*

tiam. Elocutio in genere submissio (Oratorio tamen) sine ornatu periodorum, cultu illustrium figurarum, & graviorum affectuum, cum hic solum docere sit propositum Oratori.

PARS III.
CAPUT I.
ARTICUL. II.
§ III.

EXERCITATIO.

Magna est calamitas peccatoris, Dei præsertim Gratia destituti. Novit ille penitentiam certum, & unicum salutis esse remedium; nec tamen penitere curat: licet ad eam assiduo sua illum Gratia urgeat Deus. Si hæc est peccatoris Divina Gratia præditi infelicitas, quid esset Auditores, si omni Gratiæ præsidio destitutus foret? An spes aliqua affulgeret eum virtute sua ad penitentiam converti posse? Mibi videtur nulla. Quoties enim hujusmodi sceleratorum reminiscor, toties videor mihi intueri homines velut aquis merfos, qui Jobi testimonio, iniquitatem quasi aquam bibunt; aut cæcos utroque orbatos lumine, de quibus scriptum est: (k) excæcavit illos malitia eorum: vel quod miserabilius est, totidem bruta omni ratione carentia: Homo (ait Divinus(l) Spiritus) cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hoc si ita? quis jam credat, peccatorem è profundo scelerum puteo emergere posse, nisi Gratia, velut fune, Divinus Pater traxerit illum? Nec Cælestem unquam videbit lucem, nisi ille, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sua Gratiæ lumine illustraverit eum. Audistis-

O O 3

ne,

k) Sap. 2. v. 29. i) Psalm. 48. v. 21.

PARS III.
CAPUT. I
ARTICUL. II
§ III.

ne brutum aliquod eo progressum fuisse, ut artes, & scientias condidicerit? Credite: simile quid contingeret, si peccator sibi relictus pœnitere posset. Sicut enim artes rationales superant rationis expertes brutorum facultates; ita pœnitentia, actus Divinus, & salutaris, excedit humanas naturæ vires; nisi Dei Gratia adjuventur. En, quam vere dixeram: magna est calamitas peccatoris Dei præsertim Gratia destituti.

Paradigma II. *Styli sublimis* in eodem, quod ante infimo etulimus, argumenti genere, ubi per crebriora membra, & incisa, graviores figuras, vehementiores affectus movere contendit Orator.

EXERCITATIO.

Haecenus infelicem miseri peccatoris Dei Gratia destituti conditionem ex me intellexistis; nunc grandius aliquid, omni majus admiratione, & animi horrore plenius, proponam vobis. Ruit sua fretus potentia de scelere in scelus miser peccator, & animi securus ad interitum audacissima fertur cœcitate. Huc, huc, oculos, & totum, quem habetis, animum, advertite Auditores! Videte peccatorem, quid agat? quid moliat? Facet ille, & quidem in teterrimo veluti carcere gravissimorum peccatorum tenebris involutus jacet. En, ut illic stringitur atrocissime avernalis Tyranni vinculis! En, ut sexcentis tota anima dilaniatus vulneribus squallet! Quid ad hæc Auditores? Non vos miseret tam miserandæ fratris vestri calamitatis? Sed audio gementes: ah utinam quis misero vincula demat, cæco facem præferat, infirmum

firmum subleuet, squalentem abluat! Verum quid ista in irritum optatis Auditores? Adest peccatori Divina Gratia, quæ vinctum solvat, cæcum illuminet, jacentem erigat, ægrum corroboret; & tamen peccator à lumine fugit, catenas firmius adstringit, Cœleste auxilium impudenter respuit, cur (ait) agam pœnitentiam, sat est temporis, quo semper, si libuerit, potero pœnitere. O stultam peccatoris audaciam! O immanem superbiam! obstupefcite ad hanc Angelici Spiritus! peccator ex homine jumentum factus, suis se viribus resurgere posse putat; cum tamen vos, tam excelsi natura spiritus, ne id quidem virtuti vestræ adpromittere audetis, ut vel stare valeatis? Ab quam ego vehementer de te, mi peccator, timeo! ne, qui hodie, cum adest Gratia, tam impie, tam ingrâte, tam impudenter, tam stulte dicis: nolo; cras in squallore tuo exclamare cogaris: non possum. Est enim hæc justissima peccati pœna (ait Augustinus) ut, qui recte facere cum possit, renuit; amittat posse, cum velit.

Paradigma III. Styli temperati in eadem, ut prius, materia, sed paulum versa ad commendandam Gratia Divinæ virtutem per periodum ornatiorem: per figuras delectantes, ut antitheta, similiter desinentia, &c. per affectus, sed leniores.

EXERCITATIO.

Et si maxima sit peccatoris infelicitas, quod à Deo, unica, & sola hominis beatitate, quam longissime removeatur; habet tamen in hac ipsa infelicitate adjunctam mire felicitatem, quod Dei Opti-

PARS III.

CAPUT. I.

ARTICUL. II.

§ III.

mi Maximi sanctissima Gratia ex hac infelicissima conditione, si modo velit, semper emergere possit. Hæc enim est lux illa beatissima, hæc remedium illud Divinissimum, quod peccatorem è tenebris ad lucem: ex voragine ad portum: è tetro carcere ad auram suavissimam: ex vinculis averni ad auream filiorum Dei asserit libertatem. Divina Gratia ornatus peccator non jam squallebit sordidus; sed fulgebit in conspectu Angelorum super lunam, & solem. Non erit Dæmonis mancipium, aut junentum; sed Dei filius efficietur. Non illum odio prosequetur ut inimicum; sed amicissima benevolentia complectetur ut amicum. Non stimulis acerbis turbulenta malefactorum agitabit conscientia; sed suavissima peccatorem animi dulcedine permulcebit. Denique peccator, qui mortuus erat, aut certe infeliciorem omni morte corporea vitam vixit, per Gratiam resurget, ac vitam vivet longe felicissimam. O vim Gratiæ excelsam! O virtutem admirandam! Ah igitur Auditores, si tanta est Divinæ Gratiæ præstantia, tanta virtus: nolite, obsecro, hoc præcellens Dei donum tam parvi facere, ut illud vili vestræ voluptati posthabeatis.

Paradigma IV. *Styli mixti* ex temperato, & sublimi, constans verbis sonantibus, epithetis, & substantivis, moderate crebrioribus, phrasibus, sententiis, tam apertis, quam occultis, sensu gravibus, subtiliter argutis: aptis similitudinibus. Haud tamen est vehemens figuris, & affectibus gravioribus, nec frequentioribus incisus concitatus, sed periodis, ac numeris ad delectatio-

tionem compositis amœnus. Verbo: mixtus, quem cum *Masenio* stylum grandem, vel gravem dicere potes, quali ad Auditores eruditos, & graves utendum est. Thema: *Vir sapiens non debet irasci ob peccata hominum.* Depromptum, ex libris *Senecæ* de ira, atque ex conciso, & abrupto dicendi genere in hanc formam Oratoriam commutatum.

EXERCITATIO.

Si virum sapientem ob unum quodvis turpiter, aut malefactum confestim ira commoveri, tristitia conturbari oporteret, miserrima profecto, & ærumnis plenissima foret hominum sapientum fors, & conditio; cum omnem illi vitam in perpetua iracundia, & animi mœrore exigendam haberent. Quod enim est vel minimum temporis momentum tam felix, fortunatumque, ut nihil in eo jure improbandum, condemnandumve ab hominibus committeretur? Certe quoties processeris domo, toties fere per sceleratos, per avaros, per prodigos, per impudentes tibi erit procedendum. Flecte, quocunque libuerit, oculos, quorsum, oro, deflectes, ut non plurima, eaque maxima reperias, ob quæ justissima non indignatione, sed iracundia accendaris? Deficiat, oportet, quisquis toties à se iram exigit, quoties illam causa deposcit. Aspice! hæc ipsa tot hominum millia nunc ad forum properantia, Deum immortalem! quam turpes lites, quam fœdæ causæ habeant advocatos? Ille judicium Patris accusat: iste cum matre consistit: alius fratrem commissi sacrilegii, perpetrati parricidi reum in crimen, & judicium

PARS III.

CAPUT I.

ARTIC. II.

§. III.

vocat. Amplius dico : ipse Judex per sepe ejusmodi sedet pro tribunali, ut in id sententiam ferat, quod ipsemet nunc fecit, vel saltem aliquando patrati ejusmodi criminis reum mordet conscientia. Quid singula prosequor? cum videris forum multitudine refertum, & septa concursu omnis frequentiae plena, & illum circum, in quo maximam sui partem populus ostendit: hoc credito, quantum illic est hominum, tantum pene est gravissimorum vitiorum. Hos ipsos, quos hic toga indutos considerare vides, non toga; verum sago praecinctos intueri deberes. Nulla enim eos inter pax est: alter in alterius exitium levissimo compendio non ducitur; sed quodammodo ruit, ut ex damno alieno sibi commodum, ex miseria felicitatem adsciscat. Si unquam, nunc certe, comperio: humanam vitam ludo persimilem esse gladiatorio, ubi quot sunt viventes, totidem fere numerantur pugnantes. Aut certe ferarum quemdam video esse conventum, hoc tamen istum illo mitiorem, quod haec similibus morsu animalium abstineant; homines vero, tametsi ratione praediti, quasi rationis expertes, mutua non nisi laceratione satientur. Desine tandem, desine peccatis hominum irasci sapiens! nam nisi ultro desieris, nunquam desines: semper enim plus scelerum ab hominibus committitur, quam ulla possit coercitione persanari.



ARTI.

ARTICULUS III.

DE ALIIS STYLI SPECIEBUS RATIONE FORMÆ.

PARS III.
CAPUT I.
ARTIC. III.
§ I.

§ I.

De stylo Periodico, & Conciso.

CUM delectus verborum, eorumve diversa combinatio alium ab alio Oratorem faciat in stylo; hinc ratione hujus combinationis, quam elocutionis formam esse diximus, novæ styli species exoriuntur. Ut *Periodicus*, *Conciscus*, *Argutus*. Primos hoc articulo, tertium seorsim cura majore exponemus.

I. *De stylo Periodico, seu Circumscripto.*

Est hic ejusmodi dicendi character, qui certa quadam verborum inter se connexorum, & numeroſe cadentium serie, & ambitu definitur. Exempla reperies in paradigmate I. Quid autem fit periodus? quæ illius species? quibusve partibus constet? aut quomodo construenda, ac definienda sit? non est, cur his minutiis Sacræ Eloquentiæ majestas, gravioribus intenta, diffusius occupetur. Si cui animus est intermissa in memoriam revocare, facile poterit ex obviis Rhetorum libris supplere. Stylus iste locum obtinet etiam in Orationibus Sacris, licet vernacula dicendis, in *laudatorio* maxime genere, ad suavitatem, ac delectationem comparato. 2. *In exordiis*, ubi blandius semet insinuare, Auditorumque benevolentiam,

&

PARS III.
CAPUT I.
ARTIC. III.
§ 1.

& attentionem conciliare voluerit Orator.
3. In *ingressibus argumentationum*. Reliquo autem confirmationis corpore jam periodice, jam membratim, aut incisim dicendum erit, perpetuis enim periodis & ars ostentaretur, & fatietas adferretur. Cavendum tamen, ne Periodi sint longæ, aut inanibus verbis ita refertæ, ut vix pronunciandis spiritus sufficiat. Apposite misceantur: trimembribus, quadrimembres: vel unimembres, aut bimembres: nec eodem sæpius modo, aut numero claudantur.

II. De *Stylo conciso*. Hujus nomine non intelligimus abruptum illum, obscurum, suspensum, sine nexu, numero, ac flumine scribendi modum; sed qualem suis in Orationibus sæpe admiscet Cicero, ac cæteri probant Oratores. Est autem ejusmodi dicendi genus, quo plurima membratim, aut incisim, vel utroque permixtum: jam in periodis, jam extra, sensu completo, jam incompleto dicuntur. Res patebit exemplis in paradiigmate adferendis. Stylo conciso utimur: 1. ad graves Auditores, cum de rebus gravibus sensate, sententiose, & argute dicere volumus. 2. In Orationibus brevibus, ubi multa paucis sunt comprehendenda: quas si periodorum ambitione circumduceres, nihil præter strepitum, ac fumos haberes. *Alia autem est justarum Orationum ratio, ut ait (m.) Caesius, quæ cum*

ma-

majoribus fluviis sumillimæ videantur, non debent istis affectatæ brevitatis legibus constringi; ne videamur Helleponto, Xerxis more, pedicas, & compedes injicere. Granditatem minuit Oratoriam frequens concisio periodorum; & licet plus floris ostendet, minus tamen habet majestatis. 3. Dum vehementius instamus, vel aliquid urgemus, aut acrius perstringimus: vel minamur, aut exaggeramus, vel laudibus extollimus, aut deprimimus, eleganter incisa congeruntur. 4. Similiter in epilogo, & complexionibus. 5. In ciendis item gravioribus affectibus.

PARS III.
CAPUT I.
ARTIC. III.
§ II.

§ II.

Paradigmata styli Periodici, & Concisi.

Paradigma I. Styli Periodici ex Quadragesima P. Segneri sermonis VI. exordio depromptum, & accomodatum. Thema: *Gentiles, maxime Ægyptii, vilissimos quosque Deos coluerunt.*

EXERCITATIO.

Quadrimestris. *Nescio Auditores, unde provenisse dicam, quod infelices superiorum ætatum homines, licet non vulgari humanæ sapientiæ laude floruerint; nihilominus tamen eo dementiæ fuerint prolapsi, ut plerumque viles & ignavos potius Deos, quam nobiles, ac generosos voluerint adorare. (Bimestris) Per vagamini, si libet, diversos cæcæ gentilitatis populos, videbitis eos immensam stupidissimorum quorumque Deorum turmam omni ratione, ac sensu destitutam coluisse.*

(Uni-

PARS III.

CAPUT I.

ARTIC. III.

§ II.

(Unimembris) Præ cæteris tamen hac vesania laborasse Ægyptios comperio. (Trimembris) Tanta enim erat eorum cæcitas, ut vix colonum, aut Agricola^m unum aliquem licuerit reperire, cui suus non in horto Deus nasceretur. Adgerunt Deos sat erat iis ligonem adhibuisse: omne porrum germinans, aut cepa è terræ visceribus effossa jam illico Numen erat &c.

Paradigma II. Styli concisi ex Vieira sermone B.M.V. de Gratia accomodatum. Thema: Divinæ Gratiæ pretium est Deus in Cruce.

EXERCITATIO.

Si necdum nostis Auditores (Incisa sensu incompleta in periodo) quod sit Divinæ Gratiæ pretium, quod pondus, quod momentum; attollite oculos in hoc Crucis simulacrum, & confestim videbitis, justissimum Cœlestis Gratiæ pretium esse Deum Cruci affixum. Quid enim est, quod se Divinissimus Servator appendi siverit in Cruce? An non aliis etiam modis eam nobis poterat promeruisse? Poterat enimvero. (Incisa sensu completa) Hoc enim tradunt scholæ: hoc asserunt Patres: hoc ipsa fides docet. Si poterat? Cur ergo noluit, nisi positus in Cruce? Volebat nempe, ut è Cruce, velut è statera, Divinæ Gratiæ pretii magnitudo nosceretur. Audite Emissenum: In trutina Crucis se ipsum author Gratiæ passus est appendi, ut homini, qui à statu Gratiæ degeneraverat, dignitatem suam ostenderet pretii magnitudo. Videte: quanti ponderis sit Gratia! Illius certe, ut cum toto in statera appendi possit Deo. (Incisa sensu incompleta) Ponite, si libet,

libet, in illam regna, coronas, scepra: ponite imperia, monarchias: ponite omne id, quod dare potest natura, fortuna: ponite mundum; immo ponite mille mundos: quin ipsum etiam ponite Cælum cum sua gloria, quid, obsecro, horum cum Gratia vel in minimam comparationem venire potest? Bona huius mundi vel sunt bona naturæ, vel gloriæ, vel Gratiæ. (Membra sensu completa) Bona naturæ Deo non nisi uno verbo constiterunt suæ omnipotentiae: bona fortunæ illi constiterunt una mica suæ providentiæ: bona gloriæ illi constant una visione suæ essentiæ. Bona vero Gratiæ quanti constiterunt? Crux illud loquatur: (Membra sensu completa) constiterunt vita Dei, constiterunt sanguine Dei, constiterunt honore Dei, constiterunt anima Dei. O ingens Gratiæ pretium! O pondus immane!

Paradigma III. *Styli mixti periodis, membris, incis, in laudem S. Catharinæ Martyris. Thema: S. Catharina Maximinum Tyrannum gloriose superavit.*

EXERCITATIO.

Periodus quadrimembris constans incis, membris, sensu incompletis. *Quoniam vesana Maximini crudelitas omnem eo moverat lapidem, ut teneram Catharinæ mentem (Incisa sensu incompleta) qua promissis, qua blanditiis, qua tormentis ad arbitrium suum inflectere posset; ea tamen invictæ Martyris fuerat constantia, ea fortitudo (Membra sensu incompleta) ut nec ullis potentissimarum licet blanditiarum illecebris,*
 nec

PARS III.
CAPUT I
ARTICUL. II
§ II.

nec suppliciorum, quantumvis immanium, atrocitate, a proposito firmitate potuerit dimoveri. (Bimembris) Quod certe in Catharina tanto est admirabilius, quanto illud in tenella Virgine videtur esse incredibilius. (Unimembris) Conspiraverant ad labefactandam Catharinæ constantiam amor simul, & furor. Amor, (Incisa sensu completa) ut eam blanditiis caperet, promissis deciperet, spebus deliniret. Furor, ut minis perterreret, suppliciiis exarmaret. (Incisa sensu incompleta) Ille sceptrum, purpuram, coronas offerebat; iste catastas, secures, rotas adducebat. Quid hæc inter Catharina? an blanditiis capta? an fracta suppliciis? Absit! Quid igitur? stupete! Catharina, (Incisa) ætate tenera, sexu fragilis, corpore imbecilla, sed animo excelsa, (Membra sensu incompleta) ad declarandam Gratiæ Divinæ potentiam, ad probandam Cœlesti sponso fidem, nullis armorum munita præsidiis, sed Divina solum fortitudine roborata (Incisa) stupente mundo, frendente tartaro, plaudente Cælo, incredibili constantia (Membra sensu completa) explosit fallaces inanis Philosophiæ versutias, contempsit blandientis Tyranni fucam benevolentiam, (Incisa sensu completa) sprevit promissa, rejecit coronas, excepit secures, verbo: Tyrannum omnibus in se amoris, ac furoris artibus depugnantem vicit, infregit, exarmavit. O admirandam Catharinæ constantiam! O incredibilem fortitudinem! O victoriam toto Orbe celebrandam!

ARTI-

ARTICULUS IV.

DE STYLO ARGUTO SPECIATIM.

§ I.

*Leges styli arguti.*PARS III.
CAPUT I.
ARTIC. IV.
§ I.

STylus (*n*) argutus, quem alii *acutum*, *subtilem*, *splendidum*, *ingeniosum* appellant, est dicendi character, plenus variis elegantibus, acriter ingeniosis, & acutis cogitationibus, quæ rem ita depingunt, ut intellectum ad eam cognoscendam alliciant, rapiant, mirifice delectent, imaginandi vim excitent, aut si veritas jam ante cognita fuit, multo adhuc amabiliorem reddant. Verbo: est sermo intellectus acuti, & Auditori placere volentis ingenii. Ut recte usurpetur, sequentia sunt servanda.

I. Argutiæ in Oratione Sacra, licet panegyrica, *non sint nimium crebræ*. Quamvis enim hæ temperatius adhibitæ vividam, splendidam, florentemque faciant Orationem, intemperanter tamen congestæ, salis, aut piperis instar immoderatus affusi, vim omnem saporemque adimunt conditioni, ut non tantum non persvadeant; sed nec moveant; immo ne delectent quidem; quin Auditorem sæpe argutias non satis assequentem, vel nimia tot acuminum mole obrutum, quodammodo delassent. Errant igitur, qui sub

P p

affe-

n) Cum plerosque Oratorum hujus temporis (etiam Sacrorum) in Panegyricis maxime, stylo arguto delectari sciam, operæ pretium duxi, ut eum Tyronibus curæ speciali explanarem.

PARS III.
CAPUT I.
ARTICUL. IV.
§ I.

affectedato elegantioris Eloquentiæ nomine, ita omnes periodos, earumque membra argutiis inferciunt, ut nihil simplex, nihil non acutum dicant. Concionis Sacræ finis est veritatem persuadere; hæc autem nuda magis, quam ejusmodi immoderate compta dictione proponitur; quin nimis argutiarum fulgoribus veritas occultitur, ut nec videri queat.

II. Argutiæ *sint veræ*. Nihil enim argutum esse potest, nisi verum, ut ait (o) *Boubo-wrsius*: aut si fictum sit, saltem verosimile esse debet. Hæc autem veritas in argutiis sæpe est aperta, sæpius occulta, velut latens sub cortice nucleus, ut in fabulis, apologis, parabolis, fictionibus Poeticis. Item: in metaphoris, allegoriis, æquivocis, dictis hyperbolicis &c. Sic graviter peccaret, qui exantlatos *Xaverii* pro salute animarum labores panegyri profecutus, hoc epiphonemate concluderet: *En quam vere JESUM Salvatorem imitatus erat Xaverius, quid dico imitatus? immo superavit. JESUM enim prædicantem audivit una solum terra Israel, exigua mundi portio; Xaverium audire innumeri populi, vastissima Orbis regna &c. Quid ni igitur non modo dicam Xaverium Salvatoris vestigia pressisse; sed multis partibus ea superasse. Quid hoc insulsius, quid falsius? Contra recte argutum fuerat illud Oratoris è Tertulliano usurpatum:*

San-

o) La maniere de bien Penser: *Size Methodo de argutis operibus recte judicandi. Dial. 1. §. 1.*

Sanguis Martyrum semen Christianorum, eo plurimum, quo complurium sanguis fundebatur. Si ubi, hic enimvero impletum: cadens in terram fructum feret centesimum. Vel illud Ignatii Martyris: frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar. Licet enim hæc aperto, ac proprio sensu vera non sint; tropico tamen, & occulto verissime dicta fuere.

PARS III.
CAPUT. I.
ARTICUL. IV.
§. 1.

III. Hæc autem veritas in Sacris maxime Concionibus, ubi nihil non verum dici potest, curanda diligenter, tam in formandis è Scriptura (ut ajunt) conceptibus, quam in cæterorum fontium argutiis. Unde merito risui haberetur Ecclesiastes, qui probaturus juvenes senibus præmori, Evangelico illo abuteretur: *Joannes præcucurrit citius Petro, & venit ad monumentum, cur? ut disceretis sæpius evenire, ut juvenes senibus morte præcurrant ad sepulchrum. Vel: Stupetis Christum ante Herodem siluisse? Siluit: erat enim Christus agnus; Herodes lupo. Ad lupi conspectum obmutescunt agni. Fabula est.*

IV. Argutiæ non sint obscuræ. Nam si Quintiliano: prima est Eloquentiæ virtus perspicuitas; ea maxime debet esse argutæ. Acumina enim Orationem illustrant; luceant igitur oportet, ne in ipsa nox sit luce. Hæc autem obscuritas oritur: 1. ex Oratoris perturbate cogitantis ingenio, qui confusis ideis pares sufficit verborum notiones. 2. Si sit longe petita, à remota nempe metaphora; vel à comparatione ab re comparata pe-

PARS III.

CAPUT. I.

ARTIC. IV.

§ II.

nitus aliena, vel dum metaphoræ velut in-
struem accumulatur, aut alia per aliam di-
versi generis explicatur. Vel si argutia sit bi-
frons, ut, quo sensu accipi debeat, ignores:
aut quando de veritate, vel ejusdem falsitate
justa est ratio dubitandi. 3. Fit obscura ni-
mia brevitate, aut dum acumini detrahuntur
verba ad intelligentiam necessaria. Talis
est *Tertulliani* libro de Carne Christi: *mortuus
est Dei filius, credibile est, quia ineptum est: &
sepultus resurrexit, certum est, quia impossibile.*
Davus sis, ut assequaris. Dicere volebat:
*mortem Christi vel ideo esse credibilem: quia huma-
næ sapientiæ inepta esse videtur; & resurrectionem
vel propterea esse certam: quia non humana, sed
Divina virtute scimus esse perfectam.*

V. Argutiæ non sint viles, aut leves. Cu-
jusmodi forent: 1. à rebus vilibus petitiæ:
hæ enim dedecent Sacræ Orationis majesta-
tem. 2. A Notatione, & Conjugatis: *O A-
gnetem veram Christi agni sponsam, quia agnam.*
3. Ab anagrammatis: *laurus est Ursula, mar-
tyrii laurea cingi debebat? Pus est Cor-pus, quid
fædius pure? hoc ne diligetis.* 4. A Paronoma-
sia, & aliis levioribus verborum figuris.

VI. Est autem styli arguti usus in re-
bus Auditori gratis, quæ illum excitant, al-
liciunt cum quadam intellectus delectatione.
Ut sunt *Panegyrici, Eucharistici, funebres &c.*
An autem sana sit argutia? adhibe regulam
à *Juventio* (p) traditam: revoca ad Syllogi-
smum

p) *De Raz. disc. & doc. p. 1. c. 1. Art. 3. §. 3.*

smum Dialecticum acumen, & agnosces fucum. Sit hæc argutia de S. Xaverio: *expirat in patulo tugurio Xaverius, ut vitæ Angelicæ hominem, è terris in Cælos migrantem, Angeli de Cælis intuerentur, brevi secum vitam immortalem victurum. Jam admota amussi Dialectica fac minorem: Sed multi latronum, & barbarorum patente Cælo in tuguriis vitam finiunt; igitur & hi ita moriuntur, ut ab Angelis conspici queant. Vide acuminis vanitatem.*

PARS III.
CAPUT. I.
ARTICUL. IV.
§ II.

§ II.

Fontes styli arguti.

IN tres classes dispescit *Bouboursius* argutias. Alias vocat *sublimes*, *venustas* alias, denique *subtiles*, sive *delicatas*. *Sublimes* sunt, quæ à rebus magnis, & sublimibus petuntur. *Venustas* appellat: blandas, gratas, floridas, quæ haud ita admirationem, quam sva vitatem, ac delectationem conciliant. *Subtiles*, seu *delicatæ* dicuntur: quæ pauculis verbis sensum continent nec obvium, nec apertum; partem retegunt, partem quærentium Divinationi relinquunt. Per similes subtilioribus naturæ operibus, quæ non nisi acres, iique ab arte, puta microscopiis, aut telescopiis, adjuti oculi possunt perspicere. Unde si nil in re, aut nova efferendi ratione reconditum habeant, si totas se, nudasque primo statim obtutui objectent, quantumcunque sint ingeniosæ: delicatæ, ac subtiles argutiæ dici non merentur. Singularum fontes ape-

PATRIS III. rit, ac de iis regulas cum exemplis tradit (q)

CAPUT I. *Bouhoursius*, Accipe.

ARTICUL. IV.

§. II.

De argutiis sublimibus.

I. *Fons sublimium argutiarum est à rebus Divinis, ac Cœlestibus; cum talia dicuntur, quæ, vel in natura, vel in proprietatibus, aut causis, effectis, relatione, &c. ad Deum, resque Divinas referuntur. Ut: omnium Divinorum Divinissimum est cooperari in salutem animarum, quod jam ante Cicero ita protulit: Homines ad Deos nulla re propius accedere; quam salute hominibus danda. Item: Beata Dei Mater tametsi de hominibus homo fuerit; immaculato tamen suo conceptu hominem exiit, ac Deum quodammodo induit: eo enim plurimum discessit ab hominibus, & maxime accessit Deo. Vel: Ea fuit oris modestia Aloysius, ut nisi hominem novisses, Angelum è Cœlo in terras humana in carne delapsam credidisses.*

II. *Fons sublimium argutiarum: à rebus humanis, & naturalibus, natura tamen, vel hominum opinione magnis, & illustribus. Ut à Regno, patria, potentia, generositate, ingenio acri, virtute, victoria, triumphis &c. Sit exemplum. Godefredus Bullionius Altamori dedititio Principi pro libertate Regni sui opes, thesauros offerenti reposuit: Tibi retine quidquid India pretiosum mittit, aut Persia. Non is sua, qui ex aliorum vita quæstum faciam.*
Bella-

q) *Qui plura de argutiis scire volet, legat Masenium de epigrammatis, & argutiis. Item: Emauelem Thesaurum, Il Cannociale Aristozelico, O sia, Idea dell' arguta, & ingegnosa elocuzione.*

Bellatorem in Asia ago, non Mercatorem. Sed hoc magis in profanis.

PARS III.

CAPUT I.

ARTIC. IV.

§. II.

III. *Fons sublimium: à selectis grandium rerum, five Sacrarum, five profanarum, comparationibus. Sint exempla. 1. Ex Bouhourfio: Ignatius cum Cæsare consilio tribuebat omnia; Xaverius cum Alexandro audendum aliquando censebat. Ille major Cæsare Imperator; iste par Alexandro miles. 2. Anonymi in Novatoribus ita ludentis: Evangelicos vos esse dicitis boni Viri? estis enimvero; at ita, quemadmodum Scipio ab eversa Carthagine dictus est Africanus. 3. Ex Oratione Funebri à nobis dicta: Si malo celeriter non poterat occurrisse, injecta mora consulto intercessit; ut commodum rescinderet, aut rescissa oportune componeret: Fabio similior Dictatori, quem novimus cunctando triumphasse.*

IV. *Fons sublimium: ab energia, emphasi, vel pondere sonantiorum verborum, quibus gravior sæpissime redditur sententia. Cujusmodi sunt in sacris literis: Siluit terra in conspectu ejus. Mare vidit, & fugit. Dominus regnabit in æternum, & ultra. Pax vobis, nolite timere, ego sum, Emphasis est in voce: ego sum. Ego, nempe Dominus, Magister, ac Redemptor vester, à quo nil omnino est, quod metuatis. Item illud Davidis: Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat; & quæsi vi eum, & non est inventus locus ejus.*

V. *Ab acribus sententiis, sæpe Epiphonematis instar Orationi subjectis, quæ eo*

PARS III.
CAPUT. 1.
ARTICUL. IV.
§ II.

acrius, & vehementius (ut recte monet *Demetrius Pbalereus*) feriunt animos Auditorum, quo plura, & majora paucis verbis significant. Talia sunt I. de Amano in furcam acto: *Huc eum ambitio extulit, non potuit altius.* 2. Illud Oratoris Propemptica Oratione militem Hungarum in bellum Prussicum proficiscentem cohortantis: *Denique pugnaturi, vos Ungaros esse semper cogitate. Item: quid est, quod de victoria desperetis? aderit Deus: hostes Turci sunt; vos Christiani, Christiani estis? Christum induatis.*

VI. Fons sublimium: cum graviolem sacre alicujus sententiæ sensum suis primum verbis profert Orator, cui postea confirmando ipsam sententiam subjungit. Vel rebus suis opportunum Scripturæ textum accommodat. Exemplum primi: *Magnarum Urbium, si evertantur; vestigia saltem in ruderibus relicta supersunt; at impiorum, si exaltentur ut Cedri Libani, nec locus, nec memoria manet. Vidi impium, inquit David, superexaltatum, sicut Cedros Libani, & transivi, & ecce non erat; quæsi eum, & non est inventus locus ejus.* Exemplum alterius dat Juventius in Panegyrico Ecclesiæ Parisiensis. *Cum sanctissimos Antistites videritis in Conciliis amplius quadraginta (totidem enim in hac urbe celebrata memorantur) bellum hæresi, flagitiis, improbitati, lapsis in deteriora moribus indicere, &c. Appingerem Davidis illam turrin, de qua sacre pagine meminerunt, & quam hic adumbratam cernitis:*



nitis : mille clypei pendent ex ea , omnis armatura fortium.

De argutiis venustis.

PARS II.

CAPUT. I.

ARTIC. IV.

§ II.

VII. *Fons argutiarum, sed venustarum,* est à rebus *natura blandis*, amœnis, cum quadam gratia, & concinnitate conjunctis, quibus vel animi, vel sensus feriantur. Tales sunt flores, fontes, horti, splendor luminis, Cœlum serenum &c. Sit exemplum è S. Ambrosio (r) : *Virga es O Virgo! non curveris, non inflectaris in terram, ut in te flos primæ radicis ascendat. Hortus clausus es Virgo : serua fructus tuos : non ascendant in te spinæ, sed uvæ tuæ floreat. Hortus clausus es filia, nemo auferat sepem tui pudoris, quia scriptum est : destruentem sepem mordebit serpens.... Paradisus es Virgo : Evam cave. Fons signatus es Virgo : nemo aquam tuam polluat, nemo conturbet, ut imaginem tuam in fonte tuo semper attendas. Porta clausa es Virgo : nemo aperiat ianuam tuam, quam semel clausit sanctus, & verus, qui habet clavem David &c.*

VIII. *Fons venustarum : à fabulis, & eruditione apte, ac breviter insertis.* Hieronymus ad Bonasum : *Clausum cupio suis legibus ardere Vulcanum : nunquid hospes ejus es, aut vicinus, quod à delubris Idoli miteris incendia submovere ? Item : Exarsit in furorem, ut furiam agitari, aut Herculem bacchari putares. Literas ita coluit, ut Musæ apud eum non diversari, sed hospitari, velut domi suæ, viderentur.* At hæc profana magis. IX,

r) Libro de Instit. Virg. c. 9.

PARS III.
CAPUT I.
ARTIC. IV.
§. II.

IX. *Fons venustarum* : à *Tropis* gratia aliqua præditis , ac debite usurpatis. 1. A Metaphora. Qualis est Augustini (s) fallaciam Pelagianorum de Gratia Divina ita exponentis : *Vide acumen, sed vitreum : quasi luccet vanitate , sed frangitur veritate.* 2. Ab Allegoria. Anonymus : *Denique Virgo Sanctissima te nobis velut alveum præbes , quo hominum supplicantum vota confluunt , ut per te , ceu per canalem , in animum filii influant , ac subinde in uniuscujusque commoda feliciter emanent.* 3. Ab Hyperbole, sive auxeli. *Non te pium , sed pietatem : non clementem , sed ipsam dixero clementiam. Usque adeo virtutis cultor es , ut si virtus humanos induere vultus deberet , sumeret tuos.*

X. *Fons venustarum* : ab *oppositis*, ut : contrariis , negantibus, repugnantibus &c. quæ plurimum ad splendorem , & venustatem conferunt Orationis, ac idem fere præstant, quod in symphonia imæ voces summis oppositæ, aut in pictis tabulis umbra luci. Multis autem modis instituitur. 1. Cum opposita de se invicem affirmantur. Ut : *Magna fortuna , magna servitus. Summa in mundo felicitas est infelicem esse. Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.* 2. Cum opposita non de se ipsis invicem, sed de re altera, eadem tamen, affirmantur. Ut : *O infelicem in summa felicitate Epulonem ! Franciscus pauper , & humilis , dives Cælum ingreditur. Quam oculis*
fue-

s) *Serm. 11, de verbis Apostoli.*

fuerat perspicax ; tam cæcus animo. Virtus premitur, non opprimitur. 3. Cum opposita de rebus diversis affirmantur, vel negantur : Vel per commutationem, aut sine illa. *Felix Lazarus, infelix Epulo. Felix Lazarus in sua miseria ; miser Epulo in sua felicitate.* 4. Cum opposita de eadem re mutuo convertuntur: *Lazarus tametsi à divitiis fœvit inops ; in sua tamen dives erat inopia. Felix infelicitas, quæ Cælum aperit ; infelix felicitas, quæ Cælum claudit.* Hæc autem repugnantia eleganter figuris vestiuntur: 1. Correctione. *Dives erat Epulo ; si tamen dives dicendus est, qui divitiis uti nesciat. Præcipitantem multorum salutem morte sustinuit, vitæ suæ prodigus ; si tamen prodigum est pro salute aliorum vitam profunderere.* 2. Interrogatione: *An Lazarum pauperem dicetis, qui sua sibi paupertate Cælum compravit ?* 3. Exclamatione, simul & correctione: *O miserum, & infelicem Lazarum! Quid dico miserum ? Erravi ! inmo felicissimum, quem amplissima Cæli hæreditas manet. &c.*

XI. *Fons venustarum* : ab alienatis, id est: cum aliquid rei, de qua agitur, non proprium loco proprii sufficitur, & quod alienum est, tribuitur. Multipliciter fieri potest: 1. si sit alienum à persona. *Vidi persæpe Viros etiam colum, ac fusum duxisse*: id est, uxorum imperiis se subiecisse. 2. Cum alienum est à rei natura, definitione. Ut Chrysostomus: *Eleemosyna est ars omnium quæ stuosissima.* 3. A tempore: *Hyeme rosas quæritis.* 4. A loco:

PARS III.
CAPUT I.
ARTICUL. IV.
§ II.

loco: *Arcem in aere construitis. Lazarus in corpore tot vulnera, quot ulcera numeravit. 5. A modo rei alicujus. Balbinus (t) Regnum sibi contemnendo paravit. 6. A causis, effectis, dum ea, quæ non sunt, in causas, & effecta assignantur (u): Aurea nunc certe dici possunt secula: quoniam plurimus auro habetur honos. 7. A consuetudine, moribus, ordine: Servi imperant; Heri obsequuntur. Qui parere deberent; leges scribunt.*

XII. *Fons à similitudine, quæ non parvam argutiis persæpe gratiam conciliat. Variè proponitur: 1. occulte in modum allegoriæ. Minimè etiam capillus habet umbram suam id est: nemo tam miser, qui nocere nequeat. Sanato vulnere cicatrix manet. Spina quoque grata est, si ex ea speretur rosa. 2. Aperte cum brevi protasi, & apodosi. Quod naturæ ventus est; hoc animo levitas morum est. Ignis aurum, miseria virum probat. Ut polypi, sic avari hoc maxime tenent, cui adhærescunt. 3. Sine apodosi distincta: Fastissimus miseria-rum portus est patientia. Fortuna vitrea est, facile, cum splendet, frangitur. Pecunia ancilla est, si ea noveris uti; si nescias, domina.*

XIII. *Fons à Comparatione rerum non obvio; sed venustiori modo proposita. 1. Cum ad rerum diversarum comparisonem aliquid inopinatum tanquam causa, effectus, vel proprietas adjungitur, quo similitudo stabilitur. Sit exemplum: Miramini Auditores:*

t) *In Quæsit. Orat. Quæsit. 21.* u) *Ibidem.*

res: quod Christianam humilitatem Lunæ persimilem esse dixerim. Luna est vir humilis; hæc enim quo terris fit propior, eo semper apparet major. Qui minimus ille maximus. Aliud: Tametsi nihil homini similius sit homine; Dives tamen Epulo canes potius, quam homines pascere malebat. Nil mirum: homines enim ventris studiosi plerumque sunt bestiis magis, quam hominibus propiores.

2. Elegantior fiet hæc comparatio, si geminatae oppositioni permisceatur. Apes estis avari mortales, sed ejusmodi, quæ non aliis sed vobis; immo ne vobis quidem; sed aliis plerumque post facta mellificatis.

3. Cum inter res dissimiles similitudo; inter res autem similes dissimilitudo vel in natura, vel in effectibus, aut proprietatibus per comparisonem exhibetur. Dives epulo opibus affluebat; Lazarus inopia premebatur, uterque miser: hic, quod opibus uti nesciret; ille, quod non posset.

XIV. Fons à Nominis notatione, & Conjugatis parce tamen, & cum delectu adhibitis. Hieronymus ad Bonasum. An ideo tibi bellus videris, quia fausto vocaris nomine? quasi non & lucus ideo dicatur, quod minime luceat: & Parcæ, quod nequaquam parcant: & Eumenides furivæ, quod non sint benignæ: & vulgo Æthiopes vocentur argentei. Item illud Oratoris, quod in Panegyri Divo Ignatio dicta memini me audisse. Sanctum JESU nomen Salvatorem Hebræo sermone significat; O quam vere Sacra Ignatii familia JESU audiat Societas: hæc enim totidem complectitur Salvatores, quot pæne habet viros,

PARS III.
CAPUT I.
ARTICUL. IV.
§. II.

PARS III.

CAPUT I.

ARTIC. IV.

§ II.

ros, qui pulcherrimum *JESU* nomen æmulati, dies noctesque hominum salutem seduli procurant.

XV. Fons à relatis: 1. Cum id, quod uni relatorum tribuitur, aut negatur; etiam alteri attribuitur, vel negatur. Ut plerumque vivimus; ita morimur: nil mirum, si malam vitam mors mala consequatur. Qualis juvenis talis senex. Communius fit, ut eum, quem in adolescentia virtutis tramitem suscepimus, porro etiam viri retinere soleamus. Ut male adolescimus, ita pejus postea vivimus; dum tandem pessime moriamur senes. Est filius sui plerumque imago Patris: ea enim est parentum sanguinis ratio, ut per eum, ceu canallem, recti, pravique semina in posteros transfundantur: felix filius, cui Heros obtigerit Pater! 2. Cum id, quod uni tribuitur ex relatis, alteri non attribuitur; sed negatur, & vicissim. Sæpe accidit, ut Patri probo improbus nascatur filius: nec enim semper Alexandri à Philippis; sed interdum Caligulae à Germanicis, idest: pessimi ab optimis procreantur. 3. Cum unum ex relatis de re aliqua affirmatur; alterum autem negatur, ac vicissim. Diu ante discipulus; quam fieret Magister. 4. Cum unum ex relatis, quod rei convenire deberet, negatur; alterum vero, quod minus conveniret, affirmatur. Ita olim in Oratione funebri luseramus: Cum Domina sit potentissima; nihil minus, quam potentiam, dominatum, imperium exercere velit; aut si velit illud demum: ut singulorum animis amore, voluntatibus obsequio imparet, & imperio famularetur. 5. Cum de re aliqua utrumque

ex

ex relatis affirmatur, vel negatur. Ex eadem funebri Oratione: *Vix annos decem & octo natus erat, jam Sago præcingitur, ut in ipsa Virum se probaret adolescentia. Item: Fovisti terram Patriam, quam Matris instar charissimæ, ut olim Brutus suo illam osculo veneratus, agnovisti. Hinc ita Principum aulæ te totum Minister dabas, ut una proferendæ Patriæ utilitati te totum, operamque tuam filius commodares. O magnum Patriæ non modo filium, verum etiam Patrem! O Patrem immortalitate dignissimum, qui in animis Patriæ, ut Matris, & filiæ, post fata superstes & filius, & Pater Optimus æternum vivat!*

PARS III.
CAPUT. I.
ARTICUL. IV.
§ II.

XVI. Fons à diversis (ut ajunt) allusionibus: 1. Ad insignia. Anonymus: *Christianæ Religionis scutum Crux est. Hanc Apostolicus primi Regis Stephani ardor tuo in tricoli defixit Hungaria. Utinam semper tam alto stetisset loco, nunquam tam sæde laceratam Christianæ Religionis faciem vidissemus.* 2. Ad Symbola. Ita olim in nostra Oratione funebri allusimus ad Symbolum Principis nostræ Mariæ Theresiæ, quod est: *Justitia, & Clementia: Est hæc laus illius constans, & maxima: ab ipsis hostibus attributa: eam esse justissimam, & clementissimam rerum arbitram, nihil justius, ac virtutem; nihil clementius, ac vitia nosse arbitrari.* 3. Alluditur ad nomen. Ita Petrus L'Abbe ludit in nomine Pauli Olivæ Præpositi Societatis nostræ: *Declarat hæc omnia gentilitia Oliva tua: hæc suavitatis efficacis symbolum est, & tu suavis adeo, & efficax es, ut inde nomen,*

&

PARS III.

CAPUT. I.

ARTIC. IV.

§ II.

§ indolem trabas. 4. Alluditur ad circumstantias temporis, loci, &c. Sic Ignatius Chiaberge in Oratione anniversaria, anno sæculari MDCC. dicta, Gregorium XIII. Pontificem *sæculorum felicitatem esse probat.*

De argutiis subtilibus.

XVII. *Fons argutiarum, at subtilium, à simplici quodam sententiæ candore, quæ suum ex sola veritatis, non tamen passim obviæ, luce splendorem trahit. Talia sunt à Mase-
nio (x)relata: Felicitas est nutritrix iracundiæ. Mala causa est, quæ requirit misericordiam. Fe-
ras, non culpes, quod mutari non potest. Gratia sapientum Principum plerumque est virtutis præ-
mium.*

XVIII. *Fons subtilium à brevi allegoria.*
Tale est Galli cujusdam Poetæ, qui tempe-
state illa, qua Novatorum factio in Fran-
cia dominabatur, adeo, ut illatæ Hugonottis
vel levissimæ injuriæ multa severitate vin-
dicabantur, impune abire permissis iis, qui
Catholicos gravissime vexabant, inducit sub
allegoria canis verberibus enecti gementes
Catholicos cum epigraphe: *quod Hugonottam.*
Intellige: *allatraverim, occidi. Alias Sacerdo-
tem momorderam; nemo tamen vel verbulo repre-
henderat.*

XIX. *Fons ab animadversione quadam in-
geniosa, quæ per Correctionis, vel Paren-
theseos figuram, aut etiam sine his efferi po-
test, cum aut in rei, quam dicis, causa, aut
effe-*

x) *In Palæstra styli Rom. l. 2. c. 4. §. 4.*

effectu, ac cæteris adjunctis tale quidpiam latet, quod si animadversum edicas, merito ingenii tui aciem commendat. Sint exempla: *Hi suspectas de libidine amicitias serunt; si tamen libido amicitia dici potest.* 2. *Ne ignoti, & inglorii in animis solummodo Principum delitescant; si tamen illic latere inglorium aliquid esse potest.* 3. *Secretiorem in Senatum (quorsum excellentes virtute viri, atque inde Excellentissimi dicti, semper legi solent) intimum administrum adscivit.* 4. *Taciti de Galba Imperatore: Major privato visus, dum privatus fuit, omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.*

XX. *A moderato paradoxo.* Ita luserat Anonymus Sacri cujusdam Oratoris facundiæ vehementiam collaudans: *Quot verba, totidem jaciebat fulmina, quibus duriora ipsis saxis peccatorum corda ad pœnitentiam emolliebat.* 2. *Alius inferni cruciatuum acerbitatem expressurus ajebat: tam acerbos illic esse cruciatus, ut minimum temporis momentum sit hora, hora annus, annus sæculum evadat.* Denique *L' Abbe de S. Salesio: Vultus ei Angelo similis, si Angeli vultus haberent. Fuit, qui crederet, se intueri vultum Christi, quoties intuebatur vultum Salesii.*

XXI. *Ab inexpectato:* cum sententia novam quampiam rationem, aut responsum inopinatum continet, quod elegantius effertur, si figura suspensionis, aut interrogationis præmittatur. Talis est Anonymi Oratoris: *Pauperes plerumque pro foribus, ac do-*

PARS III.
CAPUT. I
ARTIC. IV.
§ II.

domibus divitum male excepti jacent. Quid apud Divam Elisabetham? jacuerunt? jacuerunt: & quidem molli lectulo excepti in palatiis jacuerunt. Alius illustris Orator de Hungaria: Præ cæteris propemodum regnis crebrioribus bellis, frequentioribus calamitatibus premitur Hungaria? premitur: hæc enim sola, & unica est (quod sciam) quæ geminatam pro labaro crucem ferat.

XXII. *Ab æquivoco. Hujusmodi est de funere Viri cujusdam Principis multis invidiis: Faces præferrebant ephebi, crucem nemo: quia currus vehebat publicam. Item de Caligula Imperatore muliebri veste induto: Bonum bacis omen! in toga Imperatorem videmus. Toga, & mulierum, & Romanorum in pace versantium, habitum significat. Tenerrimo pietatis sensu ferebatur in Christum Cruci affixum, ut unum hunc maxime præ oculis haberet. Sensus æquivocus est: nam præ oculis habere, & pro aspectu, & pro amore sumi potest.*

XXIII. *A delicato, & minus obvio laudandi modo. Adferam aliquos, ad imitationem exemplorum in Bouhourfio allatorum confectos. 1. Cum Orator alios loquentes, & laudantes inducit. Sit exemplum: Ita de te, adhuc puero, Viros gravissimos, pone adstans ipse etiam tunc adhuc adolescens, loqui audieram: futurum, agebant, ut Virum aliquando ex hoc adolescente habeat Respublica utilissimum. Quibus ego nihil equidem addere vel poteram, vel audebam, ætate, & autoritate prohibitus; sancta tamen æmulatione incitatus, naturæ tuæ felicitati*

PARS III.
CAPUT I.
ARTIC. IV.
§ II.

ti inuidebam, meæ vero avaritiam accusabam, de quo nihil tale quicquam liceat ominari. Non multum abfimile est, quod in Oratione domestica ad Religiosos dici audieram. Videor mihi jam nunc videre innumeram hominum multitudinem citatissimo non tam gressu, quam cursu: non cursu, sed volatu cateruatim in Cælum rapi. At beatæ animæ! sancta Cæli agmina! sistite parumper, si festinato hoc in itinere licet vos paulum interpellare, edicite: quibus, oro, præsidii, quorum opera hanc vobis licuit felicitatem obtinuisse? Silent nunc equidem; erit tamen, erit aliquando tempus: cum sanctus parvulorum, rudium, ac discipulorum chorus vobis Cæli atria subituris obviam effundetur: ille pia manibus vestris basia defiget, quibus olim virga correptos mala fugere, bona facere docuistis: iste sanctæ oris vestri labia devoto venerabitur osculo, quibus mentem sanctissimis Christianæ vitæ principiis imbuisistis &c. 3. Cum indignantis, ac vituperantis, vel conquerentis, aut obmurmurantis speciem præfert Orator, dextre tamen hac ipsa re quam maxime laudat. Habemus Principem usque adeo religiosum, qui potiores pietati, & religioni, quam curandis civilibus Reipublicæ negotiis, curas impendit: qui bella refugit, pacem & otium amat: tributis, vectigalibus populum haud onerat: abjecta omni auctoritate eum se præbet, quasi nec Princeps foret, adeo, ut mirum non profecto sit, quod hæc inter pietatis studia, dum gravissima Reipublicæ negotia quasi contemni, aut negligi, vel cursim, ac per-

PARS III.

CAPUT. I.

ARTIC. IV.

§. II.

transennam aspici videntur ; nihilominus felicissime decurrant , publica araria pecuniis affluant , hostibus vel in pace sit formidandus , populis ob ipsam benignitatem venerandus , &c. Quem morem si porro retinueris O Princeps , egredieris profecto usitatum aliis Regibus morem , pervertes solitum gubernandi ordinem , induces modum pietate potius , quam politicis artibus regna conservandi , adversum hostes pace fines tuendi : multum detrahes eorum Principum , verius Tyrannorum , famæ , qui à populis timeri volunt , non amari &c. 3. Per inductam ingeniose præteritionis figuram , qua virtutis alicujus natura describitur , postea , an ejusmodi quis fuerit , Auditori considerandum relinquitur. Quantum à natura ad prudentiam instructus fuerit , nolo memorare. Redite vos , si lubet , in memoriam , quibus longior cum eo usus intercessit. Prudentiæ potissima , immo unica pars est : præsentia rite ordinare , futura providere , præterita recordari. Videte : quam in rebus pervidendis ingenii habuerit perspicaciam , in æstimandis judicii acrimoniam , in mente complectendis memoriæ tenacitatem , in ordinandis providentiam , in exequendis solertiam , & continuo intelligetis. 4. Cum officii , aut muneris cujuscumque dignitas extollitur , ut inde illius , qui illud gerit , laus patescat. Ærario Regio amplissimo Thesaurarii munere præficitur. Quo nomine quanti ab uno Sapientissimo quoque haberi debeat , nolo memorare. Nihil est Regum thesauris pretiosius , nihil eorum custodibus oportet esse integrius. Huic pro-

curando, & asservando delectus est, qua sit integritate, quo in pretio, quanta apud Regem polleat gratia, & autoritate, vos ipsi conjectate. Accedit: fuit hæc potissima, & præcipua semper Regni dignitas, quam maximi, clarissimique nominis Viri sustinuerunt &c. Quæ idcirco longius attuli, ut inde dignitatis illius amplitudinem perspiciatis, à quo nempe initia acceperit, per quos continuata ierit, in quem demum, quantumve Virum debuerit devenisse. 5. Cum Orator aliquem admonet, hortaturque, sed hortando, & admonendo dextre laudes adhibet. Huiusmodi arte constructas habet perorationes Ludovicus Bourdaloue suarum Orationum ad Regem Christianissimum dictarum. Sint exempla: 1. ex Oratione de mercede, & gloria Sanctorum. *Illà ipsa est gloria Rex Christianissime, quæ Majestati tuæ reservata in Cælo, felicitati tuæ cumulum est additura. Cætera omnia quamquam magna, quamquam inaudita, quamquam omni laude majora, multo sunt infra Majestatis tuæ sortem. Debet sanctitas vitæ, eademque cælesti gloria munerata tam præclaris facinoribus fastigium imponere. Nemo me assentari tibi suspicabitur, si dixerò: Regem post homines natos nullum tibi in arte regnandi præstitisse; verum artis hujus scientia, qua tam sapienter hominibus imperitas, tibi Rex Christianissime valde inutilis, & supervacanea fuerit, si artem ignores illam, qua mortales cælesti Regno fiunt idonei &c.* 2. Ex Oratione de vitando scandalo: *Ad vos potissimum, quos Deus populo secrevit,*

PARS III.
CAPUT. I.
ARTIC. IV.
§ III.

quos evexit ad primos Regni gradus, ad vos, inquam, potissimum pertinet ista Christi doctrina. Vobis illam, quaeso vos, aptate, & mementote: quo altius estis supra ceteros mortales evecti, eo graviolem vobis legem impositam esse alios non offendendi; ne exemplum vestrum infirmiores fratres eundem in casum, ac ruinam praecipites trahat. Simile habetur in Oratione in Natali Christi Domini de pace.

§ III.

Paradigmata styli arguti.

Paradigma I. *styli arguti* Oratorii, depromptum ex Masenio è Palæstra styli Romani. Thema: *Dehortatio Herodis à patranda infantum caede per argutias sublimes, delicatas, sed maxime venustas.*

EXERCITATIO.

Conduplicatio. *Desine O Herodes, desine, tam funesta agitare mortis consilia: deponere hanc cogitationem de infantum caede conceptam, tam tibi inominosam, quam Patriæ (animadversio cum traductione) cuius Pater esse deberes, maxime luctuosam. (Conjugata) Rex es, & qui Rege indignius, quam praecipiti (alienatum) furore regi, inconsulta indignatione abripi, & suis (antitheta) non posse cupiditatibus imperare, qui tot imperat populis sibi parituris. (Antitheta) Probrosium enimvero est tantæ in ceteris potentiae Dominum sui adeo ad legem rationis componendi esse impotentem, ut quam alius praescribit (animadversio) inmo extorquet, æ-*
qui-

quitatis observantiam, banc à se ipso nequeat impetrare. Turpe est gestare purpuram non magis Assyriorum tinctam murice, quam innocentum sanguine fœdatam: gladium succinctum lateri ferre, (antitheta) qui non in hostem, sed a nicum: non in alienum, sed subditum: non in defensionem, sed oppressionem patriæ convertatur. Non ille bonorum Principum, sed vel perditorum scariorum, vel Tyranorum habitus est.

Memineris, sceptrum tibi cum gladio traditum esse: utrumque pro tutela subditorum: (antitheta cum comparatione) hunc ad hostium terrorem; illud ad tuorum moderationem: noli permutare arma, tuique imperii insignia: gladium convertere in tuos, sceptrum porrigere ad alienos. (Commutatio) Boni Principis non est, vel opprimendos defendere, vel defendendos opprimere. (A rebus divinis) Excelsum quiddam, ac Deo proximum est Regia majestas, ac potentia, qua ipsius Dei ab humanis oculis subducti officium vicaria exequitur potestate. Qui, ut nihil, nisi æquum, nisi rationi, legibusque conforme à nobis postulat, ita flagitium, perversitasque summa Regum foret, aliud à subjectis sibi populis flagitare, quam quod divinis legibus concedatur. Nul- lum Regibus in vitam mortalium jus est, quod summus vitæ arbiter Deus non impertivit. Deus Regi, Rex hominibus imperat, qui idcirco coronam gestat, quod non tam dignitate, ac loco, quam virtute præstet cæteris. Hinc, si æquitatis, si pietatis, si clementiæ in commissum sibi populum obliviscatur: si præfixos legum terminos præter-

PARS III.
CAPUT I.
ARTIC. IV.
§. III.

PARS III.
CAPUT. I.
ARTIC. IV.
§ III.

vectus fuerit, jam illa, qua cingitur corona, illo, quo ornatur honore, indignus excidit.

Vide igitur, O Herodes, quid facturus sis, cum jugulum innocentium puerorum petis: cum non pro virtute, quam debes tueri; sed pro impietate, quam teneris opprimere, gladiis, cædibus ue fueris grassatus. Expende, quam ignominiosum illud tibi bellum sit futurum, (antitheta) quod Rex adversus subditos: armatus contra inermes: vir denique contra infantes sis suscepturus. Quid, obsecro, in tali ætate vel formidare potes, vel odisse? An, vir cum sis, metuas infantes? An, cum homo sis, vix natos oderis homines? Hæc posse fieri, fidem prope excedunt humanam. Cave Herodes, ne primus fidem facias, nec alia celebreris inter posteròs memoria: quam quod incognitæ hæctenus tyrannidis inventor habearis.

Paradigma II. *Styli arguti depromptum ex Oratione Funebri, dicta à nobis Cibinii Transilvanorum, ubi in laudem clementiæ, ac benignitatis Principis nostræ benignissimæ, Mariæ Theresiæ, ita procurrimus Rhetorica digressionem.*

EXERCITATIO.

Apostrophe. *Augusta Princeps, Maria Theresia, Regum optima, (argutia ab animadversione) ac idcirco maxima! Si supplicem patris Oratoreu, nullius unquam (ab antithetis) infirmi cuiusque, licet maxima esses, preces aspernata, pedibus tuis affandi. Si ad tuam (ab Hyperbole cum allusione ad Symbolum) non*

Cle-

Clementis Principis, sed ipsius Clementiæ solium flexo poplite venerabundum advolvi. Si gravissimis Reipublicæ curis (ab antithetis) intentam importunè interpellari, dic, oro, (ab antithetis) adeone avara extitisti, quæ hæctenus effusa usque videbare, ut egregiam tuorum virtutem nulla volueris gratia exornatam ?

Absit Patriæ Patres, tantum nefas de Principe nostra non dicam dicere, sed vel cogitare ! Est hæc laus illius constans, & maxima, ab ipsis hostibus non extorta, sed ultro attributa (ab allusione ad symbolum, cum traductione, & conjugatis) eam esse justissimam, ac Clementissimam rerum arbitram ; nihil justius ac virtutem ; nihil clementius ac vitia nosse arbitrari. Est pervagata apud omnes opinio : nos Regem habere ab iis Principibus (ab animadversione) verius Tyrannis, longissime remotam, (ab antithetis) qui populum sui potius timore, quam amore regere velint : tum se feliciter imperare rati, si timerentur : infeliciter, si amarentur. (Ab antithetis cum commutatione) At Princeps nostra nihil pensius habet, ac ne metuatur : nihil metuit magis, quam ne diligatur. Hoc tamen amore (à repugnantibus) summum etiam suum timorem conciliat, cum populus magnopere caveat, ne Principem lædat, illius amorem avertat, quo se amari ab ea (à relatis) ceu à matre, filium intuetur. Hinc liberum est uni misero cuique ad Regem adire, depromere vota, calamitates deprecari, quas deposito grandiori supercilio (ab Ethopœia) abjecta omni auctoritate, quasi

PARS III. *nec Princeps foret, mira audit benignitate, vultu,*
 CAPUT I. *vocæ testata, in dolet, solatur, adjuvat, quantum*
 ARTIC. IV. *maxime potest (ab antithetis) ut aliena miseria,*
 § III. *quasi sua premi videretur.*

Est denique in nos Gentem Ungaram incredibile clementiæ illius, & amoris testimonium: (à relatis) cum Domina esset potentissima, nihil minus, quam potentiam, dominatum, imperium exercere velit: (à commutatione) aut si velit, illud demum, ut singulorum animis amore, voluntatibus obsequio imperaret; & imperio velut famularetur. Cum Regum foret maxima, Regiæ propemodum auctoritatis oblita, matrem se potius, quam Regem ferat, publicisque mansuram literis pollicita, innumeris pene Gratiæ argumentis (ab Hyperbole cum animadversione) se Matrem in dies optimam, aut si optima melior aliqua dari potest, illam esse testatur.

O Superi! hanc nobis Principem diu valentem præstite, huic arma fortunate, victorias augete, sobolem dulcissimam in Ungariæ spem, & felicitatem conservate, ut qui jam Matrem habemus, (à relatis) haud diu post in eo Patrem etiam habeamus; immo solam Matrem: cum in sola Matre utrumque: Matrem, & Patrem: (ab allusione ad symbolum) Patrem justitia, Matrem clementia, mira felicitate conjunctum videamus. Sed hoc magis in themate profano, unde sit aliud in sacro.

Paradigma III. styli arguti per Paradoxum, & argutias sublimes à rebus divinis, & illustrioribus comparationibus petitas in illud

lud Exodi. 7. v. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Thema: *S. Xaverius fuit Indiarum Deus.* Depromptum ex Panegyri nostra M. SS.

EXERCITATIO.

Credo ego vos mirari Auditores, quid sit? quod Sanctum laudaturus Xaverium, inſolito, & fortasse nunquam hactenus apud vos audito laudationis genere, non Indiarum, ut communius dicunt, Apostolum, (quamquam quod majus Apostoli nomine laudis argumentum esse potest) sed quasi omni homine superior homo foret, Indiarum Deum audeam compellare. At si ob Divinam, quæ Moysi data est, in Pharaonem auctoritatem Deus ipse dicere poterat Moysen Pharaonis esse Deum: Ecce (inquit) constitui te Deum Pharaonis: Si Angelici Spiritus ob Cœlestem, qua ad homines in ministerio salutis funguntur legationem, Dii excelsi appellantur: quid injuriæ, (nisi Deum sibi ipsi injuriam esse dicamus) Divinæ inferemus Majestati? si Xaverium dixerimus Indiarum Deum à Deo esse constitutum. Si enim homines ad Deum nulla re propius accedunt, quam salute hominibus danda; cum omnium Divinorum Divinissimum sit cooperari in salutem animarum: si nullo, vel certe modico distant inter se intervallo miracula, & Divinitas, fuisti Xaveri Indiarum Deus, qui tot centenis hominibus salutem imperitivisti: tot innumera miracula patraſti, ut jure dici queat, Xaverii vitam in India perpetuum quasi prodigium extitisse. Atque istud est præſens, admirabile certe, quia de admirabili Xaverio di-

ctiōnis

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. I.
§ I.

Etionis argumentum: Xaverius fuit Indiarum Deus, patratis tot in India prodigiis; quod primum: impertita tot hominibus salute; quod alterum est dictionis caput. Audiatis.

C A P U T II.

DE ORNATU ELOCUTIONIS.

Nunc venio ad ornatum Elocutionis, quem quatuor potissimum rebus diximus comparari: *Tropis, Figuris, Sententiis, ac Transitionibus*; de singulis seorsim hoc capite agemus.

A R T I C U L U S I.

DE TROPIS.

§. I.

De Tropis speciatim.

Tropus, latine versio, Quintiliano (y) est: *Sermo à naturali, & propria significatione translatus ad aliam ornandæ gratia; vel, ut plerique Grammatici finiunt: dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est. Ut in eo Davidis: Exultabunt omnia ligna silvarum, exultare, quod proprium est rei animatæ, traducitur ad ligna. Curandum, ne tropi nimium sint frequentes; secus floridam reddent Orationem, quod vitiis antea adnumeravimus. Tropi alii sunt verborum; alii sententiarum. In illis ponuntur verba alia pro aliis, cujusmodi sunt: Metaphora, Metonymia, Antonomasia, Metalepsis,*

Sy-

y) *Quinct. l. 9. c. 1.*

Synecdoche, Onomatopœia, Catechresis. In his una sententia usurpatur pro alia, ut sunt: *Allegoria, Ironia, Periphrasis, Hyperbole.* Prætermiſſis cæteris præcipuos solum expone-
mus: ut *Metaphoram, Allegoriam, Ironiam, & Hyperbolen.*

PARS III.
CAPUT. II.
ARTIC. I.
§ I.

I. *Metaphora* est translatio verbi à propria significatione ad aliam ob aliquam similitudinem Sic Christus *Herodem* ob mores vulpinos, sive animi calliditatem, & versutiam, vulpem appellavit Lucae 13. *Ite, & dicite vulpi illi.* Cavendum autem, maxime in Eloquentia Sacra, ne *Metaphora* sit humilis, fordidâ, ignobilis: item duriuscula, vel longius accersita, aut immoderate coacervata. Ducitur ab omnibus, unde similitudo duci solet, rebus: ut à Divinis, Cœlestibus, elementis, plantis, bestiis, hominibus, quadruplici, quem vulgaris Eloquentia tradit, modo.

II. *Allegoria* est metaphora continuata, qua aliud verbis, aliud sensu intelligitur. Ut illa Davidis: *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam; extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus.* Hic Regius Vates populum intelligit Israëliticum ex Ægypto in terram Chanaan translatum, atque illic propagatum. Creberrima est in Sacris litteris: Orientales enim parabolis, & allegoriis quam maxime delectabantur, quorum mori se conformabat & Christus, & Spiritus Divinus. Quibus poterit se etiam accomodare Orator Sacer; cu-
ret

PARS III.
CAPIT. II.
ARTIC. I.
§ 1.

ret tamen, ut sint graves, opportunæ, breves, nec nimium crebræ, ex ipsis quantum licuerit Scripturæ, aut Patrum verbis depromptæ. Denique ut eodem, quo ceperit, genere allegoria finiatur. Quis enim probet initium à tempestate ductum ruina, vel incendio terminari? Elegantiores sunt, quæ à rebus corporeis sumuntur, ut *animalibus*, *arboribus*, *pratis*, *montibus*, *vinis* &c. quas etiam Christus crebrius usurpat. Item, quæ ad aspectum referuntur, ut *lux*, *ignis*, *fulgur*, *tempestat*, &c. Denique, si allegoria cum similitudine jungatur. Ut: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites.*

III. *Ironia*, latine simulatio, vel illusio, aut irrisio, quæ sensum verbis illis, ex quibus conflatur, habet contrarium. Talis est Dei ad Adamum Gen. I. v. 22. *Ecce Adam! quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum.* Cognoscitur 1. ex pronuntiatione: cum ipso vocis sono irridentis animus ostenditur. 2. Ex persona: ut si deformem pulchrum appellares. 3. Ex rei natura contrarium indicante. Elegantiores redduntur Ironiæ, dum ambiguum simul vocem continent. Talis est de Caligula Imperatore habitu muliebri induto: *Bonum pacis omen! En Imperatorem in toga videmus.* Ironia effertur solet adhibitis vocibus: *en*, *ecce*, *scilicet*, *nimirum*, *placet superis*, *nempe*, cum amara, & falsa quadam

dam vocis inflexione. Aut per exclamationem, ut illa pervulgata: *O præclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum!* Adhibetur ad sales, jocos, aut si quem mordere, vel rem aliquam, aut personam elevare, extenuare, aut contemnere velimus, maxime in Narrationibus, Confutationibus &c.

PAPRS III.
CAP. II.
ARTI. I.
§. II.

IV: *Hyperbole* est, quæ rem minuit, vel auget supra fidem. Ut illud Davidis: *ascendunt usque ad Cælos, & descendunt usque ad abyssos.* Item illud Lev. 26. *Terrebit eos sonitus folii volantis.* Servit ad rem exaggerandam, vel deprimendam: ad conciliandam admirationem, ad argutias. Cujusmodi est illa superius allata: *Matrem se probat optimam, aut si optima melior aliqua dari potest, illam esse testatur.*

§. II.

Paradigma per Tropos.

Paradigma per Metaphoram, Allegoriam, Ironiam, & Hyperbolen. *Thema:* Cum svavi vita nequit consistere solidum tam virtutis, quam Cæli obtinendi studium.

EXERCITATIO.

Sunt non pauci hominum Christianorum, qui in arduo etiam virtutum studio svaves ducere volunt dies; & tamen sperant Cælestem aliquando beatitudinem, velut hujus bonæ vitæ mercedem, se posse adipisci. (Ironia) O felices vos Christianos! quam ego venire percuperem in hujus tam beatæ vestræ sortis communionem. (Allegoria cum Ironia) Vivitis hic inter rosas; & Cælestes etiam in-

ter

PARS III.
CAPUT. I.
ARTIC. II.
§. II.

ter Paradisi delicias amœniore lucis aura perfrue-
mini. Habetis hic terram lacte, & melle fluentem;
nihilominus in Cœlis etiam Divino liberaliter nectare
reficiemini. Profecto vos estis illi mortalium felici-
ssimi, quibus hic suave Christi jugum est, & onus
leve; attamen in Cœlis etiam omnibus vacui-
curis in pace, in otio, in tranquillitate vitam vivi-
tis immortalẽ. (Sola Ironia) Vobis nempe dele-
ctabilem, & omni hominum amore dignam se exhibet
virtus, cum in sui exercitio tam suavem, tam jucun-
dam, tam omni voluptate plenam pariat sortem.

Verum erratis vehementer Christiani, erratis!
(Metaphoræ) Nunquam virtus molli cubat
loco: Cœlum etiam positum est in excelsõ. Vultis ad
apicem, & fastigium virtutis eniti? scandendi sunt
montes difficillimi: acutissimæ calcandæ sunt spinæ,
quibus consitum est arduum solidæ virtutis iter.
Nolim tamen his difficultatibus terreamini. Aspi-
cite vasta tot Eremiticorum loca: tot pœnitentium
asperitatem, tot innocentium in se ipsos sevitiem,
tot Apostolicorum Virorum labores, tot Virginum
tenerarum martyria, tot fortissimorum Christi
Athletarum generosas de suis cupiditatibus victori-
as, & intelligetis ad Cœlum non aliter, quam per
ardua virtutum petere viam.

Maçti igitur animis Christiani! (Metapho-
ra) calcate quantum potestis, difficile virtutis iter.
Credite: quo amplius calcaveritis; eo majorem non
corporis, sed animi voluptatem sentietis. (Meta-
phora) Habet suas etiam Virtus rosas, (Hyper-
bole) immo ausim dicere: solidæ virtutis studiosi
quemdam in terris paradisum, quin ipsum Cœlum
habent.

ARTI-

ARTICULUS II.

DE FIGURIS VERBORUM.

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. II.
§. I.

Figura Quintiliano est (z): *conformatio quædam Orationis remota à communi, & primum se offerente ratione.* Aliæ sunt verborum, aliæ sententiarum. Illæ consistunt in verbis, ita, ut iis mutatis tollatur figura. V.g. *amantes sunt amentes*, si voci *amentes* suffeceris *insani*, tolles figuram Paronomasiæ. Sententiarum in sententiis, ac sensu rerum positæ sunt, ut quæcunque adhibueris verba, semper remaneat figura. Curandum autem 1. Ne figuræ sint nimium crebræ, tunc enim ars ostentaretur, plusque verborum, quam rerum Oratio complecteretur. 2. Ne eadem sæpius adhibeantur; secus parient fastidium. 3. Sint ex rebus natæ; ne per vim adductæ videantur. 4. Dicendis rebus sint accomodatæ. Tribus vero modis fiunt figuræ verborum: 1. *Additione.* 2. *Detractione.* 3. *Similitudine.* De singulis agam seorsim.

§ I.

De figuris verborum per additionem.

Figuræ per additionem fiunt, cum verbum verbo additur. Octo numerantur: *Repetitio, Conversio, Complexio, Conduplicatio, Traductio, Synonymia, Polysinthon, Disjunctio, Gradatio.*

I. *Repetitio*, (Græce Anaphora) est: cum ab eadem voce periodi, membra, aut incisa inchoantur. Ambrosius (vel quisquis

R r

libri

z) *Ibidem.*

PARS III.

CAPUT II.

ARTIC. II.

§ I.

libri illius author est) ad Virginem lapsam. *Eras Virgo in Paradiso Dei, utique inter flores Ecclesiæ. Eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus Sancti, & cum dico totiens, eras; necesse est, ut totiens ingemiscas, quia non es, quod fusti.* Hæc figura (ut ait Author ad Herenium) cum multum venustatis habet, tum gravitatis, & acrimoniæ plurimum, præsertim, si cum figura Interrogationis jungatur. Quare videtur esse adhibenda, & ad exornandam, & ad augendam Orationem, seu amplificandum, maxime, cum aliquid vehementius urgemus, insectamur, laudamus, vituperamus &c. Aut totum aliquod suas in partes distribuimus. V. g. dicendum foret: nihil me separabit à Charitate Dei, eleganter repetitionem usurpabis cum distributione, & interrogatione, ut Paulus ad Rom. 8. v. 35. *Quis non separabit à Charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? &c.*

II. *Conversio* est, cum periodi, membra, incisa eodem verbo finiuntur. Ita Paulus I. ad Cor. 13. *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus; sapiebam ut parvulus; cogitabam ut parvulus. &c.* Vel cum interrogatione idem Paulus: *Hebræi sunt? & ego. Israelitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego.*

III. *Complexio* utrumque conjungit, cum periodi, membra, incisa eodem verbo & inchoantur, & terminantur. Sint exempla: I. *Vis Christiane frænare libidinem? ora. Vis hostem*

pudi-

PARS III.

CAPUT II.

ARTIC. II.

§ I.

etum volumus. Ut: Scio, scio, quid cogitatis. Utinam utinam saperent homines, & intelligerent, ac novissima providerent.

V. *Traductio* (Græce Polyptoton) est, cum eadem vox crebrius ponitur, immutatis tamen paulum casibus, generibus, temporibus &c. Ut illud Pauli ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Hæc figura (inquit author ad Herenium) non modo non offendit animum, sed concinnio-rem reddit Orationem. Adhibetur in loco Notationis, & Conjugatorum. V. g. *Cum de humo ortus sit homo, & ab humo dicta sit humilitas, quæ, oro, virtus cognata homini magis esse potest humilitate?* Item in sententiis, & argutiis concinnandis. *Reguntur à Regibus regna non instabili, ut veteres credebant, cæcæ fortunæ impetu; sed unus, qui omnium Rex est Regum, Dei Præpotentis imperio, cujus salutare nisi numen sua sibi Religione Rex propitium, & amicum reddiderit; ne-utiquam diuturnam Regno speraverit felicitatem.*

VI. *Synonymia* est: verborum idem, vel prope idem significantium coacervatio. Ut Davidis Psalm. 105. *Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus &c.* Utimur amplificandi, postea instandi, urgendive gratia. Vel ad demonstrandam rei dignitatem, uno verbo non sat declaratam. Aut ad vim, & emphasim Orationis. Ut illud pervulgatum: *abiit, excessit, erupit, evasit.* Curandum autem I. ut verborum delectus habeatur, ne Oratio oneretur potius, quam

quam ornetur. 2. ut verba extremo loco posita paulo diversum, vel expressius aliquid significant, aut graviora sint significatione, vel saltem sonantiora, ut patet in allato exemplo.

VII. *Polyyntheton* est: earundem conjunctionum repetitio. *Peccator, cum in profundum venerit, contemnit: nec Deum, nec homines, nec Cælum, nec infernum curat.* Utimur cum aliquid urgemus, instamus, aut cum emphasi majore, quam verba sonent, dicere volumus. Sic sonantius est: *Peccator cum in profundum venerit, & Deum, & Cælum, & infernum contemnit; quam dicere: Deum, Cælum, infernum contemnit.*

VIII. *Disjunctio* est: dum unicuique Orationis membro suum verbum additur, cum satis esset unum. Sic Paulus I. ad Cor. 13. *Sive Prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Vel: Formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate extinguitur.*

IX. *Gradatio* (Græce Climax) qua ex uno ad aliud gradatim ascenditur ad summum; vel descenditur ad infimum. Dupliciter fit: I. cum repetit, quæ dicta sunt, & priusquam ad aliud descendat, resistit. Tale est Tertulliani de spectaculis: *Cui enim veritas comperta est sine Deo? cui Deus compertus est sine Christo? cui Christus exploratus est sine Spiritu Sancto? cui Spiritus Sanctus accommodatus est sine fidei Sacramento?* Hæc figura hoc modo propòsita (ait Quinctilianus) apertiore**m** habet ar-

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. II.
§ I.

tem, & magis affectatam, ideoque rarior esse debet.
2. Sine repetitione prioris vocis, & tunc minus affectationis habet. V.g. Si hac nocte, quid dico nocte? si hac die, hac hora, quin hoc ipso momento animam supremus, ut potest, à vobis vitæ author repetat Deus, quæ parastis, cuius erunt? Sed tunc hic figuræ modus ad incrementum refertur, valetque ad rem exaggerandam, extollendam, vel deprimendam. Elegantes per incrementum fiunt partitiones, totaque construitur Oratio. Talis est Panegyris Clementi XI. Pontifici Maximo ab Ignatio Chiaberge dicta: Clemens magnus fuit in Pontificatu detrectando, major in accipiendo, maximus est in administrando. Haud multum ab simile argumentum est funebris nostræ laudationis: est Heres, quem Natura paravit, sua Virtus excoluit, Gratia Principis perfecit.

§ II.

De Figuris verborum per detractionem.

AD figuras verborum, quæ vocis alicujus detractione fiunt, referuntur: Adjunctio, Dissolutio, Synæchdoche, Synæcciosis. Libet singulas explicare.

I. Adjunctio est contraria Disjunctioni, cum ad unum verbum initio, vel in fine positum plura membra, vel incisa referuntur, Ut ad Ephes. 4. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollantur à vobis. Item: Desflorescit formæ dignitas aut morbo, aut vetustate. Cum autem interpositione verbi & superiores Orationis partes

com.

comprehenduntur, & inferiores, Author ad Herennium ait esse Conjunctionem. V.g. *Formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate.*

II. *Dissolutio*, contraria Polysyntheto, cum sine conjunctionibus multa copulantur. Facit hæc Orationem concitatioem. *Illi invidia, odio, ira æstuabant.* Item Psal. 65, *Fubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus.*

III. *Synechdoche*, Latinis intellectio, cum Orationi deest verbum, quod è cæteris satis intelligitur. Sic David Psal. 88. v. 38. *Tbronus ejus sicut sol in conspectu meo, subauditur est, aut versatur. Illi furere, minari, arma tandem sumere, intellige: ceperunt.* Utimur in Narrationibus.

IV. *Synæciosis* est figura, quæ duas res inter se diversas uno verbo conjungit, quod alibi, ubi deest, vel illi æquivalens facile subintelligitur. *Tantum tibi prodest tempus, quod vixisti; quam quod non vixisti.*

§ III.

De Figuris verborum per similitudinem.

Figura verborum, quæ similitudine efficiuntur, sunt: *Commutatio, Compar, Paronomasia, Similiter cadens, Similiter desinens.*

I. *Commutatio* est: qua duæ sententiæ inter se discrepantes ex traiectione ita effe-runtur, ut à priore posterior contraria priori proficiatur. Ut illud 2. Reg. 19. *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.* Item ad

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. II.
§ III.

Rom. 7. v. 19. *Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Christianus ita vivat, ut mori semper queat; ita moriatur, ut semper vivat.* Servit ad delectationem, ad argutias, & sententias concinnandas.

II. *Compar* (Græcis *Isocolon*) habet membra Orationis, quæ constant pari fere numero syllabarum. Dixi *fere*: nec enim anxie curandum, si quod membrum longius, aut brevius foret. V. g. *Illi fortuna felicitatem dedit, huic industria virtutem comparavit.* Item 2: ad Cor. 4. *Persecutionem patimur, sed non delevinquitur; dejicimur, sed non perimus.*

III. *Paronomasia* (Latinis *Annominatio*) est: figura, qua verba paulum immutata, & deflexa ponuntur in Oratione. Fit 1. adjectione syllabarum, aut literarum: *Virtutis studio non immorare; sed immoriare. Vetus dictum est: libri sunt liberi.* 2. Detractione. *Hara dignus, non ara.* Item S. Augustini de S. Magdalena: *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda.* 2. Commutatione. Idem Aug. *Accessit confessa, ut rediret professa: importuna consilio, opportuna beneficio.* 4. Transpositione literarum. *Est animo parvo; ne dicam pravo.* Huc referri videtur, quod Cornificius, sive Author ad Herennium, Translationi adnumerat, cum voces eadem in diversa significatione ponuntur; ut: *amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari.* Sed hæc figura perlevis est, caute igitur ea utendum;

tendum; maxime in Eloquentia Sacra, ubi nihil non grave esse debet.

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. II.
§. III.

IV. *Similiter cadens est: qua vel nomina in eisdem casus, aut verba in eadem tempora, in principio, fine, vel medio Orationis cadunt. Hunc ego non diligam, non admirer, non defendam. Qua sit integritate, quo in pretio, quanta apud Regem polleat gratia, & auctoritate, vos ipsi coniectate.*

V. *Similiter desinens est: cum Orationis membra, vel incisa desinunt in verba, nomina, adverbia similem exitum ultimarum syllabarum habentia. Anonymus: Dum ageret, agebat; sed humaniter: cum letaretur, letabatur; sed graviter: cum tristaretur, tristabatur; sed hilariter: cum irasceretur, irascebatur; sed multum dissimulanter. Item: turpiter audes facere, nequiter studes dicere. Hæc figura delectat Auditorem, & Orationem ornat; haud tamen crebrius adhibenda, quod quibusdam Sanctis Patribus vitio datur.*

§ IV.

Paradigma per figuras verborum.

UT exemplo pateat usus figurarum, en Paradigma subjicio, quod plerasque verborum figuras continet. Sit Thema: *Inter inferni supplicia nullus datur morti locus, sed æternum durabunt, quod ita vesties figuris verborum. (a)*

EXERCITATIO.

Repetitio cum Compari, & Similiter cadentibus. *Tametsi hæc misera hominum vita*

R r 5

innu-

a) Vide Segneri Serm. 14. *Quadr.*

PARS III.
CAPUT. II.
ARTIC. II.
§ IV.

innumeris calamitatibus sit obnoxia; nullum tamen in ea malum est sine levamine, nullum vulnus sine balsamo, nullum toxicum sine antidoto, nullus morbus sine medicina. Alia multo tristior fors est damnatorum in inferno. (Similiter cadentia, ac definentia.) Hi acerbissime uruntur; at sine unguento, quod leniat: siti ardentissima cruciantur; at sine potu, qui refrigeret: fame canina premuntur; at sine cibo, qui levet: tristitia profundissima torquentur; at sine solatio, quod sopiat: pudore intolerabili suffunduntur; at sine velamine, quod cooperiat.

Conduplicatio. *Utinam, utinam in tanta malorum acerbitate hoc unum solatii adesset, ut mori saltem; mori, inquam, miseris liceret. Sed hæc est summa infelicitatis eorum, quod neque remedi (Polysyntheton cum Synonymia) tam tristis, tam acerbi, tam funesti, quale est è numero viventium morte posse exterminari, spes ulla infelicibus præbeatur. Non est illis medicamentum exterminii, inquit Salomon.*

Exemplum. *Mithridates Rex Ponti famosissimus, cum ad evitandam servitutis ignominiam nec morte sibi viam patere cerneret, poculum veneno dilutum exhausit. At stomachus antidotis asuetus cum impune digessisset, ingemuit infelix eo se redactum calamitatis, ut nec morte vitam sibi eripere posset. Verum ficti fuere gemitus: si enim serio mori apud animum constituisset, num alia defuerint remedia, propositi ad finem deducendi? (Repetitio cum Interrogatione, & Adjunctione) An non defuerint arma ad disse-*
candum

candum pectus? an non restis ad frangendam gulam? an non præcipitia ad vitam elidendam? (Traductio cum Disjunctio) Certe quivis arboris truncus dabat furcam, quodvis spelæum præbebat feram, quilibet mons (si modo uti voluisset) præcipitium offerebat. Cum igitur familiari solum adjumento, veneno nimirum, mortem consciscere voluerit, palam est, eam serio nunquam exoptasse. (Compar cum repetitione, ac similiter desinentibus) Tunc justam dolendi causam habuisset, si fune gulam fregisset, si in mare semet demersisset, si ex rupe aspera se præcipitem dedisset, verbo: (Dissolutio) si furcas, bestias, rogos, fluctus, cæteraque tormentorum genera adhibuisset; nec tamen infelicem animam adhibita omni violentia edere valuisset, (Conduplicatio cum Traductione) tunc, tunc inquam, justam doloris causam habere potuisset, qualem omnino habent, ac æternum habebunt infelices damnatorum animæ, quæ, teste Joanne, quærent mortem, & non invenient eam.

Conversio. Summum equidem erit illis desiderium: (Gradatio) nec desiderium modo; sed conatus: nec conatus tantum; sed assiduus labor mortem quærere, nec tamen poterunt invenire: Quærent mortem, & non invenient eam. Clamabunt infelices; heu mors ubi es? ubi pugio? dicet Abimelech: ubi rogos? dicet Rex Zambri: ubi restis? subjunget Achitophel; at frustra: quærent mortem, & non invenient eam. Quid agitis vermes (Paronomasia) qui voratis, nec tamen devoratis? Quid flammæ, quæ uritis, nec tamen combu-

PARS III.
CAPUT. II.
ARTIC. II.
§ IV.

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. II.
§ IV.

comburitis? at incassum, quærent mortem, & non invenient eam

Traductio. Sed hæc tolerabilia forent, si ad tempus solummodo præstitutum essent toleranda; at illud est prorsus intolerandum, quod harum calamitatum tota nunquam æternitate finis erit. Et erit tempus eorum in sæcula, ajebat olim David de hominibus ad inferni supplicia damnatis. Vultisne scire, quid hoc sibi velit in sæcula? (Complexio) An fortasse eo usque, dum avicula, delibata quot annis una guttula, maria omnia exhauriat? parum est, longe diutius, nimirum in sæcula. An fortasse, dum vermiculus repetito semel post annum modico morsu omnes mundi silvas, & saltus devoret? Ab parum est, multo longius, nimirum in sæcula. An fortasse dum limax anno quovis uno tantum lentissimo passu progressus, totum terrarum ambitum circumeat? Nec istud, multo diutius, nimirum in sæcula, in sæcula inquam, id est, sine numero, sine limite, sine termino, sine mensura in perpetuas cruciabuntur æternitates, donec Deus erit Deus.

Quis jam vobis ad ista sensus est Auditores? an non pili præ horrore assurgant? Cujus cor, ajebat olim S. Bonaventura, non concutiatur, si confideret inferni pœnas, non solum intolerabiles acerbitate, sed etiam interminabiles æternitate. Si unquam, nunc profecto, verissimum comperio: mors pessima est peccatorum!



ARTICULUS III.

DE FIGURIS SENTENTIARUM.

PARS III,
CAPUT. II,
ARTIC. III.

§ I.

Figuræ sententiarum (ut dixi) non in verbis, sed in rebus, ac earum sententiis positæ sunt. Harum aliæ magis valent ad docendum; aliæ ad delectandum; aliæ denique ad movendum. Unde dici possunt: figuræ docentes, delectantes, ac moventes. At quoniam non de omnibus convenit inter omnes, quæ cui classi adscribenda sit, ac sæpe utriusque una, eademque deserviat, in tres decades ordine alphabeti proponendas, ut facile à Tironibus inveniri queant, placuit eas dispertiri. Primum exponam earum naturam; postea usum; denique exempla, & formulas, saltem quæ debeant inchoari, dabo, *Neumagrum* in hoc imitatus; cuperem autem, ut in usu harum figurarum Eloquentiæ Tirones se plurimum exercerent.

§ I.

Prima Decas sententiæ figurarum.

I. *Admiratio* est, quæ stuporem, & animi affectum re aliqua concitatum exprimit. Hanc alii è numero figurarum excludunt; alii cum *Pau'o Josepho Ariaga* recipiunt; nobis de hoc disputare non vacat. **USUS FIGURÆ.** Adhibetur in re, ac eventu insolito, aut dum quidpiam attollere, vel elevare volumus, maxime in confutatione. Eleganter conjungitur cum figura Interrogationis. Ejusmodi est illud *Elisabethæ ad Dei Matrem Luc. I.*

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. III.
§ I.

ſ. 43. Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Item Mariæ ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Denique Thren. 4. Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum? FORMULÆ I. Admiror vehementer vos cæterò viros doctos ac perſpicaces, rem adeo perfacilem haud tamen capere poſſe. 2. Nunquam credidiſſem, id in viros graves, & moratos cadere potuiſſe, ut &c. 3. Quid hoc Auditores? huc ergo progreſſum, huc deventum eſt? ut &c. 4. Nunquam vidi, nec audiui, immo ſi viderem, ne tum quidem credere poſſem, ut qui amat virtutem, non una oderit peccatum.

II. Admonitio eſt, qua aliquem placide, ac benevole officii commonemus. Differt 1. ab adhortatione: hac enim non placide; ſed graviter, ac vehementer impellimus Auditorem. Quid agitis O Chriſtiani? huc ergo ſcelorum prolapſi eſtis, ut palam luxui, commeſſationibus, libidini locum præbeatis? &c. 2. Ab objuratione, qua alios reprehendimus. Ut illud Deut. 32. Hæccine reddis Domino popule ſulte, & inſipiens? Interdum adhortatio fit per adjurationem, cum per rei cujuſpiam atteſtationem aliquid ab Auditore contendimus ut Cant. 2. Adjuro vos filiæ Jeruſalem per capreas, cervosque camporum, ut ne ſuscitetis, neque evigilare faciatis dilectam. Item Ciceronis: Per dexteram te iſtam oro, quam hoſpes hoſpiti porrexisti. Uſus figuræ. Uſurpatur tam admonitio, quam adhortatio plerumque in complexionibus, epiſtologis,

logis, & universe ubi affectum fugæ, audaciæ, æmulationis &c. ciere volumus. Effertur plerumq; stylo conciso. Ut Isaiaë 1. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, discite benefacere: quærite iudicium, subvenite oppresso. &c.* Eleganter conjunguntur cum figura Apostrophes, Interrogationis, &c. FORMULÆ. 1. Illa Leonis Papæ sententia. *Agnosce O homo dignitatem tuam, & Divinæ factus consors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento: cujus capitis, & corporis sis membrum. Reminiscere: quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum.* 2. *Fam pro vestri imperii dignitate, & gloria: quoniam hic finis præstitutus est Orationi meæ, vos hortor, & oro, videatis, quem animum suscipere debeatis. Videte, ne, ut majoribus pulcherrimum fuit tantam vobis gloriam relinquere; sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri, & conservare non posse &c.*

III. *Antithesis* est figura, qua verba verbis, sententiæ sententiis, periodi periodis opponuntur. USUS FIGURÆ. Valet ad delectandum, ornandum, laudandum, item ad argutias. Varie usurpatur: 1. Simpliciter, sine ulla alia figura. Ut illud Pauli: *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus.* 2. Per Interrogationem: *Quis ferat inertes fortissimis: stultissimos prudentissimis: sobrios ebriosis insidiari?* 3. Per commutationem: *Non ideo vicisse videris, ut triumphares; sed triumphare,*

PARS III.
CAPUT II.
AUTIC. III.
§ 1.

PARS III.

CAPUT II.

ARTIC. III.

§ I.

umphare, quia viceras. 4. Per subjectionem: Ades? abesse vis. Abes? reverti cupis. 5. Per comparisonem adhibitis particulis: hic, isthic: iste, ille: ibi, hic &c. Conferte, si placet, vitam vestram cum vita Sanctorum Cœlitum: Illi severam egerunt vitam; vos mollem: illi suas frænaverunt cupiditates; vos relaxatis &c. Hinc pudor; illinc petulantia: hic pietas; ibi scelus &c.

IV. *Apostrophe est conversio Orationis ad aliquem præsentem, vel absentem: vivum, aut mortuum, ut: Deum, Cœlites, homines, sæpe res etiam inanimatas. USUS FIGURÆ: Valet ad urgendum, hortandum, increpandum, reprehendendum, commiserandum &c. Adhibetur in narrationibus, complexionibus, adhortationibus, digressionibus moralibus. FORMULÆ HUIUS FIGURÆ. I. Cum exclamatione, & expostulatione: O generatio incredula! quousque ero vobiscum, usquequo patiar vos. 2. Cum interrogatione: Aloysi quid agis? cur tenerum in corpus adeo descevis? Ergo tibi vitam hac cruenta sævitie eripere paras? Recordare: tenon esse vitæ Dominum; sed administrum. 3. Eja Christiani, resumite animos, deponite timorem. 4. Vos ego hic appello Sanctos Cœlites, vos Christi Martyres, te cunprimis Sancta Dei Mater! &c. 5. Extremum ad vos me convertito, vos alloquor Sancti bujus Urbis Tutelares! Te cunprimis Sanctissime Præsulum Martine! 6. Vos Sacros parietes! vos Sancta templorum limina testor &c. 7. Heus tu perverse, tu sacrilege quid agis? adhucne Deum sceleribus tuis laceßere perges? &c. 8. Fundite*

dite uberes lachrymas oculi mei : eluite, si potestis, amaro fletu sordes, & crimina vestra, ad quæ patranda sæpe mihi duces extitistis &c.

V. *Comminatio est, cum minas alicujus mali intentamus. Usurpatur in affectu fugæ, odii, iræ &c. sint Exempla. Math. II. v. 21. Væ tibi Corozain, væ tibi Betsaida : quia, si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam e-gissent. Verumtamen dico vobis : Tyro, & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis. 2. Nunc quidem suavem in deliciis vitam agitis ; at erit tempus, erit, quo severam, at sero nimis, vitam agere velletis. &c*

VI. *Commiseratio est, quæ tristitiam, & animi mœrorem exprimit. Talis est 2. Reg. 18. Fili mi Absalom, Absalom fili mi : quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? 2. Miseret me vestri magnopere Christiani, eo vos calamitatis, ac miseriæ devenisse, ut &c. 3. Ab quis vos de tantis malis eruet? quis auxilium feret? &c. 4. Suspiciate in hanc Crucem! videte Christum JESUM toto corpore dilaniatum, vulneribus lividum! & nulla vos Servatoris vestri miseratio tenet? &c. Exultatio autem est, quæ lætitiâ animo conceptam significat. Hujusmodi est illud Cantici Mariani: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Item Simeonis: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Effertur etiam exclamatione. O vos felices! quibus Cœli atria subire contigit. Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti*

PARS III.

CAPUT II.

ARTIC. III.

§ 1.

fidelis, supra multa te constituam, intrain gaudium Domini tui. &c.

VII. *Communicatio est, qua Orator causæ suæ confusus consulit Auditores, vel Adversarios, cum iis deliberat, quid agendum sit? &c. Exemplum Jerem. 5. Circuite vias Jerusalem, & aspiciate, & considerate, & quærite, in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem? & propitius ero ei. U-*

SUS FIGURÆ. Valet ad fidem faciendam, ad refellenda objecta in confutationibus, ad excitandam commiserationem, admirationem &c. præsertim, si cum figura sustentationis jungatur. Item cum dilemate pugnamus, ut è duobus alterutrum eligatur, aut dicatur.

FORMULÆ HUIUS FIGURÆ. I. *Nunc ad vos conversus quæro è vobis Auditores, si dominus, & Magister vester pro inimicis orat, vos pro fratribus vestris quid facere debeatis? An fortasse vindictam repetetis? verum suspicite in hanc Crucem, vindictamne meditatur Christus? &c.* 2. *Nunc vos consulo AA, quid mihi in hoc rerum statu consilii suscipiendum existimassetis? Date consilium. An fortasse &c. verum, si sapitis, non aliud dandum esse judicassetis, quam quod ego mihi necessario capiendum intellexi. Quod illud? percipite &c.* 3. *Quid vobiscum disputo, ac verbis contendo? amice potius citra omnem contentionem agam, dicite &c.* 4. *Cum Apostrophe: Heus tu Christiane! quid ageres hoc in rerum statu, si te fors eadem, idem casus contingeret? Nunquid &c. Tuam conscientiam appello Christiane, an ferres hoc ab alio tibi fieri, quod nunc proximo tuo impune facis? &c.* VIII.

VIII. *Concessio* est, qua Orator ex causæ fiducia concedit aliquid esse verum, quod negari posset, vel permittit fieri posse, licet reprehendi posset. Exemplum Eccl. II. *Lætare juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum; & scito, quod pro omnibus his adducet te Dominus in iudicium.* UTRIMUR in confutationibus, cum rem objectam ultro concedimus, vel aliquid permittimus, verum, ut rem gravioris momenti subjungamus. *Esto, sit ita, non repugno: transubstantiationis nomen nusquam reperiri. Quid tum posita? Nunquid nec Sanctum Trinitatis vocabulum usquam habetur, quis tamen vestrum ausit illud insidiari?* 2. Valet ad objurgandum, comminandum: *Ite scelesti mortales, per me licet, indulgete voluptatibus, fruimini deliciis, at veniet tempus, veniet, quo tantum eritis in tormentis, quantum fueratis in deliciis &c.* 3. Eleganter conjungitur cum ironia, cujus exemplum est allatus Scripturæ textus. Item cum repetitione cum aliquid permittimus; sed in rem contrariam usurpandum. Tale est S. Cypriani de habitu Virg. *Locupletem te esse dicis, & divitem, & utendum putas iis, quæ possidere te Deus voluit? Utere, sed ad res salutare: utere, sed ad bonas artes: utere ad illa, quæ Deus præcepit, quæ Dominus ostendit. Divitem te esse sentiant pauperes: locupletem sentiant indigentes: Patrimonia tua Deo fœnera: Christum ciba.* 4. Cum Antithetis. Ut Paulini ad Aptum: *Sibi habeant literas suas Oratores:*

PARS III.

CAPUT. II.

ARTIC. III.

§ 1.

sibi Sapientiam Philosophi: sibi divitias suas divites: sibi Regna sua Reges; nobis gloria, & possessio, & lucrum Christus est: nobis sapientia in stultitia prædicationis: nobis virtus in infirmitate: nobis gloria in Crucis scandalo, quo mihi mundus occiditur, & ego mundo. FORMULÆ: *Esto, sit ita, quod dicis: patiar non moleste, non repugnabo, ut concedam, quod usque adeo urgetis; verum &c. En quod dicendum habebam, jam exposui, non amplius urgebo, sed rem omnem sapientiæ vestræ permitto, ut quod æquissimum videbitur, illud constituatis: non vereor, quin in sententiam meam abituri sitis. Deligite è duobus, quod vobis videtur pœnitentiam, vel infernum: alterutra enim vos fors haud dubio manet. Extollant alii, per me licet, & quantum velint, prædicent in Principibus viris ingentia auri, argentique pondera, pretiosam suppellectilem; ego omni pretio majus esse dico: amicum verum &c.*

IX. *Correctio est, qua Orator verbum, aut sententiam cum aliqua animadversione corrigit, & retractat. USUS FIGURÆ. Valet ad vituperandum, laudandum, ut ex formulis patebit. Elegans est, cum fingimus nos memoria lapsos reduci in memoriam. Quid generosissimus ille Christi Athleta? cujus me (parcite) nunc pœne memoria fugit, qui Nolæ Episcopus erat, ac pauperis cujuspiam adolescentis è captivitate redimendi gratia in servitutem se dedit. Quid inquam ille (nunc nominis reminiscor: Paulinus erat) Quid inquam ille &c. Exprimitur his verbis: quanquam, si tamen, dicam potius, vel potius, erravi, melius dixissem, si hoc est, quin immo,*

immo, si dici meretur, quid dico? FORMULÆ: *O stultitiam! quid dico stultitiam? verius dicam impudentiam. Vitæ prodigus sanguinem profudit; si tamen prodigum est pro Deo sanguinem profunderé. Quos hic lætos lætissimus, erravi! immo tristes tristissimus primum saluto. Omni studio hominem defendit; si est defendere, alienæ cupiditati obtemperare. Omni officio, immo pietate, Patrem colatis. Vos Christianos appello, si tamen Christianus dici meretur, qui talia in Christum perpetrat. Opes, & divitias suas in pauperes effudit; quanquam non sumus usi eo verbo, quo decuit, non enim effudit, sed optimo in loco apud Deum in fœnus elocavit.*

X. *Dubitatio est, qua Orator ambigit, & fluctuat, quid sibi, aut quomodo dicendum, agendumve sit. Sic Jobi 16. Sed quid agam? si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero, non recedet à me. Item ad Rom. 6. Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut Gratia abundet? Absit! UTIMUR ad rem extollendam, aut deprimendam, vel ad exprimendum perturbati animi affectum. Valet pro ingressu in exordiis: Nescio, qui fieri dicam Auditores, quod homines Christiani, à Christo Servatore dicti, tam exiguam Christi imitandi habeant rationem &c. Servit etiam ad refellendum, & tunc eleganter conjungitur cum figura Interrogationis, Suspensionis. Quo vos nomine appellem? Cives? sed à patria vestra descivistis. An milites? sed imperia abnuistis. An sacratos? at religionem rupistis. Hostes? corpora quidem, ora, vestitum civium agnosco: sed facta, dicta, consilia hostium vi-*

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. III.
§. I.

deo. *Hoftes, hoftes estis, & si quid hoftribus amplius aliquid dari potest, illud estis.* FORMULÆ. I. Ex S. Ambrosio ad Virginem lapsam. *Unde incipiam? quid primum, quid ultimum dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti? an mala defleam, quæ invenisti? &c.* 2. *Quid agam Auditores? quo me veritam? nescio. Si taceam, me reum existimabitis; si loquar mendacem.* 3. *Tanta sunt Auditores, quæ dicenda habeo, ut merito anceps hæream, quid è multis arripere: ubi aggredi debeam?* 4. *Quo te nomine vocem sceleste proditor? Insanum? Utinam fuiffes, nunquam tibi veniffet in mentem tanti sceleris cogitatio. Latronem appellem? quis latro ita barbarus fuit, ut &c.*

§ II.

Altera Decas sententiæ figurarum.

I. *Emphasis est, qua plus Orator significat, quam dicat. Eleganter usurpatur 1. Per Conduplicationem, ut Isaiæ 43. Ego sum, ego sum ipse, qui delo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Et vos Christiani hæc agitis? vos inquam Christiani?* 2. Per Exclamationem: *O rem stupendam! Christiani hæc agunt.* 3. Per Interrogationem cum pronominibus, & nominibus propriis. Ut illud Joan. 13. *Tu mihi lavas pedes? Et tu fili mi Brute?* 4. Huc etiam referuntur epicheremata totum Syllogismum continentia: *Servus Dominum accuset? suimet negligens, aliena curabit?*

II. *Epiphonema, sive acclamatio, est grave pronunciatum, quod rei narratæ, vel probatæ, velut coronis rei summam continens, subji-*

subjicitur, & acclamatur. Usurpatur in fine narrationis, vel in complexione alicujus argumenti. 1. Per graviolem sententiam cum particulis: ita, nempe, sic, profecto, enim vero, tantum est, tanti refert, multum est, multum interest. *Ita est: lento gradu ad vindictam procedit ira Dei; at tarditate in supplicii gravitate compensat. Sic odium, quod in alterum inique detortum esse voluerat, in se tandem grandi suo malo derivavit.* 2. Per optationem: *Volupe fuerat hominem audire, & eo volupe magis, quo majori convivantium voluptate noverat ipsas interdum epulas, bene coctis ejusmodi condire sermonibus, exemplo utinam pluribus imitando!* 3. Per exclamationem S. Bernardus (b) *O miseram sponsam talibus creditam paranymphis!* 4. Per distributionem: *Hoc sentire prudentiæ est: facere fortitudinis: & sentire vero, & facere, perfectæ, cumulataeque virtutis.* 5. Per admirationem: *Sine religione officium nec Principes suum, nec subditi suum, nec Heroes faciunt suum. Ad vitia deflectent, si deflexerint, nihil Heroum agent, aut agere volent, nec poterunt quidem. Tanti refert ad Reipublicæ salutem religionem coluisse!*

III. *Ethopæia* est, expressio morum, aut affectuum alicujus personæ. Ut si iratum describeres: *Toto vultu inflammatus oculis ardebat, stridebat dentibus, ore spumabat, partem in omnem jactabatur.* Differt ab *Hipothiposi*: hæc enim res potius, vel acta, quam mores, aut affectus depingit. **USUS FIGURÆ.** Adhibemus eam in

PARS. III.
CAPUT. II.
ARTIC. III.
§. II.

Narrationibus, vel ad motus iræ, odii, timoris, miserationis, cæterosve affectus exprimendos. Plurimum acuitur à causis, effectis, adjunctis rerum antecedentibus, comitantibus, & consequentibus, per incisa, aut membra conglobatis. Proderit ad hoc legisse Poetas, qui mores, & affectus hominum vivacius exprimere solent, & persæpe uno epitheto multo illustriorem reddunt. Juvat etiam pictorum tabulas conspexisse, imaginandi vim, quæ in formandis descriptionibus acrior esse solet, multum adjuturas. FORMULÆ HUIUS FIGURÆ: 1. *Quid agit homo calamitatibus pressus, cum videt nulla malis superesse remedia? ad Deum convertitur, oculos in Cælum tollit, tundit pectus, ducto altum suspirio ingemiscit, humili voce confitetur: peccavi in Cælum, & cora n te, propitius esto mihi peccatori.* 2. *Non observastis, quid agunt homines assentandi studio dediti? submisso capite, ore reidenti, oculis jam depressis, jam sublatis, voce blanda, hominem, cuius gratiam aucupantur, alloquuntur, laudibus exornant &c.* 3. *Intuemini Aloysium! en quanta in oculis modestia, in ore pudor, in vultu submissio, & ingenuitas. Non illi vox fractior, non incessus solutior, tota corporis figura imago est probitatis.* 4. *Perspectum est mihi hominis ingenium. Hic noctes, diesque in id assiduo intentus, ut fraudibus unumquemque circumveniat. &c.*

IV. *Exclamatio est Orationis elatio, vehementiorem animi motum in re gravi exprimens. Dixi in re gravi: nam levibus in rebus ridiculum foret exclamare. USUS FIGURÆ. adhi-*

Adhibetur post rem aliquam graviolem multis amplificatam, vel probatam, vel in narrationibus, dum gravius quoddam, aut damnum illatum, vel acceptum proponimus &c. Effertur interjectionibus: *O, beu, eheu, ab, vab, prob Superi, prob Superum, hominumque fidem.* Vel sine illis: *Me miserum, bonum Deum, Deum immortalem, mirum dictu, res mira.* Usurpatur ad varios (ut dixi) affectus exprimendos. 1. Ad dolorem, & misericordiam. Sic Thren. 1. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus! Ab me infelicem in quantam calamitatem deveni!* 2. Ad indignationem: *Superi! quid agitis? tantumne scelus inultum feretis?* &c. 3. Ad obtestandum: *O Caelites succurrite miseris!* 4. Ad admirationem: *O clementiam admirandam, omnium gentium lingvis, monumentisque celebrandam!* 5. Ad gaudium: *Felices vos beatæ animæ, quibus Cœlestem in patriam ingredi licuit! Incredibile dictu, quanto me gaudio affici contingit: cum vestræ felicitatis reminiscor!* 6. Conjungitur eleganter cum Ironia, cum dictum aliquod, aut factum volumus elevare, quasi per contemptum: *O præclaros Pastores, qui deglubunt oves, digni enimvero, quos supremus Pastor Christus obviam progressus curru excipiat triumphali! O stultos Macarios! O amentes Hieronymos! cur tam severam egistis vitam? en à voluntatibus etiam in Cœlum patet via.*

V. *Expolitio* est, cum in eodem loco manemus, & aliud, atque aliud dicere videmur. Hanc inter figuras refert Cornificius, Galli

PARS III.
CAPUT. II.
ARTIC. III.
§ II.

Oratores ea utuntur in proponenda partitione. Sit exemplum ex Bourdaloue (c): *Ut ad propositum accedam, ordineque procedat concio, duo in nobis ad Divinum iudicium necessario referri animadverto: fidem, & rationem. Ut Christiani, fide; ut homines, ratione sumus à Deo donati. Fides supremum est lumen in ipso ortu divinitus acceptum: ratio est lumen naturæ nobiscum natum. Ad insignes has humanæ vitæ regulas, ad duo hæc lumina iudicia sua exiget Deus. Ut Christianos, iudicabit ex fide: ut homines, ex ratione. Igitur, si severitatem in nos adhibebit, è duobus his capitibus, ac veluti principiis, severitas illa omnis petitur. Concionis scopum, & partitionem percipite: Divini iudicii severitas ducta ex fide: hoc primum. Divini iudicii severitas ducta ex flagitiosi, & irreligiosi hominis ratione, hoc alterum erit Concionis caput.*

VI. *Hypothiposis* est, qua res gestæ, vel etiam gerendæ ita describuntur, ut geri potius, & videri, quam narrari, & audiri videantur. *Dixi gerendæ*: nec enim ea solum, quæ facta sunt, sed etiam, quæ futura fuissent, aut erunt describi poterunt. Differt ab *Ethopœia* quod illic mores, & affectus; hic res gestæ depingantur. *Uusus idem est hujus figuræ, qui Ethopœiæ.* FORMULÆ. 1. *Hic ego mihi videor videre atroces inferni pœnas, percipio crepitum furentis flammæ, audio tristem, ac feralem inter acerbissima tormenta ejulantis animæ vocem: ab me miseram, quo deveni!* 2. *Agite ascendamus in Calvariæ montem, videte hanc Crucem, ecce homo!*
immo

c.) Tom. 1. in Adv. 1. in Dom. 1. Adv. de Judi. extremo.

immo vermis, non homo, in quo à planta pedis usque ad verticem capitis non est sanitas. 4. Ponite vobis ob oculos miseram illam, ac flebilem speciem, qua ad tristem tubæ insonantis vocem, surgite mortui, venite ad iudicium, totum consurget humanum genus &c. 4. Descende cogitatione in tartarum, cerne ignes illos, rotas illas, & verbera: cerne voragines præaltas: sine fundo fossas, mephitim exhalantes intolerabilem, flammam atro fumo mixtam evomentes. Aspice: ut laniantur isti: ut torrentur alii: ut discernuntur illi: ut omnes incredibiliter cruciantur. 5. O Superi! si præsentem vos esse contigisset, cum Herodis satellites in Urbem irruerant, quam cruentum, oro, spectaculum se se vobis objecisset. Vidissetis plateas puerili sanguine conspersas &c. Servit hæc figura ad delectandum, ad movendos varios affectus, maxime ad amplificandum. Utimur in ea stylo conciso, distributione &c.

VII. *Imprecatio, seu execratio, est, qua alicui mala imprecamur. Hac figura sacri Oratores rarius utuntur; sanam potius mentem, vel alia hujus generis precantur; quam diras in cujusquam caput conjiciant; nisi forte desperata fuerit salus, vel ejusmodi sit, qui jam inferno sit addictus. Ut Christus in die iudicii: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Sit dæmonum socius, qui peccatis suis dum viveret, eorum minister esse voluit. FORMULÆ. I. Illud Jobi: Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper &c. 2. Abi in malam pestem*

PARS III. *stem, malumve cruciatum! Dii te perdant scelerate!*
 CAPUT. II. *Item: O Deus! hunc ergo tui contemptum feres?*
 ARTIC. III. *hanc arrogantiam dissimulas? ubi tua morantur ful-*
 § II. *mina, quibus innoxia montium cacumina feris?*
Mitte, mitte hæc scelerata in capita, pereant, qui
te tot injuriis laceſſere non deſiſtunt.

VIII. *Interpretatio est, qua dictum, aut factum nostrum, vel alterius, juxta sententiam nostram, vel authoris alicujus interpretamur. USUS FIGURÆ. Valet ad docendum, explicandum, declarandum, amplificandum. Usurpatur cum particulis explicantibus, cujusmodi sunt: id est, hoc est, quasi dicat, ac si diceret, dicere voluit, ut ego arbitror, hoc est. Paucis dixit, hoc intellexit. Vultis nosse? dicam, sed mentem huc advertite. Sæpe etiam sine his. FORMULÆ. Quid est, quod potui facere vineæ meæ, & non feci? quasi diceret: O Christiani! quid est, quod Dei filius pro salute animarum vestrarum impendere potuit, & non fecit? En de Cælis descendit, hominem induit, &c. 2. Ama, & fac, quod vis, ajebat olim Augustinus. Quid est, quæritis ex me, ama, & fac, quod vis? Vultis nosse? En hoc est: amor nullæ leges positæ sunt, nulli præscripti termini: Sibi ipsi lex est &c.*

IX. *Interrogatio est, qua Orator non sciſcitandi causa, ut fit in vulgari sermone; sed alterius rei gratia, ad excitandum aliquem motum, se, Auditoresve interrogat. USUS FIGURÆ. Nulla est, quæ minus affectationis habeat, & cujus crebrior usus sit, quam hujus. Unde anima Orationis, ac figurarum di-*
 ci

ci solet. Utimur ea instandi, urgendive gratia, quod eleganter fit per incisa frequentia, quibus nec respirandi tempus concedatur. V.g. *Stipulatus es? verum ubi? quo die? quo tempore? quo præsente? &c.* 2. Conjungitur etiam cum repetitione: *Non te deterruit præsens Angelus? Non oculus Dei? non ipsa ratio? non sceleris turpitudine?* Item cum aliis figuris, ut dubitatione, subjectione, sustentatione, communicatione, apostrophe &c. Denique responsione. Est autem responsio, qua interroganti aliud diversum, quod utilius est, respondetur. Usurpatur ad rem augendam, vel minuendam. Sic 2. Reg. 18. quærit David: *Estne pax puero Absalom?* respondet Chusi: *fiant, sicut pueri inimici Domini mei Regis.* Lejajus. *Nocentes vis perdere? perdes innocentes. Insensos persequeris? mactabis amicos. Civium ingratorum sanguinem appetis? tuorum fundes cruorem.*

X. *Licentia* est quædam Orationis libertas, qua Orator pro suo jure audacius aliquid dicit apud eos, quos cæterum vereri, ac formidare deberet. *USUS FIGURÆ.* Olim in genere Judiciali crebrior erat; adhiberi tamen potest etiam in Oratione Sacra, præsertim, dum pro libertate Apostolica confidentius quidpiam dicere velimus. *FORMULÆ. I.* *Date veniam Auditores, quod mei sensa animi liberius fortasse, quam par esset, promam: ea vivimus tempora, in quibus magnopere grassantur luxus, ambitio, dominandi libido &c.* 2. *Scio sermonem hunc durum vobis, ac insolentem accidere; at officii mei ratio*

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. III.
§ III.

ratio deposcit, ut palam veritatem medicam. 3. Grave dictu est Auditores, dicam tamen: nec enim vellem, ut Divinus aliquando Judex strictam à me de animabus vestris rationem exacturus, ob pressam silentio veritatem in ultimo coarguat Judicii die.

§ III.

Tertia Decas sententiæ figurarum.

I. *Obsecratio, seu deprecatio, obtestatio est, qua alicujus industriam, auxilium, fidem, opem, misericordiam imploramus. Hæc figura præ cæteris vehemens est, adhibeturque in epilogis, & complexionibus argumentorum ad ciendos varios affectus. Sint exempla: 1. illud Davidis Psal. 43. Exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem. 2. Quare per animam, per salutem vestram, per hunc, quem intuemini, JESUM cruci affixum vos oro, obtestorque Auditores, habete rationem animarum vestrarum. Nolite committere, ut pretiosissimus Christi sanguis incassum effundatur. 3. Non peto O Christiane, ut assiduis te vigiliis exaurias, ut laboribus conficias, ut omnibus vitæ commodis nuncium remittas, capitis periculum adeas; Hoc unum peto: fruaris deliciis; sed honestis: utaris voluptatibus; at sobrie, quibus nec anima, nec Religio, nec Deus offendatur. 4. Nunc ad te conversi, tuum O Deus auxilium imploramus: ne sine miseros tot miseriis affligi, tot calamitatibus premi &c.*

II. *Optatio est figura, qua Orator vehemens aliquod desiderium significat. Sic Jobi 14. Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus. Ex-*
primi-

primitur particulis optantibus : utinam, faxit Deus, dent Superi, cuperem, vellem, optarem &c. *Utinam saperent homines, & intelligerent, ac novissima providerent. Vellem O Christiani, ut hunc vobis animum, banc mentem bonus inderet Deus &c. O si viverent nunc illi Heroes, quorum industria, labori plurimum Religio debet, aliam profectorem faciem videremus.*

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. III.
§. III.

III. *Præoccupatio, aliis Anteooccupatio, Occupatio, Græce Prolepsis, est, per quam ea, quæ ab adversariis, aut ab auditoribus objici possent, prævertimus, ac ultro rationem facti, aut dicti reddimus. USUS FIGURÆ est I. in exordiis per præmunitionem. Erit fortasse vestrum aliquis, qui miretur, quid sit? quod primo statim sermone, de fraterna ad vos dicam charitate; at si consilii mei rationem cognoveritis, non modo mirari desinetis, sed una id, quod facio, quam maxime probabitis. 2. In probationibus, & confutationibus. FORMULÆ. At dicet vestrum aliquis: hæc est igitur tua disciplina? &c. Queretis ex me forsitan Auditores, quid esset, quod &c. At licet non videam, percipio tamen, quid cogitetis? &c. Erunt qui dicant &c. Non dubito cogituros quosdam &c. At sunt aliqua, quæ dissimulare haud possunt &c. Multum videor dicere, verum advertite, quemadmodum intelligam &c. Jam, ne quis adhæreat, hoc addo. &c.*

IV. *Præteritio est, qua profitemur nos prætermittere, aut nolle dicere, quæ tamen tum maxime dicimus. Sic Paulus ad Hebr. II. Et quid adhuc dicam? deficit enim me tempus enarrantem*

PARS III. *ranthem de Gedeon, Barac, Samson, Jephthæ, David,*
 CAPUT. II. *Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna.*

ARTIC. III. *USUS FIGURÆ est: I. cum aliquid contractius*
 § III. *dicendum habemus. Sed video ad finem vergere*
Orationem. Vel: ne præstitum dictioni tempus e-

*grediar, contrabo vela Orationis, prætermis-
 teris, hoc unum breviter adfero &c. 2. Valet pro
 transitione cum correctionis figura: Veru-
 n quid his tantopere immoror? tempus est, ut præ-
 teritis his ad alia transeamus. 3. Ad objurgan-
 dum, exaggerandum, laudandum, dum mul-
 ta ad ignominiam, vel laudem pertinentia
 congerimus. FORMULÆ: Nihil hic de stupris,
 de adulteriis, caterisque turpissimis flagitiis dicam;
 hæc enim ejusmodi sunt, quæ honestas refugit dicere;
 Divus autem gentium Doct̃or Paulus, nec nomina-
 ri vult in nobis. 2. Dies me deficeret, si cuncta vir-
 tutum ornamenta vellem commemorare. Non igitur
 adferam illius modestiam: non sobrietatem &c. So-
 lam animi submissionem prædicabo. Vel: Possẽm hic
 multa dicere de præclarissimis illius virtutibus, ut
 modestia, sobrietate &c. At una mihi humilitas con-
 cionis argumentum præbebit. Vel: Sinite me hoc
 loco præterire &c.*

V. *Prosopopœa est personæ loquentis fi-
 cta inductio. ut Prov. 8. Sapientia clamitat, &
 prudentia dat vocem suam, dicens: O viri ad vos
 clamito, & vox mea ad filios hominum: intelli-
 gite parvuli astutiam &c. USUS FIGURÆ est ad am-
 plicandum, persuadendum, objurgandum,
 ad movendos affectus: odii, doloris, misera-
 tionis &c. Fit, cum Patriæ, Ecclesiæ, virtuti
 alicui,*

alicui, Urbibus, artibus, parietibus, Angelis, Sanctis, Deo ipsi sermonem tribuimus. Vel corpus adversus animam, animam adversus corpus confurgentem, exoptulantem, exaggerantem, aut dæmonem sceleratos in Divino tribunali accusantem fingimus. Vel templorum parietes, fornices &c. interrogamus, alloquimur, in testimonium vocamus. FORMULA usurpandi hanc figuram. 1. Si nunc Sanctissimi nostri Reges Stephanus, & Ladislaus reviviscerent, & hic ante nos consisterent, an non hac gravi uterentur Oratione: O Ungari! Ungari! huc ergo primus ille, quem tantis laboribus, tot sudoribus fundavimus, Religionis Christianæ ardor devenit? 2. Audite animas ex inferni faucibus ingemiscentes: O miseras nos, & infelices! &c. 3. Quod si tunc Jacobum lamentantem audissetis, quid, oro, audissetis? nisi has miserabiles voces: O me Parentem infelicem! Fili mi Joseph, ubi es? ubi es? 4. Si Urbs ista loqui posset, loqueretur profecto, & apertissimum testimonium perhiberet, ac una voce hoc diceret &c. 8. Venite vos pauperes, vos claudi, vos mendici, testimonium perhibete: an non fuerit Pater pauperum? &c. 6. Non amplius ego loquar, sed loquantur hi parietes, hæc tecta, hi muri, edicant: cujus rabie, furore sint diruta? &c. 7. Si nondum satis, descendite mecum, saltem cogitatione, antequam descendatis corpore, ad inferni specum, quarite ab una earum aliqua: heus tu infelix anima! quid, oro, te ad hanc miseriam præcipitem egit! an non tua ambitio? an non superbia; &c

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. III.
§ III.

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. III.
§ II.

VI. *Ratiocinatio* Authori ad Herennium est, per quam nos ipsi à nobis rationem poscimus, quare, quidve dicamus, & crebro nosmet à nobis petimus uniuscujusque propositionis explanationem. Utimur ea in narrationibus, in probationibus, confutationibus. Hæc figura (ut ait Cornificius) ad sermonem vehementer accomodata est, & animum auditoris reddit attentum tum venustate sermonis, tum rationum expectatione. Exprimitur his particulis: quam ob rem, quid ita, quid tum, cur ita, quo pacto, quos istos, quid postea, quare, quomodo. Sit exemplum. Bene sapienterque majores nostri constituerunt, ut nemo ullus Sacrorum Virorum profanæ hominum potestati subjiçatur. Cur ita? Non enim addecet, ut Viri peculiari religione Deo consecrati, qui loco altiori consistunt, humili submittantur. Quid quod Sacerdotes Judices sint profanorum? Quo pacto? Hi enim amplissima auctoritate præditi potestatem habent, & peccata dimittendi, & retinendi &c.

VII. *Reticentia*, sive *Interruptio*, Græce *Aposiopesis*, est, cum ad affectum iræ, vel doloris &c. exprimendum abrupto sermone sententiæ partem supprimimus. Sint exempla: Tu ista audes dicere? qui nuper alienæ domi.... Non audeo dicere, ne dum te digna dixero, me indignum quid dicam. Si morem gesseris præmium feres, sin... Sed abrumpo sermonem, ne fortasse bodie, asperior esse videar.

VIII. *Sermocinatio*, sive *Dialogismus*, est ficta personarum collocutio, seu solus secum ipso, seu plures simul inter se loquentes inducantur.

cantur. Frequenter conjungitur cum Prolepsi in confutatione; plurimum tamen adhibetur in narrationibus, ubi mirifice delectat, & attentum facit Auditorem, si vox, & sermo consentaneus tribuatur personis, quod maxime curandum in dialogismo. Exemplum elegans hujusmodi narrationis cum sermocinatione habetur apud Segneri *Sermone II. Quadr. Num. 8.* quod, cum longius sit, exscribere non vacat.

IX. *Suspensio*, sive *sustentatio*, est, qua suspensos aliquamdiu tenemus Auditorum animos, donec aliquid, sive gravius fuerit, sive levius, quod quasi reconditum animo servabatur, exponamus. *USUS FIGURÆ* est ad amplificandum, ad conciliandam attentionem, ad extollendum, vel aliquid diminuendum. Utimur in narrationibus, aut si inusitatum quidpiam, vel inexpectatum, aut admirabile dicere velimus. Jungitur eleganter communicationi, interrogationi, subjectioni, in fine conduplicationi, exclamationi. Sit exemplum: *Nunc ad vos conversus quæro è vobis, dicite Auditores: quid hæc inter tormenta bonum egisse Christum existimatis? An fortasse carnifices suos diris devoverit? devovisset, si moribus vestris præditus fuisset. An ultionem à Cœlesti Patre depoposcerit? poterat; quin ipse etiam de medio omnes tollere poterat. Egitne? absit! quid igitur? audite, verum attentis auribus audite, ac stupete: eo ipso, quo gravissimis suppliciis afficiebatur loco, Cœlestem pro carnificibus Patrem orat: Pater ignosce illis:*

PARS III.

CAPUT. II.

ARTIC. III.

§ III.

quoniam nesciunt, quid faciunt. O inauditam Christi clementiam! O stupendam benignitatem!

X. *Subiectio, five compensatio, est, qua Orator vel interrogat se ipsum, & respondet sibi, vel cum alium interrogat, non expectato responso aliud de suo subicit, vel quidpiam concedit, ac fatetur, cui aliud æque firmum opponitur. Hæc figura eo illustrior esse videtur, quod plerumque è tribus, ut concessione, antithesi, & subiectione conflare soleat. Ut patet ex allato suspensionis exemplo. Valet ad amplificandum, docendum, exornandum, maxime ad confutandum. Sæpe coniungitur cum figura Interrogationis, sæpe sine illa cum particulis adversantibus: at, sed, verum, &c. Sint exempla: Principem unusquisque, ut cæterarum principatum obtinet, religioni curam impendat. Hæc fundamentum, hæc basis est, sine qua molem quidem extrues; sed brevi ruituram: Societatem coges; at non diu post dissolvendam: tribunal eriges; at opinione citius evertendum. Quam adfers negligentie tuæ excusationem? Fuisse te morbo impeditum? at valebas. Negotiis distentum? at ludendo diem totum consumpseras. Elegantius effertur subiectio, si prius verbum repetatur. Deum immortalem! quanta est pernicitas humane mentis! Vis pervadat terras, & maria? pervasit. Fubes in Cælum evolare? evolabit. Vel sine particulis adversantibus. Sapientiam in eo requiris? eximia est. Fortitudinem? præcellens est. Religionem? religiosissimus est. Mansuetudinem? nihil eo sedatius.*

ARTI-

ARTICULUS IV.

DE SENTENTIIS.

PARS III.
CAPUT. II.
ARTIC. IV.
§ I.

AD ornatum elocutionis spectant etiam sententiæ, quas Fabius (d) *lumina Orationis*, ac velut *oculos* quosdam *Eloquentiæ* vocat. Differunt ab argutiis; nec enim omnes sententiæ argutæ sunt, nec quævis argutia est sententia. De his ergo agam, potissimum ex mente *Fabii Quintilianii*, & *Cornificii*, vel quisquis est *Author ad Herennium*.

§. I.

Natura Sententiarum.

Dupliciter usurpatur, ut belle *Fabius* advertit, sententiæ nomen. I. Veteres quidquid animo sensissent, sententias vocaverunt. Unde juraturos, & gratulantes ex animi sententia loqui dicimus. Et licet sensus corporis esse videantur, nihilominus consuetudo invaluit, ut etiam mente concepta sensus dicantur, unde, *sensa sua dicere*, usurpamus. *Lumina autem* (ut ait (e) *Quintilianus*) *præcipue in clausulis posita, quæ Græci gnomas appellant, sententias vocamus, quarum utraque ex eo nomen accepit, quod similes sint consiliis, & decretis.* Quare

I. Sententia Authori ad Herenium est *Oratio sumpta de vita, quæ, aut quid sit, aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendit.* Sive: est dictio doctrinam, saltem probabilem, ad vitam, hominumque mores pertinentem in se breviter continens. Dixi *breviter*: nam longi-

T t 3

ores

d) *Instit. Orat. l. 8. c. 5.* e) *Ibidem.*

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. IV.
§ I.

ores non ornant Orationem, nec in ea luminis rationem habent. Hujusmodi sunt: *Divinorum omnium Divinissimum est cooperari in salutem animarum. Nemo est, qui omnibus horis sapiat. Difficile est virtutem revereri, qui semper secunda fortuna sit usus.*

II. Sententia alia est *aperta*, alia *occulta*. Illa est dictio Universalis, nullis circumstantiis particularibus adstricta, cujusmodi sunt nunc relatæ; item: *mortales non debent iras gerere immortales. Occulta* est dictio singularis adstricta determinatis circumstantiis loci, temporis, personarum. Ut illa Afri Domitii: *Princeps qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere. Non potest fieri, O Cato, ut omnibus horis sapias.* Unde formaturus sententiam apertam, sive universalem, vide: quid in re, de qua loqueris, potissimum occurrat doctrinæ morali, aut politicæ servitutum; revoca illud ex *hypothesi ad thesin*, sive abstrahe à particularibus circumstantiis loci, temporis, & confestim habebis sententiam. Sit exemplum. De Apostolis sermo tibi foret, quos Christus Dei filius Divina autoritate delegit ad munus Divinissimum, ut sibi cooperentur in salutem animarum. Omissis adjunctis, dic sententiose: *Divinorum omnium divinissimū est cooperari in salutem animarum.* Aut si de Alexandro Magno, qui ob fortunæ prosperitatem Jovis se filium haberi, nec hominem nosse voluit, loqueris, dic: *arduū est in fortunæ fastigio se hominem nosse.* Si vero occultam, sive particularem
forma-

formare libet, restringe universalem v. g. omnium Divinorum diviniſſimum est cooperari in salutem animarum, ad circumstantias v. g. personæ per Apostrophem: *Viri Apostolici! quanta est muneris vestri dignitas? Certe Divinorum Diviniſſimum est, dum cooperamini in salutem animarum. Vel ad locum, tempus: dilata auxilia magna sæpe evertunt consilia. Etiam hodie perſepe fit, dum Roma consultat, Saguntum perit.*

III. Utraque sententia alia est *simplex*, alia *composita*. Simpleses sunt, quæ nec ex pluribus sententiis componuntur, nec rationem dictionis continent; verum sine ulla ratione prolatae confestim intelliguntur. Ut: *optima hominis res est valetudo. Hujusmodi simplices sententiæ* (ait Author ad Herenium) *Non sunt improbandæ, propterea, quod habet brevis expositio, si nullius rationis indiget, magnam delectationem.* Compositæ sunt, quæ vel ex duabus, aut pluribus coalescunt, ut: *obsequium amicos, veritas odium parit, vel sunt instar enthymematum antecedens, ac consequens complectentium: Vult Princeps omnia scire? necesse habet multa ignoscere. Vel denique rationem dictionis continent: Adolescentem à prima statim ætate ad virtutem formes: nam qualis fuerit juvenis, talis erit & senex.* Præstantissima tamen sententiarum species est, quæ nec enthymema, nec rationem aperte continet; sed ratio, & sententia in unam propositionem, aut periodum, velut in epicherema, contrahitur. *Homo nihil humani à se alienum putet. Servus Dominum accuset?*

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. IV.
§ II.

IV. Unde sententiose dicere non est collectis unde unde Authorum dictis Orationem farcire: tunc enim testimoniis uteremur verius; quam sententiis.

§. II.

Leges usurpandi Sententias.

Quemadmodum in argutiis; ita in usu sententiarum, certæ leges sunt servandæ, quas ex *Fabio* depromptas accipe.

I. *Sententiæ sint veræ, vel saltem verosimiles.* Nec enim opportunam ad formandos hominum mores doctrinam continet, quod verum, aut verosimile non est. *Tales autem frequenter ab iis dicuntur* (ait *Quintilianus*) *qui καὶ ὁλιμὰ*, id est, nimium generica *usurpant*, & quidquid pro causa videtur, quasi indubitatum pronunciant.

II. *Ne sint nimium crebræ*, idque ob varias, quas *Fabius* adducit, rationes. 1. *Lumina* sunt sententiæ, quibus Oratio enitere, & extare debet; verum non flammæ, sed scintillis inter fumum emicantibus persimiles. Quemadmodum igitur minora sidera in sole cerni desinunt; ita sententiæ gratiam omnem, & admirationem, quam haberent, amittunt; quin ne apparent quidem; si iis immoderate usurpatis pleno lumine solis instar colluceat Oratio. 2. *Nimia densitas* reddit Orationem concisam, & abruptam: omnis enim sententia subsistit; cum quælibet sensum finiat, & nova novi sensus initium ducat. Unde fit, ut Oratio evadat dissoluta, &

è fin-

è singulis non membris ; sed frustis quasi col-
lata, suo flumine careat. Accedit: quod solas
captanti sententias, necesse sit multas dice-
re leves, frigidas, ineptas ; non enim potest
esse delectus, ubi numero laboratur.

III. *Ne sint obviis de rebus ; secus facile
vilescunt ; aut certe, si de obviis dicendum
sit, eleganti aliqua metaphora, translatione,
aut figura, vel similitudine, rei obviæ gra-
tiam conciliante, vestiuntur. Eæ vero plu-
rimum sapiunt, quæ inexpectatum aliquid,
vel epigrammatica quadam argutia condi-
tum complectuntur ; quod tamen ad ratio-
nem sententiæ necessarium non est.*

IV. *Sententiis compositis potius, & occultis,
quam simplicibus, & apertis est utendum. Com-
positæ enim præter nudam rei veritatem u-
na dicti rationem continent ; apertæ vero ar-
tem affectant, & cum universalem doctrinam
contineant, sunt Oratoris, velut Judicis, &
Legislatoris consilia, & decreta, quas dum
proferimus, docendi, monendive authorita-
tem sumimus, ac totidem quasi oracula è tri-
pode fundere videmur, quod in Oratore,
præsertim humiliore, plerumque est affecta-
tum, & gravi Auditori fastidiosum. Occultæ
autem sententiæ, cum doctrinam singularibus
adstrictam tectè proponant, retenta tota vi,
& efficacia, dictam evitant affectationem.
Unde apertum sententiose dicendi genus
convenit personis gravibus, ac inter eos,
quibus cum disserunt, ob ætatem, aut usum,*

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. IV.
§ II.

PARS III.
CAPUT. II.
ARTIC. IV.
§ II.

vel doctrinæ famam, aut muneris dignitatem, auctoritate præditis. Cujusmodi sunt, qui aliis præident, ut Principes, Prælati, Optimates. Vel, qui mores ex instituto formant, ut: Parentes, Præceptores &c. Aut qui cum auctoritate svadent, ut Viri senes, docti, eruditi &c.

V. *Sententiæ sint opportunæ*, id est: suis locis debite aspersæ. Aspergentur autem: 1. Cum agimus de rebus gravibus ad formandos hominum mores pertinentibus. 2. Cum docemus. 3. In narrationibus, exordiis, aut si gravius aliquid dicere volumus, vel rei probatæ, aut narratæ epiphonemate acclamamus.

§ III.

Fontes, & modi sententiarum.

Fontes, & modi sententiarum pene iidem sunt, qui argutiarum. Tironum gratia eorum aliquos hic iterum repetemus, ut in exemplis videant, qui formandæ, & ornatius efferendæ sint sententiæ. Agemus autem potissimum de apertis, ex quibus facile feceris occultas.

1. Formantur sententiæ ex locis Rhetoricis. Sint exempla. 1. A definitione, præsertim, si metaphoricum aliquid contineat. *Superbia multorum fons, & mater est malorum.* 2. A Notatione, haud tamen obvia. *Si clericus pars est Domini, vel Dominum partem habet, talem se exhibeat, ut & ipse possideat Dominum, & à Domino possideatur.* 3. A conjugatis. *Propria juventutis*

ventulis dos est (si vitium dos dici potest) inconstan-
tem esse, quæ sibi in re nulla magis, quam in una in-
constanti levitate constat. 4. A simili. Juventu-
tem arundini per similem esse comperi, quam ut facile
flectes; ita facile franges. Vitia, & vites, ni fal-
cem sentiant, latius excrescent. Sunt Reges in regno
quemadmodum sol in Cælo: hic tempora; ii moderan-
tur imperia: astrorum iste; illi obtinent principa-
tum populorum. 5. A Relatis. Ut vivimus, ita
morimur. Sunt mores fidissimi interpretes, qui men-
tis arcana fideliter explicant; ut quales nos aspectu
serimus, tales re ipsa & animo simus. 6. A Com-
paratione. Si malo celeriter non poterat occurrisse,
injecta mora consulto intercessit, Rabio similior Di-
ctatori, quem novimus cunctando triumphasse. 7.
Ab eruditione. Qua fuerit religione, compertissi-
mum reddidit in ultimo vitæ discrimine, in quo, He-
raclio ut in lapide, vera solet hominis explorari vir-
tus. Non semper videmus Alexandros à Philippis;
sed interdum Caligulas à Germanicis, id est, pessi-
mos ab optimis procreari. 8. Ab adagiis. Non om-
nis fert omnia tellus; sic nec omni unus omnia
tempore potest: Expectandum est sæpe, sæpe conni-
vendum, quin scenæ (ut ajunt) per sæpe serviendum,
ut conniventia deteriora prohibeas; expectatione u-
tiliora acceleres. Mora sanat, quod interimit teme-
ritas. Sero sapiunt Pbryges: nec Piscator aliter;
quam ictus sapit.

II. Formantur sententiæ per Tropos.

1. Per metaphoram. Nunquam in molli vir-
tus cubat loco. Per ardua pervenitur ad apicem
virtutis. 2. Per Synechdochen: Omnis caro cor-

rupit

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. IV.
§ III.

PARS III.
CAPUT II.
AUTIC. IV.
§ III.

rupit viam suam, idest: homo. Per Metonymiam: Semper pavidum est scelus, idest: scelerati.
3. Per allegoriam, ut si dicere velles: *multorum ambitio raro concordat, dic: multorum capitum ambitio nunquam unum in corpus coalescit. Vel: unam Rempublicam unus gubernet; dic allegorice: unum Reipublicæ corpus uno animetur spiritu. Etiam sol suas habet maculas, id est: Vir Sanctus labes. Vel illud Constantini Magni: Aulici sunt tineæ, & sorices palatii.*
4. Per Hyperbolen: *Tanta erat iustitia, ut ipsam in eo iustitiam pro tribunali consedisse putares.*
5. Per Ironiam: *O pulcherrimam invidiæ faciem, quam boni ament omnes.*

III. Formantur sententiæ per figuras.

Sint exempla. 1. Per Paranomasiam; at non affectatam. *Arctissimo sibi nexu junguntur præesse, & prodesse. Docent, quæ nocent. Frustra illic adhibentur verbera, ubi non proficiunt verba.*
2. Per Traductionem. *Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. Divitias sine divitum esse; tu vero virtutem præfer divitiis.*
Per Correctionem, & animadversionem. *Franges potius, quam corriges; si tamen frangi queant, qui in pravum obduruerunt. Vilissimo cuique crescit audacia, maxime, si se timeri sentiat.*
4. Per similiter cadentia. *Vitia non solum Principes concipiunt, sed etiam in Civitatem infundunt, plusque exemplo, quam peccato nocent.*
5. Per similiter desinentia. *Nulli jactantius fidem obligant, quam qui maxime violant.*
6. Per commutationem. *Christianus ita vivat, ut semper mori queat; ita moriatur, ut semper vivat.*
7. Per Condupli-

duplicationem. *Errant, errant, qui rebus in prosperis omnes fortunæ impetus se fugisse putant.* 8. Per interrogationem. *Eum tu hominem appellabis, qui hominis vitam ferro appetiit?* 9. Per interrogationem cum responsione, vel subjectione. *Imperium habere vis magnum? impera tibi.* 10. Per Optationem: *Utinam saperent homines, ac novissima providerent.* 11. Per Epiphonema. *Usque adeo miserum est in peccatis mori.* 12. Per antitheta, & repugnantia, qui fons est pulcherrimus, & uberrimus. Tales sunt: *Arcum frangit intensio; animum remissio. Bonis nocet, quisquis pepercerit malis. Est vita misero longa; felici brevis. Pudorem alienum qui eripit, perdit suum.* 13. A Paradoxo. *Nil prodest, quod non idem obesse queat. Nemo læditur, nisi à se ipso.* 13. Per Synonimiam, quæ tanto admirabilior est, quo sensus Synonimi longius procurrunt. *Stipendium deficit; languet militia: corpus sine nervo, est miles sine ære: displicet ferri usus, ubi suum deest ferro pretium: hebescit acies, quam aurum non acuit: & absque æmulo est virtus, quæ caret præmio.* Hæ autem sententiæ eleganter efferuntur, dum causam facti alicujus assignamus per particulas: nempe, scilicet, enimvero, documento fit, ut constaret, non ignarus, noverat, quippe, nimirum, verissimum illud &c. *Noverat: Principes Rempublicam sic gerere debere, ut scirent rem populi esse, non suam. Relicto tristi omnibus documento: malum consilium consultori esse pessimum. Verissimum illud: quanto quis fuerit minor; tanto erit major.* Similiter elegantiores iunt

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. IV.
§ III.

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. V.
§ I.

funt sententiæ in secunda (ut ajunt) persona prolatae. Sic illud: *regnum scelere partium firmum non est*; venustius dices: *Quod scelere paraveris regnum, instabile puta.*

ARTICULUS V.

DE TRANSITIONIBUS.

§ I.

Natura, & species Transitionum.

TRansitionem alii cum *Cornificio* figuris adnumerant, cum *Fabio* excludunt alii. At utcunque res sit, illud certum: quemadmodum corporum decor non ex solo colore; sed ex apta, maxime membrorum, connexione confurgit; ita Orationis venustas è singularum partium, tanquam artuum, apte inter se colligatarum nexu enasci solet. Unde merito ad elocutionis ornatum refertur. Est autem

I. Transitio vinculum quoddam, quo membra Orationis apte inter se colligata unum quasi corpus efficiunt. Dicitur *transitio*, quoniam per eam ab una Orationis parte ad aliam progressio instituitur. Hanc Tirones usû potius, ac præstantium Oratorum lectione, quam arte condiscant, & si quam elegantior, ex occultioribus præsertim, repererint, sua in adversaria conferant, ut commodum uti possint.

II. Duplex est Transitionum genus: *Majorum*, & *Minorum*. Illæ partes principali-
ores, ut: confirmationem, partitionum, ac
suppar-

suppartitionum membra, narrationem, confutationem, epilogum connectunt. Istæ: minores, ut periodos, membra, Syllogismi propositionem, assumptionem, rationes utriusque: vel in exordio descensum, propositionem, introductionem, partitionem conjungunt.

III. Utraque: alia est *composita*, seu perfecta, quæ breviter repetit, & quæ dicta sunt, & quæ dicenda restant, proponit, ut: *Non satis est Heroem solis Naturæ dotibus comparari, virtutibus præterea excolatur oportet.* Alia *simplex*, & imperfecta, sola commemoratione dictorum, vel dicendorum constans. *Hæc sunt, quæ de utilitate humilitatis dicenda fuere.* Vel: *Accipe nunc exercendæ misericordiæ modum.* Rursum alia est *transitio aperta*, cujusmodi sunt nunc allatæ; alia *occulta*. Illa facilior; hæc multo difficilior, quam idcirco ingeniosam soleo compellare.

IV. Transitionam *apertarum*, sive *simplicium*, sive *compositarum* usus est in partibus majoribus; quanquam in Orationibus, maxime panegyricis, vel etiam moralibus doctiorem ad Auditorem occultas facilius observantem, iisque delectari solitum, ingeniosæ sunt adhibendæ. In Didacticis autem, vel rudiores apud Auditores, aut si longius procurrat Oratio, ut audiendi tædium levetur, præstat apertas usurpare. In partibus autem minoribus adhibeantur occultæ, vel minores in particulis potissimum connectentibus positæ.

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. V.
§ II.

§ II.

*Modi Transitionum toti Orationi Sa-
cræ communes.*

CUM ars Transitionum (præsertim occultarum) magnum Tironibus negotium facessat, proponam aliquos earum modos: primum toti Orationi communes: postea cuilibet parti speciales.

I. Fiunt Transitiones, præsertim minores, per particulas connectentes. Cujusmodi sunt: *Cum, tum. Si unquam, tunc certe. Si quando, tum enim vero. Si uspiam, illic profecto. Et si, tametsi, quanquam; nihilominus, at, verum, tamen. Quemadmodum, sicut; ita etiam, non secus, haud aliter. Non modo, non tantum, non solum; verum etiam, sed etiam. Adeo, usque adeo, tam; ut. Ita, ita sane, ita prorsus, immo, immo vero. Præterea, deinde, bis adde, ad hæc, huc accedit, bis affine est, huic simillimum est. Postularet hic locus, ut dicerem. Restat, ut dicam. Hoc unum superest. Nec illud est prætereundum. Omitto cætera, hoc unum referam. Illud profecto præterire haud possum. Ex his jam advertere, vel intelligere potestis. Aut cum vehementius excandescit Oratio: Jam vero, age vero, vel agite Auditores. Quid est? quod. Quid? quod. Quid putatis, quid existimatis, quid vobis videtur? Quid referam, quid superest, vel superat? Adhucne, quousque tandem, ecquando, quando tandem? Itaque, igitur, idcirco. Quid igitur, quid itaque, ecurr, quamobrem, ut quid, quid ita? Quare, quapropter &c. Ego vero sic existimo. Sic constitutum habeo. At utcunque hoc sit; illud certum. Mibi ita videtur &c.*

II.

II. Fiunt transitiones, maxime occultæ, & ingeniosæ ex re nata, sive cum Orator advertit ad ea, quæ præcedunt, & quæ consequuntur; ac tum ex fine præcedentis argumenti cum initio sequentis collato transitionem adornat. Quod multipliciter fieri potest: 1. Ex sensu argumenti. Hujusmodi est illa Oratoris ab religione fortiter defensa ad religionem beneficiis amplificandam transire volentis. *Dicere auditus: ne quid detrimenti capiat religio, extremo etiam capitis periculo se illud defendere, ac propulsare comparatum. Quo majus haud equidem beneficium conferre poterat; cum vita nihil in orbe charius esse queat; hac tamen egregia voluntate nihil quicquam præstitum putabat: nisi cum vita ipsas etiam fortunas ad eam beneficiis amplificandam impendisset.* 2. Ex verbis: fit enim sæpe, ut ex ultimo præcedenti verbo detur opportunitas ad novum aliud argumentum transeundi. Sic Orator cum dixisset: *In supremo aulici honoris gradu collocavit: quia Regem propiore, unde cæteri lucem omnes accipiunt suam: hæc vox lucem occasionem præbuit progrediendi ad novum similitudinis argumentum: Sunt Reges in regno, quemadmodum Sol in Cælo: sunt minora Ministri sydera, eo lucidiora, quo Regibus fuerint propinquiora &c.* 3. Aliquando fit transitio per repetitionem prioris vocis. *Tam stultus est amor, tam stulta ambitio, ut suam suo etiam detrimento expleri velit cupiditatem. Explevit Agrippina Neronis Mater. Hæc &c.* 4. Sæpe consulto Orator prio-

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. V.
§ II.

ris partis, vel argumenti complexioni interfert aliqua, quorum verba, aut sensus dant occasionem aptæ ad alterum argumentum transitionis. Sic Orator à fidelitate Principis ad pietatem in patriam progressurus dixit: *Ita se fidelem Principi approbavit, ut se piun in patriam semper exhibuerit. Quod certe tanto majus est laudis argumentum, quanto difficilius est commoda Principum fideliter curare; nec tamen in oblivionem patriæ utilitatis unquam adduci. Rara tamen arte conjunxit utrumque &c.*

III. Ducuntur transitiones è locis Rhetoricis. Illustremus exemplis. 1. Similitudinis: cum brevis similitudo, vel exemplum præmittitur; in cujus dein apodofi ad propositum suum Orator delabitur. Hujusmodi est illud Anonymi, quo ab excellentia virtutum (ut ajunt) Theologicarum: Fidei, Spei, Charitatis ad ostendendum earum usum, & facilitatem transiturus, attulit exemplum *Davidis, adversus Goliath pugnaturi, qui galea, lorica, gladio Saulis instructus, cum incedere haud posset, deposuit ea. Non possum (inquit) incedere, quia non usum habeo, & deposuit ea. Haud absimiliter dicetis, & vos Auditores, magna quidem est Virtutum Theologicarum excellentia, magna dignitas; at non possum incedere, id est exercere: nec enim earum usum compertum habeo. Verum audite quid facilius? quam &c.* 2. A relatis. Sit exemplum ex Cæsare Calini. *At hæc ipsa (Philippi videlicet Nerii in pauperes, ægros, peregrinos, peccatores, cæterosque) benefi-*
cen-

centia, qua placebat hominibus, cum fuerit radicala in ferventissima Dei charitate, simul efficiebat, ut uno eodemque tempore placeret etiam Deo. Placebat tam Deo, quam hominibus. 3. A contrario. Sic Orator postquam rectam pueritiæ institutionem probasset multum prodesse ad mala fugienda, ostensurus eam multum prodesse ad bona etiam faciendâ; ita per contrarias rationes transgreditur. Qui peccata fugit, putatisne non simul virtutem colet? Nunquam audiivi; minus vidi; immo si viderem, ne tum crederem quidem fieri posse, ut si quis malum oderit, oderit etiam bonum. Sunt enim horror peccati, & amor virtutis ita apta inter se, & connexa, ut unum sine alterius societate nunquam consistere possit.

IV. Fiunt etiam transitiones per figuras. 1. Per interrogationem, & communicationem. Quid existimatis AA, an superbiam soli tantum Deo, non etiam hominibus invisam esse dicetis? Verum audite, quid Divinus Spiritus dicat: odibilis est superbia coram Deo, & hominibus. 2. Per correctionem. At quid ego tantopere inzebor in superbiam, quasi uni solum Deo invisâ foret? an non orbis universus agnoscit ipsis etiam hominibus summe esse detestandam? 3. Per optationem. Utinam Auditores, utinam solos apud homines invisâ foret superbia: hoc equidem tolerandum foret; at illud est horrendum, ac terribile, illam non hominibus solum, sed ipsi etiam Deo magnopere esse detestandam. 4. Per prosopopæam. Parum dixi, cum superbiam hominibus invisam esse dixi: descendite mecum, si libet Auditores,

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. V.
§ III.

ad inferni specum, querite ex Angelicis Spiritibus : heus Spiritus nobilissimi ! quid vos è Cælo rudentibus detractos in hæc tartara præcipites egit ? Nunquid uno ore dicent , & clamabunt : odibilis est coram Deo , & hominibus superbia &c. Similiter transitiones institui possunt per alias etiam figuras , quarum exempla brevitatis causa præterimus.

§ III.

Modi Transitionum cuius parti speciales.

ALia transitiones sunt cuilibet parti propriæ , ac speciales , potissimum per formulas apertas , easque majores : compositas , & simplices. Sint exempla.

I. Ab ingressu ad descensum exordii , præsertim si Narrationem Evangelicam contineat. 1. *Hæc est hodiernæ Evangelicæ narrationis summa , quid inde utilitatis , & fructus in nos dimanet , videamus. 2. Hæc , quam retuli , Evangelica narratio parabola solum est Auditoribus ; sed utinam non esset vera hujus temporis historia. 3. Hanc historicam Evangelii narrationem bis etiam temporibus perversis Christianorum moribus video per sepe renovari. 4. Quod fecit Christus ; hoc postea repetiit Ignatius : sinite parvulos ad me venire &c. 5. Darent Superi immortales , ut in audiendis alienæ famæ obrectationibus omnes Apostolum Thomam imitemur : nisi videro non credam. 6. Nunc ad vos conversus quero è vobis Auditores ? an non bis etiam temporibus hujusmodi perversi Iscariotes reperiantur , qui dicere audeant : quid vultis mihi dare , & ego vobis eum tradam ?*

II.

II. A descensu exordii ad propositionem, vel partitionem. 1. *En pulcherrimum, & nobilissimum ad vos dicendi argumentum.* 2. *Hoc igitur esto Concionis thema: Ignatius sua se exiit gloria, ut in omnibus unam Dei quæreret gloriam.* 3. *Atque istud est præsens, salutare enim-vero dictionis argumentum, dicam, atque ita rem omnem conficiam.* 4. *Fateor diu anxius hærebam, quod argumenti genus ad vos dicendum susciperem; at Evangelici thematis explanatio me quasi manu arreptum eo ducit, ut &c.* 5. *Adeste jam Auditores, percipite hodiernæ dictionis, & ordinem, & argumentum.* 6. *Multa mihi hodie dicenda forent, verum rem omnem ad tria contraham capita: primum &c. postea &c. demum &c.* 7. *Ac ut ne vos diutius morer, ita sermonem instituiam, ut univèrsa in duas partes feratur Oratio: primum docebo: quantum gula noceat corpori; postea quantum animæ, demonstrabo.*

III. Ad primam Confirmationis partem, quam quidem elegantius sine omni transitionis formula per aliquam ex quadruplici periodorum genere unam aggredietur Orator; nihilominus observavi à præstantioribus etiam Oratoribus in hac prima quoque Orationis parte transitiones usurpari, pro primo etiam subdivisionis membro valituras. 1. *Ac ut primum intelligatis, quam invisâ sit Deo superbia, advertite: nihil Deo detestabilius evenire posse, quam &c.* 2. *Dixi semel, iterum repeto: invisâ est Deo superbia.* 3. *Ita existimo: nihil Deo invisum magis esse posse, quam &c.* 4.

PARS III.
CAPUT. II.
ARTIC. V.
§ III.

ut omisso principio rem ipsam aggrediar, sic existimo. 5. Atque ut facilius intelligere possitis, quod dicturus sim, illud initio præmittendum iudicavi. 6. Verum antequam primam propositi partem aggrediar, advertite ad illud animum Auditores, cui velut fundamento mea innititur Oratio. &c. 7. Et primo quidem ponite vobis ob oculos, quam multos hac etiam in vita ad altissimos gradus provexit Christiana submissio. 8. Et vero, si fateri, quod res est, volumus: nihil est humilitate Christiana homine dignius &c.

IV. Ab una divisionis, aut subdivisionis parte ad aliam. 1. Satis multa de Christianæ humilitatis necessitate; nunc de utilitate dicendum videtur. 2. Hactenus de Christianæ humilitatis necessitate; dicam deinceps, quod proposui, de illius utilitate. 3. Demonstrata humilitatis necessitate, jam utilitatem pertexamus. 4. Nunc alteram Orationis partem, humilitatis nempe utilitatem, aggredior. 5. Hæc mihi fere in mentem veniebant, quæ de humilitatis necessitate dicerem; superest, ut illius utilitatem exponam. 6. Sed quid ego humilitatis necessitatem, velut res obscura foret, & dubia, tantopere exaggero: progrediamur ulterius ad contemplandam humilitatis utilitatem. 7. Agite jam Auditores, & qui humilitatis necessitatem audistis; utilitatem cognoscatis. 8. Nescio Auditores an humilitatem necessariam magis, quam utilem dicere debeam? Est magna illius necessitas, at credite, si non tanta, par certe, vel saltem haud multo inferior erit utilitas.

V. Ab una argumenti parte v. g. majore,

jore, ad aliam v. g. minorem. I. *Agite jam Auditores, &c.* 2. *Hæc si ita, quis jam inficiari audeat &c.* 3. *Quid putatis? quid existimatis &c.* 4. *Creditis hæc? Si creditis? ecurr igitur? &c.* 5. *Parcite Auditores, quod mei sensa animi tam libere, aperteque promam &c.* 6. *Novi perbelle doctrinam hanc complurium vestrum auribus arduam insolentemque accidere &c.* 7. *Quid ad hæc Auditores? dubitatis forsân adhuc de rei veritate. &c.* 8. *Utinam rei hujus veritatem intelligerent homines, aliud profecto sentirent &c.* 9. *Non opus est causas altius repetere, reflectite vos in vosmetipsos, & continuo intelligetis.* 10. *O felices illos, qui forti animo calamitates suscipiunt; at Omiseros, qui iisdem succumbunt.* 11. *Libeat ad confirmandam rei hujus veritatem, cæteris omissis, unum Tiburtium, fortissimum Christi militem, attulisse.* 12. *Quod ne speciosius, quam verius à me dictum putetis, placeat in rei hujus testimonium ipsum gentium Apostolum attulisse.* 13. *Quod si necdum dictis fidem habetis, audite Christum ipsum suo suffragio nostram in sententiam abeuntem.* 14. *Si gentium Doctör Paulus revivisceret, sua id profecto sententia confirmaret &c.* 15. *Si hæc falsa sunt, erravit Christus, errarunt Apostoli &c.* 16. *Te nunc appello Gentium Apostolum, an non idem approbasti? &c.*

VI. Ad complexionem, & epilogum.

I. Per particulas vulgares: *quare, quapropter, quamobrem.* Item: *En videte quam verissimum dixerim. Longius fortasse, quam par erat, procurrat Oratio, quare abrumpo sermonem. Quæ cum*

PARS III. *ita sint, ad extremum vos oro, obtestorque Audito-*
 CAPUT III. *res. Hæc si ita sunt, quid restat agendum. Ite jam*
 ARTIC. V. *scelesti mortales vestris indulgete cupiditatibus &c.*
 § III.

CAPUT III.

DE COPIA IN ELOCUTIONE.

INter cæteras elocutionis virtutes numeratur etiam copia. Alia est Grammatica, alia Oratoria. Illam sua cujuslibet linguæ ornata Syntaxis docet; istam Rhetores communiori nomine amplificationem appellant. Est hæc gravissima Eloquentiæ pars per omnes Orationis partes, velut sanguis per venas, diffusa. Contulto huc eam retuli: cum elocutionem reliquis præmittendam existimem, ut Tirones prius in ea exerceri queant, quam ad inventionem, ac dispositionem progrediantur. Dicitur à Cicerone *gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem*, sive, ut hanc gravioris affirmationis subobscuram definitionem Dominicus explicat (c) *De Colonia: est vehementius quoddam copiosiusque dicendi genus, quo rei vel dignitatem, & amplitudinem, vel indignitatem, & atrocitatem pondere verborum, & enumeratione circumstantiarum, ita demonstramus, ut non animos, auresque prætervolet, ut ferme fit, cum res leviter, ac strictim attinguntur; sed ut feriat animos, permoveat affectus, & audientium memoriæ penitus insideat. Ita si Christum simpliciter diceres flagellatum, nunquam Auditor*

(c) *In Element. Rhet. c. 4.*

rem sic commoveres ad misericordiam, vel indignationem in Judæos, quam si adjectis circumstantiis sententiam hoc modo amplificares: *Christus æterni Patris filius, hominum causa homo factus, acerrimis flagris, toto corpore, à planta pedis ad usque verticem capitis fuerat dilaniatus.* Unde amplificare (ut belle advertit (d) Juventius) non est rem inani exaggeratione supra modum augere, sed ea, quæ rei insunt, aut cum ea affinitatem habent, dicendo exprimere, explicare propolæ instar, qui merces variis in scriniis reconditas, convolutas, & complicatas evolvit, ac unquamque suo loco in officina proponit. Duplex autem genus est amplificationis, (ut inquit Cicero) *verborum, & rerum.* De utraque præsentis capite agam.

PARS III.
CAPUT III.
ARTIC. I.
§ I.

ARTICULUS I.

DE AMPLIFICATIONE VERBORUM.

§ I.

De amplificatione Verborum per additionem.

Varii, & multi sunt modi amplificationis verborum, quos perspicuitatis gratia ad tria contraho capita: *Additionem, Mutationem, & Extensionem*, vel, ut alii dicunt *multiplicationem, dilatationem.* Per additionem fit, cum retento (ut ajunt) prædicato, & subjecto simplicis sententiæ, alia adjiciuntur; quod variis fieri modis potest.

I. Adjectione illustriū epithetorum

U u 5

ad

(d) In *Candid. Rhet.* p. 4. c. 1.

PARS III.
CAPUT. II.
ARTIC. I.
§ I.

ad substantiva, & substantivorum ad alia substantiva, vel adjectiva. Sit hæc simplex sententia: *S. Augustinus fuit quondam Antistes sanctitate, & doctrina conspicuus.* Amplificatio: *S. Augustinus, ævi sui quondam in Affrica Antistes celeberrimus, incredibili vitæ sanctitate, & eximia, singularique doctrinæ fama toti Orbi est conspicuus.*

II. *Adjectione adverbiorum ad verba, substantiva, adjectiva.* Sit exemplum: *S. Catharina Virgo licet fuerit tenera; omnia tamen, quibus cruciabatur, tormenta superavit,* Amplificatio: *S. Catharina tametsi Virgo fuerit ætate perquam tenera, omnia tamen, quibus acerrime & sævissimis carnificibus cruciabatur, tormenta, fortissime, constantissimeque toleravit.*

III. *Adjectione synonymorum, vel substantivorum (ut inquit) continuatorum, aut definitionum ad simplicis sententiæ prædicatum, subjectum, vel utriusque affectiones.* Sit exemplum: *Deus Adamum expulit per Angelum è paradiso ob peccatum.* Amplificatio: *Deus, summus ille mali vindex, Adamum, primum humani generis caput, & parentem, è paradiso, voluptatis horto, expulit per Angelum, Divinæ justitiæ nuntium, & satellitem, ob peccatum, pomi morsu factam divinæ legis transgressionem.* Item: *Deus omnes amat creaturas, præ ceteris tamen homines innocentes.* Amplificatio. *Tametsi Deus, summum illud Cæli, terræque numen, omnes omnino creaturas, pulcherrima infinitæ suæ omnipotentis opera, amet, &*
pro-

prosequatur, præ cæteris tamen teneriori amore fertur in homines innocentes, vitæ, morumque integritate conspicuos.

IV. *Adjectione incisorum, vel membrorum ad partes periodi, sit simplex periodus: Quanquam insana Maximini crudelitas omnem eo moverat lapidem, ut Catharinæ mentem suam, ad arbitrium inflecteret; ea tamen invictæ Martyris fuerat constantia: ut à proposito nullo eam modo potuerit dinovere. Amplificatio: Quanquam insana Maximini crudelitas omnem eo moverat lapidem, ut teneram Catharinæ mentem qua tormentis, qua blanditiis suam ad arbitrium inflecteret; ea tamen invictæ Martyris fuerat constantia, ea fortitudo, ut eam nec immanitate suppliciorum, nec blanditiarum insidiis à proposito firmitate potuerit dinovere.*

§. II.

De amplificatione Verborum per mutationem.

FIt etiam amplificatio Verborum per mutationem, cum verba simplicis sententiæ in alia illustriora, vel significantiora, consonantiora, graviora, aut translata, vel superlata commutantur. Sint exempla.

I. *Illustrium Verborum, & phrasium.* Sit hæc sententia: *peccatores mortem magnopere timent.* Amplificabis: *Habent hoc sceleribus dediti mortales, ut vel ad ipsam, tristem profecto, mortis memoriam ingenti metu exhorrescant.*

II. *Significantiorum.* Sic majorem habet significationem ira incensus; quam iratus: truculentus; quam sævus: trucidavit; quam occi-

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. V.
§ II.

occidit. Sit exemplum: *Herodes Rex iratus occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehẽm. Amplificabis: Herodes crudelissimus ille Judææ non Rex, sed tyrannus; cum se à magis delusum cerne- ret, rabie incensus, omnes omnino Bethlemi pueros sævissime trucidavit.*

III. *Consonantiorum.* Hujusmodi sunt pluralia pro singularibus, superlativa pro absolutis, composita pro simplicibus, longiora pro brevioribus usurpata. Sit simplex sententia: *Est ea peccatoris misera, ac tristis conditio, ut mortem ultimum illud vitæ punctum magnopere horreat. Amplificabis: Est ea hominum peccatorum miserrima, ac tristissima conditio, ut inortem extremum illud temporis momentum immane quantum perhorrescant.*

IV. *Graviorum.* Cujusmodi sunt, quæ majorem bonitatis, aut vitiositatis: utilitatis, vel detrimenti: ignominia, vel laudis: agendi, vel patendi, aut nocendi, medendi vim præferunt. Sic gravior est charitas, & pietas, quam amor, & benevolentia: latro, quam fur: vulnerare, quam percutere: curare quam mederi. Sit exemplum simplicis sententiæ: *A natura insitum est, ut in filios affectu, in parentes benevolentia, in patriam amore feramur, quo si careat quis, non dicam esse hominem. Amplificabis: A natura congenitum habemus, ut singulari in filios amore, in parentes pietate in patriam charitate non feramur tantum; sed quodammodo rapiamur; quo si careat quis, næ ego illum quoddam hominis monstrum esse dicam.*

V.

V. *Translatione.* Qualia sunt verba metaphorica, allegorica &c. Sit exemplum *Erras peccator, si de tuis flagitiis veram in morte pœnitentiam te agere velle arbitraris. Pœnitentia sera raro vera.* Amplificabis: *Erras mi peccator, & quidem gravissime erras, si tuorum maculas flagitiorum veris pœnitentiæ lachrymis te in articulo mortis eluere velle arbitraris. Crede sis: morbo invalescente frustra plerumque medicinam apparari. Pœnitentia sera raro vera.*

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. I.
§ III.

VI. *Superlatorum*, quæ veritatem excedunt, & plus dicunt, quam re ipsa esse possit. Tale est illud Ciceronis: *Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas.* Huc etiam referuntur, quæ hyperbolen sapiunt.

§ III.

De amplificacione verborum per dilatationem sententiæ.

Amplificatio per Dilatationem, quam alii extensionem, ac sententiæ multiplicationem vocant, fit cum mutatis verbis, sensu tamen retento, sententia redditur diffusior, & explicatior. Multis hæc modis fieri solet.

I. *Per periphrasim*, sive circumlocutionem, cum id, quod paucioribus verbis dici posset, pluribus exponitur. Hujusmodi est illud Sap. 18. v. 14. *Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram profiliivit, id est: media nocte sermo factus*

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. I.
§ III.

Etus est de Cælo. Item 2. ad Cor. 5. §. I. Sci-
mus, quoniam si terrestris domus nostra hujus ha-
bitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo
habemus, domum non manu factam æternam in cæ-
lis, id est: Si moriemur in Cælo habitabi-
mus.

II. Per sensus synonymos non re, mo-
do tamen significandi diversos, quod fit in-
ductione plurium similibus, aut metaphora-
rum, vel allegoriarum &c. fit hæc sententia:
quamdiu in hac vita degimus, miseri sumus: quam
per sensus synonymos à navigatione, agricul-
tura, via, militia sumptos ita extendes, &
amplificabis: O miseram hominum sortem! quam-
diu in hac vita degimus, quantis Deum benum,
cum calamitatibus confluctamur: jactamur in hoc
rerum humanarum pelago, & cum ventis, aut flu-
ctibus perpetuo colluctamur: infelices coloni terram
arentem colimus, & sæpe præter uberem doloris
messiem nihil quicquam reportamus: dura est pro-
fecto, quam calcamus via, variis objecta insidiis
in multiplices errorum flexus implicata: premunt
hostiles ærummarum exercitus: pugnandum est
semper, semper pro statione sollicitis excubandum &c.

III. Per definitiones: cum singula senten-
tiæ verba definiuntur: quod duplici modo
institui potest: 1. Per affirmationem, sive ge-
nus, & formam: cujus exemplum jam ante
dedimus. 2. Per negationem eorum, quod
res non est; postea per affirmationem eorum,
quod res est. Sit exemplum: *Templis Deo sa-
cratis debetur reverentia.* 1. *Templis*, id est: non
foro

foro nundinantium, non speluncæ latronum, non tabernæ veneris; sed domui Dei, domui Orationis, loco Divini Sacrificii. 2. *DEO*, non *Isidis*, aut *Isiridis*; sed supremi Cæli, terræque Domini cultui, honori deputatis. 3. *Debetur*: non divino consilio, sed lege unumquemque graviter obstringente tenemur. 3. *Reverentia*: ad præstandam non externam modo corporis, sed etiam internam mentis reverentiam. *Christiani! cum Dei templa ingredimini, nolite putare vos subire tabernas Veneris, speluncas latronum, fora nundinantium; sed ingredimini Dei Domos, ædes Orationis, loca Divini Sacrificii, ac præsentiae, quæ non Isidi, aut Isidiri; sed ipsius Cæli, terræque dominatoris cultui, & honori speciali religione sunt consecrata: ubi unusquisque vestrum non consilio, sed Divina lege obstringitur ad præstandam non solum externam corporis, sed etiam ad internam mentis, animique reverentiam. En quantum diffunditur vel una sententia.*

IV. *Per distributionem, cum singula sententiæ verba totum aliquod continentia in suas partes physicas, aut metaphysicas, morales, aut específicas distribuuntur. Sit hæc sententia: Licet misera sit hominum vita; omnes tamen ei magnopere afficiuntur. Amplificatio: Admiror vehementer, quod homines non modo rudes, sed etiam sapientes, qui cætero æquioribus rem momenti solent ponderare, tanto mentis affectu, cordis gaudio, animi desiderio huic miseræ nostræ vitæ afficiantur; quæ tamen innumeris calamitatibus*
est

PARS III.
CAPUT II.
ARTIC. 1.
§ III.

est referta. Date, si potestis, quemcumque hominem, non pauperem modo, sed etiam divitem; non ignobilem tantum; verum etiam nobilem; quin ipsos Principes Viros, opibus, honoribus, deliciis affluentes, an non ab ipso statim infantiae oxordio per omne reliquum vitæ tempus, pueritiam, adolescentiam, juventutem, vivilem ætatem, ipsam denique senectutem quam plurimas adversitates, & misérias: in corpore morbos, in animo angores, in honore ignominias, inter ipsas opes penuriam crebrius perpetiantur. Sit alia Sententia: impii cruciabuntur apud inferos. Amplificatio per distributionem prædicati, & subjecti. I. Subjecti: Impii, qui vitam, moresque suos probrosis contaminaverunt flagitiis, qui infami libidinis cæno volutati, omnes corpori illecebras indulserunt, qui per summum scelus alienas opes aggressi, suas auxere divitias &c. Amplificatio prædicati Quid, oro, expectare poterunt? quam cum ex hac vita emigraverint, acerbissimis apud inferos pœnis torqueantur. Torqueantur, inquam, superbi æterna ignominia, ac tenebrarum caligine: torqueantur impudici igne perpetuum devorante: torqueantur divites, & avari extrema egestate &c.

V. *Per adjuncta antecedentia, comitantia, & consequentia. Sit sententia: S. Catharina intrepide, ac gloriose mortem subiit pro Christo. Amplificatio per circumstantias mortem antecedentes: Educitur ad destinatam crudeli supplicio arenam Catharina Virgo innocentissima: cingunt latera circumfusi satellites, vultus ferocitate animi atrocitatem superantes: vindictis post*
ter-

terga manibus trahitur, atque ad supremam pugnae stationem adducitur: ubi jam rota feralis, secures, enses certam in necem expeditæ innoxiam operiebantur. Amplificatio per circumstantias mortem comitantes: Quid ad hæc Catharina? an visis crudelitatis apparatus instrumentis, terrore correpta in sua ceperit nutare constantia? Absit! Quid igitur? Stat secura sui sine metu: quoniam pro Christo pridem didicerat mori: cervicem intrepida securi subjicit, majorique constantia ferientis ictum excipit, quam satelles armatus infligit. Amplificatio per circumstantias mortem consequentes. O insignem Catharinæ fortitudinem! Digna profecto, quam Christus sponsus Divinissimus, curru triumphali venienti obviam progressus, gratulabundus excipiat, atque Martyris laurea coronatam cælestem in thalamum deducat. Similiter amplificatio fieri potest per adjuncta actionum: quis, quid, ubi &c. cujus exemplum habetur (e) in loco adjunctorum; duorum tamen admonitos esse volo Tirones. 1. Adjunctorum ordo in versiculo expressus, non ita religiose servandus est, ut nequeat permutari. Verbi causa: amplificaturus hanc sententiam: Judas Christum prodidit: non à particula quis, sed ab ubi, aut quando, vel cur inchoare potes, reliquis etiam inter se permixtis. 2. Singulæ particulae elegantibus figuris, ac transitionibus sunt vestiendæ; quin aliis quoque intermixtis amplificationum generibus poterunt e-

PARS III.
CAPUT III.
ARTIC. I.
§ III.

xornari. Exemplum reperies apud Lauxmin
(f) de S. Catharina.

VI. *Per figuras illustriores.* Cujusmodi sunt: interrogatio, repetitio, apostrophe, exclamatio, hypothiposis, profopopæa, deprecatio, comminatio, adhortatio, suspensio, subjectio &c. quarum naturam jam ante explicuimus, & exempla non uno loco nostris in exercitationibus dedimus; unum tamen Tironum gratia adjicimus. Sit hæc sententia; Judas nefarie Christum prodidit, quam per figuras interrogationis, apostrophes, exclamationis, deprecationis, comminationis ita amplificabis.

E X E M P L U M.

Grandia, & innumera hætenus peccata ab hominibus in orbe sunt perpetrata; at nefandum Judæ crimen si non superare, cuncta certe exæquare videtur. (Interrogatio.) Quid enim execrabilius esse potest, quam Christum, Deum, Servatorem, & magistrum, tam benignum, tam benevolum juratis suis hostibus nefarie prodere? &c. (Apostrophe.) Juda! quid agis? quid moliris? ergo filium hominis osculo tradis? & illum quidem hominis filium, qui tuos tibi pedes non visa clementia paulo ante lavit, suo te pretioso corpore, & sanguine pavit, hunc osculo tradis? O scelus inauditum! O crimen horrendum! Christum Dei filium, Cæli, ac terræ conditorem, nefandæ carnificum cohorti tradere trucidandum, quis istud ferat? quis audiat? (Deprecatio) Ab Juda! per salutem,

(f) *In Praxi Orat. c. 3. quest. 3.*

Et quidquid tibi charum esse potest, te oro, & obtestor, desiste obsecro à male ceptis, revoca scelerata consilia; nisi enim revocaveris (Comminatio) vae homini illi per quem filius hominis tradetur. profecto melius esset, si homo ille ne natus quidem fuisset; erit enim tempus, cum severissimam tanti sceleris poenam justissimus exiget criminum vindex Deus. At frustra: abiit, & nefarius latro Christum prodidit. Similiter institui possunt amplificationes per alias figuras, quarum exempla brevitatis gratia præterimus.

ARTICULUS II.

DE AMPLIFICATIONE RERUM.

§. I.

De amplificatione rerum per modos communes.

Inter communes amplificationum modos refero chriam, locum Rheroricum, divisionem, ac subdivisionem, incrementum, congeriem. Juvat singulos explicare.

I. *Modus per Chriam*, non equidem legitimam, & perfectam, quæ partes omnes suo ordine prosequatur, sed imperfectam, quæ prætermittis aliquibus, v. g. encomio, aut paraphrasi, rem à causa auspicietur. Unde si quam in oratione sententiam, vel thema amplificandum habes: 1. Adfer paraphrasim, aut ea præterita, excogita causam, dein contrarium, postea simile, exemplum, denique testimonium, & confestim amplissime amplificatum habebis. Non opus est exemplis illustrare, jam ante dedimus. (g)

X x 2

II.

g) Pag. 325. & 434. 437.

PARS II.
CAPUT III.
ARTIC. II.
§ I.

PARS II.

CAPUT III.

ARTIC. II.

§ 1.

II. *Modus est per locum Rhetoricum: Sit aliqua sententia oratorie amplificanda, verbi causa: in quovis statu possunt homines esse Sancti; primum excogita argumentum ex aliquo Rhetorum loco, v. g. à comparatione: quia multi hominum è quovis statu sunt in Cælo, qui fuere Sancti. Vide, quibus locus iste modis, & figuris soleat ornari; reperies per fictionem, conversionem, complexionem, antitheta, congeriem tractari posse: similiter tu assumptam sententiam exorna, & confestim erit amplificata. Exemplum habetur in loco comparationis. (b)*

III. *Modus est per divisionem, ac subdivisionem, qui pulcherrimus, & uberrimus est, hodiernisque Oratoribus, maxime Gallis, perquam familiaris. Hæc autem divisio, ac subdivisio varie institui potest. I. Si sententia genus aliquod contineat, divides illud in species, v. g. Apostoli variis à Deo gratis sunt præditi: Gratia est genus, species sunt: gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum. Similiter: si sententia communem virtutis commendationem, aut vitii detestationem complectatur; tu utramlibet in suas species partieris. 2. Si sermo sit de una quadam specie virtutis, aut vitii, tunc species in sua individua, virtus autem, ac vitium in suos actus dividendum erit. Humilitati studeas oportet, id est: abjecte*

jecte de te sentias, nemini ulli te præferas, cum modestia, ac submissione unumquemque alloquaris, contemptus æquo animo feras &c. 3. Totum integrale dividatur in suas partes integrantes. V. g. *Apostoli profecti sunt in mundum universum: Petrus Romam, Andreas in Scythiam, Thomas in Indiam, Jacobus in Hispaniam &c.* 4. Si vox *Deus* occurrat: enumera illius personas, aut perfectiones, & attributa. 5. Si doctrina de re corpori conveniente obveniat, ut de mortificatione, aut modestia, opportune partes corporis, quibus mortificatio, ac modestia exerceri solet, enumerabis. 6. Siquid de universitate, aut communitate quadam dicendum foret, tum status, ætates, personas ad eam pertinentes recensabis. 7. Si contigat sermonem fieri de observatione præceptorum, aut de Sacramentis, vel remediis salutis, aut de causis, effectis rei alicujus, vel modis exercendæ virtutis, ac vitii defugiendi: tum præcepta, Sacramenta, causas, effecta, modos percensabis. Verbi causa: famæ obtrectationem pro concione insectandam haberes; referes artes, & modos, quibus alii alios infamia afficere solent; cavendum tamen, ne modi, maxime vitiorum, nimium sint particulares, ut dum dedocere volumus, re ipsa vitia perpetrare doceamus. Sæpe fit, ut membra divisa rursus in suas partes subdividantur. Exempla dedimus in subdivisione.

IV. *Modus est per incrementum, dum per*

X x 3

quos-

PARS III.
CAPUT. II.
ARTIC. II.
§. 1.

PARS III.
CAPUT III.
ARTIC. II.
§. I.

quosdam veluti gradus paulatim increfcit O-
ratio. Dupliciter fit : 1. Aperte, cum gra-
dus diftinguuntur, ut in ea Senecæ ad Luci-
lium fententia : *Magna vitæ pars elabitur male
agentibus : maxima nihil agentibus : tota aliud a-
gentibus.* Item de S. Catharina : *magnum fuit
eam opes contempfiffe : majus parentum amorem e-
xuiſſe : maximum pro Chrifto vitam ultro morti
objeciſſe.* 2. Occulte, cum citra graduum di-
finitionem femper priore majus aliquid
fubfequitur. Ut in ea Davidis Pſal. 47. v. 6.
*admirati funt, conturbati funt, commoti funt, tre-
mor apprehendit eos.* Item de S. Catharina : *Pa-
rum erat Catharinæ Divini Sponſi amore ad ſer-
vandam integritatem mundi illecebras contemnere :
ad probandam conſtantiam promiſſa Tyranni re-
ſpuere : ſqualores carceris perpeti : ſiti, ac fame
diſcruciari : cataſtis, & equuleis torqueri : niſi eti-
am vitam, & ſanguinem inter acerbos tormento-
rum cruciatus generoſe poſuiſſet.* Multo autem
elegantius eſt, ac inter præcipua Rhetori-
cæ ornamenta connumerandum, ſi hoc per
incrementum amplificandi genus haud ita
partes, quam ipſum orationis corpus, &
ſtructuram pervadat : quod perfamiliale eſt
Gallis maxime Oratoribus, de quo jam an-
te (i) locuti ſumus : atque dum hæc typis
mando, perelegantem dici audio laudatio-
nem Admodum Reverendo Patri Laurentio
Riccio Societatis noſtræ Generali Præpoſi-
to recens delecto, qua Orator probat *miram*

DEI

*DEI providentiam eluxisse in eo in Præpositum deligendo : multo mirabiliorem extitisse ejus submissi-
onem in acceptando : maxime admirabilem esse ejus
rationem in gubernando.*

V. *Modus est per comparationem : cum diversa inter se non eo solum, ut res probe-
tur ; sed maxime, ut exaggeretur, ac major fiat, conferuntur. Verbi causa : si obedientiam, & Sacrificum Christi conferres cum obedientia, & sacrificio Abrahami, ut ex utriusque collatione majorem Christi fuisse, quam Abrahami sacrificii, & obedientiæ præstantiam demonstrares. Porro in his comparationibus (ut admonet Quinctilianus) utriusque partis circumstantiæ, rem augere valentes, diligenter sunt excutiendæ : nec vir solum cum viro, aut res cum re ; sed partes etiam singulæ cum aliis partibus sunt componendæ. Talis est illa comparatio Chrysoptomi Paulum cum Moyse conferentis superius (k) relata. Ejusmodi foret, si magnitudinem misericordiæ Divinæ in sustinendis Christianorum peccatis exaggerares per comparationem peccati Angelorum à DEO severissime puniti.*

EXEMPLUM.

Advertite Peccatores grandem in vos Dei Maximi benignitatem ! Si enim DEUS, summus ille misericordiæ Pater, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, Angelis peccantibus non pepercit ; sed

PARS. III.

CAPUT. III.

ARTIC. II.

§ I.

rudentibus detractos, eo, quo crimen admisere, momento, in tartara de Cælo percipites egit: an non summa sit Dei Optimi Maximi bonitas, qua vos tam benigne sustinet, quantumvis infinitam ejus misericordiam gravissimis in dies sceleribus laceſſere audeatis? Angeli præcellentissimi fuere Spiritus, prima, eaque nobilissima Divinæ omnipotentis opera, pulcherrimis naturæ, & Gratiæ donis exornata: vos contra peccatores quid estis? quam vilissimam terræ portio; si animus spectetur vas plenum ignorantia, & malevolentia; attento autem corpore, plenum putredine, ac fœtore. Angeli semel tantum Dei legem sunt transgressi, idque una solummodo cogitatione, priusquam apertum viderent infernum, immo prius, quam nosse poterant, quid infernus esset: vos contra Divina transgredimini mandata, innumeris sceleribus non mente solum, sed verbis, nec verbis tantum, sed fœdissimis operibus, eo quidem tempore perpetratis, quo fides accensum, & peccatoribus refertum exhibet inferni ignem, ut eorum exemplo sapere disceratis. Angelis nullam temporis moram ad agendam de commissō peccato pœnitentiam indulſit Deus: vos porro quot Gratiæ stimulis in dies non excitat tantum; sed urget assiduo, ut peccata detestati ad frugem meliorem rediretis. Nam si Deus vasis aureis non pepercit, sed ea confregit; an ligneis, & fictilibus parcendum existimatis? Si superbientibus Angelis Deus non pepercit; quanto magis tibi putredo, & vermis inquit Bernardus. Et tamen hæc est Dei Optimi Maximi benignitas, ut vos ipsa inter scelera benevolus patiatur. O immensam

sam Dei bonitatem! O inauditam clementiam! Quousque ergo peccatores Deum tam propitium, tam misericordem criminibus vestris irritare pergetis? Non vos movet hæc ipsa Dei patientia, ut tandem sceleribus vestris finem imponatis? Desistite ergo, desistite peccatores, nam si desistere neglexeritis, erit tempus, serius licet, quo Divina clementia in furorem versa, parem de vobis, ac olim de Angelis, exigat ultio-

VI. *Modus per Congeriem, five frequentationem, quæ multiplex esse potest: definitionum, partium, causarum, effectuum, similium, dissimilium, contrariorum, adjunctorum, comparationum, exemplorum: Longum foret progredi per exempla singulorum; adducam aliqua.*

EXEMPLUM. I.

Congeries definitionum. Quidquid virtutis, & excellentiæ, in rebus creatis, etiam pulcherrimis dispersum est, id omne in Virgine Sanctissima, veluti creaturarum primogenita, ita collectum reperitur, ut ipsas communes perfectiones non communi, sed singulari quadam ratione possidere videatur. En quam caute, & apposite loquatur Ecclesiasticus, cum eam per arborum symbola superius allata adumbraret. Vocavit illam Cedrum; sed adjunxit de Libano. Vocavit Cypressum; sed addidit in Sion. Vocavit palmam; sed adjecit in Cades. Vocavit Olivam; at speciosam, & pulcherrimam, quæ in campis floret. Dixit Platanum; sed ex altissimis unam, quæ ad aquarum crepidines, & fluminum littora excrescunt. Similiter appellavit

PARS III. Myrrham, Cinanonum, & balsamum; sed myr.
 CAPUT. III. rham electam, Cinamomum odoriferum, balsamum
 ARTIC. II. non per nixtum, ut eam inter ea, quæ selecta sunt,
 § I. selectissimam esse demonstraret.

EXEMPLUM II.

Congeries partium, & exemplorum.

Si mihi per temporis angustias liceret, quam ego perlibenter omnium ætatum exemplis commonstrare cuperem: impios plerumque morte non solum accelerata, sed etiam penitus improvisa è vita deturbari. Verum ut intra Divinarum scripturarum septa consistamus, DEUM bonum! quot impios illic tristissimo casu periisse comperietis. Hunc aquarum vorticibus haustum, illum flammis in cineres redactum, alios à bestiis discerptos, hos terra absorptos, illos ruinis oppressos deprehenditis. Nunquid morte subita raptus interiit superbus Pharaon, numerosissimo cum exercitu mari Erythræo tumultatus? Nunquid morte improvisa sublatis sunt belluones ollas carniū & Ægypti cacabos anhelantes? Pari etiam fato cessere temerarii illi calumniatores fictis criminationibus terram populo Israelitico promissam proscindentes &c. ut vere cum Salomone dici queat: Viro, qui corripientē dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.

Congeries causarum. Neque desunt rationes ex ipso naturæ lumine rei hujus veritatem comprobantes. Impii enim sæpe numero intemperantia, & ingluvie sibi vitam præpropere succidunt: sæpe corpus effrænata libidine debilitant, ac vires enervant. Sunt, qui indomita oris libertate, & maledicentia inimicos consciscunt, lusu rixas susci-

scitant, rivalium odia concitant. Multi nimia fallacium promissorum facilitate, vel latentis invidiæ stimulis, aut animam tacite rodentibus ambitionis internæ curis, vel alio demum vitiorum genere ita se conficiunt, ut morte intempestiva subito extinguantur.

Congeries similium. *Hæc sita? Quis tam demens, ac vesanus erit, ut periculosam adeo impiorum viam posthac tutus sequi volet? Vos ipsos appello! an non in componendis domus, & familiæ vestræ negotiis magna cura, & sollicitudine proceditis? Si morbus lecto vos repente affigat, nunquid confestim medicos advocatis? Si cum hoste confligendum testamenti tabulas solcite conscribitis? Si mutuuum amico dandum, nonne Tobiam imitamini, à Gabelo tametsi fideli, & integro, cbiographi cautionem deposcentes? Si semina terræ credenda sunt, diem aptissimam deligitis, si lis coram iudice contestanda expertissimum causæ advocatum inquiritis, si mercaturæ vacandum, & probatissimos commercii socios indagatis. Quid? in negotio salutis adeone desides eritis, & ignavi, ut eam, summi licet rem penderis, & momenti, incerto, ac periculi pleno eventui committere audeatis? Si uspiam, hic profecto ingens vesanæ temeritatis vestræ proditiis argumentum.*

§ II.

De amplificatione rerum per modos speciales.

PER modos amplificandi speciales intelligo quosdam particulares, & Orationi Sacræ veluti proprios. Sunt autem sequentes.

I.

PARS III.
CAPUT III.
ARTIC. II.
§ II.

PARS III.
CAPUT III.
ARTIC. II.
§ II.

I. *Modus per paraphrasim*, sive expositionem sententiæ sacræ, duplici modo instituendam. 1. Cum sententiæ Sacræ singula, vel saltem præcipua verba, aut sententiæ sensus per aliquem locum Rhetoricum, ut definitionem, notationem, enumerationem partium, causas, effecta, vel etiam per adjuncta actionum *quis, quid, ubi, &c.* aut ex sensu antecedentium, & consequentium textuum explicantur. 2. Cum sententia sacra autoritate cujusdam Sancti Ecclesiæ Patris, vel Scripturæ interpretis declaratur. Posterioris paradigma habetur (l) superius. Sit exemplum primi mutatis paulum verbis ex Segneri (m) ubi illud Jobi 31. v. 1. *Pepegi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine: quam enim partem haberet in me DEUS desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis,* eleganti paraphrasi sic amplificat.

EXEMPLUM.

Atque hæc assidua, & inveterata scelerum consuetudo, qua lasciviæ dediti mortales, velut quibusdam funibus, & catenis arctissime constringuntur, ut nec cogitationes dent, (ut ait Oseas) quibus ad Deum revertantur, quoniam Spiritus fornicationis in medio eorum est, araneæ instar, quæ in medio telæ suæ residet, & fortiter omni è parte prædam tenet, causa fuit Jobo, cur fœdus inierit, ut nunquam oculos in faciem mulieris defigeret: Pepegi, inquit ille, fœdus cum oculis meis

l) Pag. 307. n. 3. m) In homine Christiano Discursu 24. n. 35.



meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Quasi diceret: *pepegi, sive fœdus arctissimum, nullo unquam tempore infringendum cum oculis meis percussi, ne eos in ullius unquam mulieris aspectum conjicerem: nam si oculis fræna indulgentius laxavero, facile inde oborientur cogitationes, à cogitationibus prolabar ad desideria, à desideriiis veniam ad opera, ex operibus frequentius iteratis consurget consuetudo adeo pertinax, ut Deus nullam in me porro sit partem habiturus: quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis? In cæteris peccatis pars adhuc aliqua remanet peccatoris; si anima contaminetur, non inficitur corpus: si mens corrumpatur; saltem sensus externi salvi, & immunes persistunt. Alia est libidinis ratio: hæc malignæ instar febris omnes simul humores ita corrumpit, ut nullam ejus partem à capite ad calcem, sive ab ipso rationis vertice ad inum usque sensum intactum relinquat. Unde in homine lascivo nulla Deo pars obtingit: quam enim partem haberet Deus? Non auditum, non visum, non linguam, non pedem, non manum, cum omnes in lasciviæ operibus, ceu in feris venatione capiendis, perpetuo occupentur. Non memoriam, utpote turpissimis semper cogitationibus distractam: non voluntatem, deliciis, veluti cæno, ac luto defixam: non intellectum, novis identidem modis, ut corpus oblectet, assiduo meditantem. Quam enim partem haberet in me Deus desuper? Nullam profecto habet in præsentia; at quod pejus est nec habiturus est in futuro: cum infelicibus his constitutum sit*

PARS III.
CAPUT III.
ARTIC. II.
§ II.

PARS III.

CAPUT. III.

ARTIC. II.

§ II.

fit nunquam scelerum suorum catenam rumpere: Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum, cur? quoniam in medio eorum est spiritus fornicationis. Atque istud est cur Jobus haud contentus dicere: quam enim partem haberet in in me Deus desuper? confestim adjecerit, & hæreditatem omnipotens de excelsis? Sciebat enim Vir Sanctissimus: quemadmodum Deus nullam lascivorum partem, dum vivunt possidet; ita cum mortui fuerint, nullius eorum partis hæres esse potest: vel si hæres est, est hæres; sed tanquam omnipotens de profundo cum justitia; non vero hæres est tanquam omnipotens de excelsis cum misericordia.

II. *Modus est per similitudinem Biblicam, five cum in Sacra Sententia aperte, vel occulte contenta similitudo eruitur, ac diffusius, per protasim, & apodosim, aut sine his, explicatur. Verbi causa: sit hæc Jobi sententia: incircuitu meo pueri mei, vox circuitu dat occasionem eruendæ, & amplificandæ similitudinis: parentes erga filios se puncti instar in circulo positi gerere debere, ut æquali in eos affectu ferantur, quemadmodum punctum æqualiter distat à circuli peripheria. Vel de morum levitate dicendum foret in hanc Ecclesiastici sententiam: non ventiles te in omnem ventum, vox ventiles oportunitatem præbet instituendæ cum vento comparationis. Hæc autem tripliciter fieri potest: I. Cum sententia sacra præmittitur, & latens in ea similitudo in protasi explicatur, cû po-*

postea apodosis subjungitur. 2. Cum similitudo propriis Oratoris verbis, tanquam sua, in protasi adducitur, dein in apodosi sacra sententia similitudinē complexa in confirmationem adfertur. Utriusque exemplum habetur (n) superius. Elegantior autem erit utraque, si occulte sine particulis similitudinem aperte significantibus fuerit proposita. 3. Cum sine apodosi comparatio utriusque rei similis instituitur. Sit exemplum ex oratione de votis religiosis à nobis dicta in illud: *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.*

EXEMPLUM.

Cum hominis Deo dicati conditionem tacitus mecum dispicio, magnam nuptias inter, & vota religiosa affinitatem intercedere comperio.

Comparatio similium. *Nuptiis vir mulieri, & mulier viro desponsatur; votis religiosus homo cum Deo, & Deus cum homine conjungitur. Nuptiis Sponsus cum Sponsa in communem, & individuum vitæ Societatem cooptantur; votis religiosus viri Deo sacrati in unam Deo sacratam familiam adsciscuntur. Nuptiæ fide potissimum, & amore perficiuntur, & perfectæ conservantur; nec vota aliter religiosa quam fidei, ac Divini amoris spiritu concipiuntur, & concepta custodiuntur.*

Similitudo cum protasi, & apodosi. *At quemadmodum in nuptiis persæpe contingit, ut principio, dum adhuc fœdera calent nuptialia, mutuo, eoque sincero se conjunges amore prosequantur; postea deficiente primo sensim calore, sui tædio,*
ac

PARS III.

CAPUT III.

ARTIC. II.

§ II.

ac fastidio correpti se invicem averfentur; ita religioſis etiam in ordinibus quam creberrime uſuvenit: donec primus tirocinii ardor fervet, tamdiu proſpere omnia feliciterque decurrunt; at quamprimum ſpiritus hic intepescere incipit, tum confestim religioſa etiam anima intepescit; dein increſcente tempore elanguescit; dum tandem viribus exauſta, & omni ſpiritu deſtituta penitus emoriatur.

Sententia ſimilitudini ſubjungitur. Bene igitur ſapienterque ſanctiſſimus, ac providentiſſimus familiæ noſtræ parens Ignatius conſtituit, ne primus Societatis noſtræ ſpiritus, & ardor in nobis unquam deſiceret, ut eum inſtituta quot ſemeſtribus votorum, ac ſpiritus inſtaurationis, velut ignem ſuffectis foco lignis, ſuſcitaremus. *En Viri Religioſi! Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.*

III. *Modus per exemplum Biblicum.* Cum ad ſenſum Sacræ Sententiæ illuſtrandum adfertur hiſtoria Biblica (vel ſi hæc non ſuppetat, etiam profana) materiæ accomodata. Sit exemplum ex Cæſare Calini in illud: *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

E X E M P L U M.

Parum refert Auditores vos olim in contubernio, aut in ſcholis celeres in curriculo pietatis progreſſus feciſſe, ſi poſtea remiſſo fervore, aut in via ſiſtatis, vel omnino de ſemita exerretis. Enimvero, qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Notate quid Chriſtus dicat: hic ſalvus erit, quaſi diceret: qui perſeveraverit, hic, & non alius ſalvus erit.

Exem.

Exemplum Biblicum. In templo Hierosolymitano studiose quondam asservatus erat Goliæ gladius; non item Davidis funda. At ego existimarem honorem hunc fundæ potius, quam gladio esse deferendum: gladius enim Goliæ servierat ad iniquitatem; funda vero Davidi ad justitiam: ille erat memoria viri audacis; ista probi, & Sancti adolescentis. Et tamen gladius religiose in templo reconditus erat; non autem funda. Cur ita? percipite: noveritis, haud dubito, Gigantem duobus ictibus à Davide fuisse interfectum: primum funda, quæ impacto mediam in frontem lapide humi Goliæ prostravit quidem; haud tamen interfecit. Quare generosus Adolescens gladium pone jacentem arripit, eoque caput Goliæ amputat, ac certamini finem facit.

Sic est Auditores, non reponitur in templum funda, quæ cepit, sed gladius, qui victoriam terminavit, ut quisquis eum conspicatus fuerit, discat: Paradisum non esse hominis pietatis victorias inchoantis, sed terminantis. Qui perseveraverit usque in finem, hic, & non alius, salvus erit.

IV. Modus est per descriptionem, sive hypotiposim facti alicujus Biblici cum protasi, & apodosi, quæ mire ornat Orationem, ac idcirco ab Italis maxime Oratoribus creberime solet usurpari. Fit autem hoc modo. I. Descriptio Biblica instituitur in protasi; ad hanc autem rite faciendam perpende: quid in assumpto exemplo præ cæteris describi mereatur. Ejusmodi sunt: I. Personæ, ac earum dignitas, dotes, mores, affectus, mu-

PARS III.
CAPUT III.
ARTIC. II.
§ II.

nia, opera &c. 2. Loca: ut horti, fluvii, montes, valles &c. 3. Ætas: ut juvenus, senectus, &c. 4. Tempus: ut dies, nox, aurora &c. 5. Acta insigniora: ut convivium Aſſveri, victoria Davidis &c. 6. Eventus: ut tempeſtates, pugnae &c. His perpenſis delige pro deſcriptione unam, vel etiam plures circumſtantias ad finem, propoſitum, & apodoſim tuam valituras: has per imaginationem vivaciter menti obtende, qui nempe in ſe ſint, vel eſſe poſſint, aut actæ ſint, vel ſaltem qui agi potuerint: ſic apud te effictas in chartam conjice. Sit exemplum: Jonæ hiftoriam amplificandam haberes, conſule Biblia: reperies potiſſimam in ea circumſtantiam eſſe maris tempeſtatem, hanc primum in protaſi per hypotipoſim deſcribes, poſtea apodoſim inſtitues per enumerationem partium, cum figura repetitionis, complexionis, vel converſionis, ſententiam ſacram, aut præcipuum ejus verbum initio, vel in fine, aut utrobique repetendo; quod eleganter uſurpatur non ſolum in apodoſi exempli, vel ſimilitudinis; ſed etiam in epilogo Orationis, vel in complexione argumenti (ut ante diximus) cum aliquid ornare, urgere, exaggerare, vel motum ciere volumus. Sit paradigma utriuſque(u).

E X E M P L U M.

*Non me latet communem hanc eſſe hominum
perverſitatem, ut qui nullam mali cauſam præbent,*

ii

u) Vide Segneri ſerm. 15. Quadr.

ii plerumque malis moveantur : qui contra rei sunt, minime cogitant, nec pensi habent, ut incumbentem suis cervicibus calamitatem removeant. Contingit nimirum iis, quod *Jonæ* fugitivo *Prophetae*.

PARS III.
CAPUT. III.
ARTIC. II.
§ II.

Protasis cum descriptione tempestatum.

Hic navem conscendit *Tharsum* appulsurus. Verum, ac sicum homine omnis eo calamitas conscendisset, perinde putares. Serenum antea Caelum erat; mox atris nubibus obducitur, conturbatur aer, consurgunt venti, mare commovetur: mitius primum, post acrius, demum ultima sumit incrementa, ut navim jam jam fluctibus crederes operiendam. Quid nautæ, & epibatæ? Hi visa gravissima tempestate terrore perculsi, confestim vela demittere, purgare sentinam, exonerare navim, imperare, consulere, opitulari, accurrere ad temonem, urgere remos, ligare rudentes, suspirare, plangere, clamare. Ecquid interea *Jonas*? tametsi maxime mali causa foret, in fundo quassati navigii altum, & tranquille dormiebat, nec ventorum sibilis, nec undarum mugitu, nec stridore tonitruum, nec fremitu fulminum, nec clamoribus remigum expergefactus; dormiebat sopore gravi, adeo, ut navarchus ipse cogeretur dormientem compellere, eumque percutere; ac ingestis etiam probris excitare: Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei: quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus pro nobis, & non pereamus. (x)

Apodosis: O quam metuo vehementer Auditores ne fortasse id ipsum contingat nobis. *Fu-*

Y y 2

nesta

x) *Jonæ* 1. 8. 5.

PARS III.

CAPUT III.

ARTIC. II.

§ II.

nesta videmus signa, & portenta. Cælum undique minatur, infremit, excandescit, extrema quæque intentat: an quisquam est, qui placare illud studeat? sunt equidem non pauci; sed ii duntaxat, qui alieno scelere patiuntur. Miseri isti lachrymis, elemosynis, veste cilicina, jejuniis, flagris in se descæviunt, nec quidquam sedandæ tempestati intentatū relinquunt. Qui porro maxime rei sunt: usurarii nimirum, vindictæ cupidi, blasphemi, lascivi, tantum abest, ut doleant, quin potius altissime dormiunt, suisque cupiditatibus in sinu otii, & inter brachia voluptatis indulgent. O Christiani estne inter vos somnolentus quidam Jonas, cujus culpa procellæ temeri possint, quæ nos absorbeant? Siquis ejusmodi est, edocete me, en ego quam ocysissime accurram, eumque prudentis illius Navarchi vocibus suo è veterano excitabo: Quid tu fopore deprimeris? surge, surge, invoca DEUM tuum, si forte recogitet Deus de nobis, & non pereamus.

Repetitio cum enumeratione. Surge, ac desere infame, quod detines, scortum: Deus enim propter luxuriam, & libidines tuas pestilenti nos lue punit. Surge, reconciliare inimico tuo: ecce Deus ob simultates tuas, & odia integras hostili ferro devastat provincias. Surge, restitue usuras: en Deus ob avaritiam tuam prædia nostra sterilitate flagellat &c. Surge inquam, surge, & invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus pro nobis, & non pereamus. Neque enim videtur ad clementiam velle inflecti, nisi eos ipsos supplices videat, qui ejus indignationem provocaverunt.

V. *Modus est Amadæi per difficultatem è scripturæ loco propositam, & solutam.* Fit autem hoc modo. 1. Præmittitur Scripturæ locus. 2. Latens in ea difficultas proponitur, & contrariis rationibus impugnatur, adhibitis figuris apostrophes, interrogationis, suspensionis, subjectionis, exclamationis, communicationis, &c. ut materiæ ratio postulaverit. 3. Solvitur difficultas primum propriis verbis Oratoris, dein in confirmationem dictorum adjicitur testimonium Sancti Patris, vel Scripturæ interpretis dictam sententiam, ac difficultatem ita explicantis. 4. Fit apodosis ad propositum materiæ cum enumeratione, & figura repetitionis, conversionis, complexionis, vel etiam sine his. Sit exemplum ex Cardinale (y) Casini probante: in die judicii ipsas etiam virtutes contremiscere, in illud Marci: *Mulier vero timens, ac tremens venit, & procidit ante eum.*

EXEMPLUM.

Verum illud judicii horrorem inmane quantum exaggerat, quoniam magno illo in tribunali ipsæ etiam virtutes pertimescent, ignaræ, an non vitiis sint permixtæ.

Præmittitur sententia. *Mulier Hemorroissa, que diu sanguinis fluxu laborabat, confisa in virtute Christi, si vel simbriam vestimenti ejus tetigerit, salva erit; accessit ad JESUM in turba à tergo, & tetigit vestimentum ejus, confestimque siccatus est fons sanguinis, & sensit se to*

Y y 3

to

y) Tom. 1. Orat. 7 n. 5.

PARS III.
CAPUT III.
ARTIC. II.
§ II.

PARS III. *to corpore confanatam. Quid Christus? cognita vir-*
 CAPUT. III. *tute, quæ exierat de illo, conversus ad turbam,*
 ARTIC. I. *severius appellat: quis tetigit vestimenta mea?*
 § II. *Hoc audit mulier velut fulmine percussa continuo*
Christi pedibus advolvitur, animo consternata
magis, quam viribus restituta. Mulier vero ti-
mens, ac tremens --- venit, & procidit an-
te eum.

Proponitur difficultas cum figura apo-
 strophes, & suspensionis. *At O bona mulier!*
quid times? cur tremis? an non tuta redderis pro-
digio perpetrato? valetudine recuperata? fide ab
ipso postea Christo collaudata? Sed dices: contingi
fimbriam vestimenti. Deum immortalem! hocne
ergo tantum scelus, tantum timoris argumentum,
ut timens, ac tremens procidere debueris ante eum?
Tetigisti, sed nunquid fiducia, non audacia; pieta-
te non iniquitate impulsas? Cur ergo metuit? roga-
tis?

Solvitur difficultas verbis Oratoris. *Di-*
cam: metuit, quoniam causam sibi indici audit
ad summæ tribunal majestatis, ubi reddendam es-
se rationem intelligit prodigii in præmium fidei suæ
obtenti, admodum sollicita: ne quid vitii in opere,
cæteroquin bono, tacite subesset. Dum à tergo
Christi stabat, tunc equidem miracula sperabat; at
nunc coram Judice apparitura rigorem timet. A-
liud nempe est virtutem experiri sanantis; aliud
vocem audire citantis: quis tetigit vestimenta
mea?

Confirmatur autoritate Sancti Patris.
En Auditores coram Divina Christi Judicis ma-

jestate non vitia solum timent; sed etiam virtutes contremiscunt severius in examen revocatae. Tremens, ac timens cecidit (ait Petrus Chrysologus) ut quæ virtutem probarat, agnosceret majestatem, ipsas etiam justitias judicantem: cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

Apodosis cum enumeratione, & figura repetitionis: Jam si Christi peregrini, pacifici, mansueti majestate adeo percelluntur homines, qui vestiantur tantum simbriam, & quidem pietatis impulsu contingunt, an non timens, ac tremens veniet, & procidet Divinum ante Judicem, qui membra Christi, id est, proximos suos, maledico ore laceffit, pravo exemplo præcipites agit, vel, ut agantur, sua incuria finit? An non timens, ac tremens veniet, qui corpus Christi, id est: Ecclesiæ, domus, familiæ charitatem scindit, unionem dissolvit, pacem conturbat &c. Certe hoc non est vestimenta Christi; sed ipsum corpus, cor, animam, Spiritum, immo Divinitatem contingere. Et hujusmodi homines si aliquando ad tribunal supremi Judicis vocati audierint: quis tetigit vestimenta mea? an judicium hoc sine timore sustinebunt? Si ubi, hic profecto eveniet, timens, ac tremens cecidit, ut agnosceret majestatem.

VI. Modus per novam difficultatem. Cum aliqua Scripturæ difficultas per aliam novam Scripturæ difficultatem propositam, & solutam explicatur. Fit hac methodo. 1. Proponitur difficultas cum figuris ante memoratis. 2. Ad eam intelligendam, & solvendam adducitur alia difficultas. 3. Hæc solvi-

PARS III.
CAPUT III.
ARTIC. II.
§ II.

tur è mente cujusdam Ecclesiæ Patris, vel Scripturæ interpretis, aut gravioris authoris. 4. Resolutio accomodatur primæ difficultati. 5. Fit apodosis, & digressio moralis cum enumeratione, & figura repetitionis, aut conversionis, ut ante diximus, vel sine his. Complura hujus amplificationis paradigmata reperies apud Cæsarem Calini. (a)

E X E M P L U M,

Proponitur prima difficultas. *Nunquam poteram admirari satis: cur Anna Samuelis mater, in celebri illo, quod Nunini persolvit, laudis cantico, Deum appellarit suum: Exaltatum est cornu meum (inquit) in DEO meo. Anna! quid ais in Deo meo? dic potius in Deo nostro. Nunquid Deus est omnium Deus? qui ergo dicere potes: in Deo meo, quasi Deus tui solius foret Deus?*

Proponitur nova difficultas. *Edicam; at prius sinite me ex vobis quærere: cur Rahab mulier illa Jerichuntina, quæ duos exercitus Israelitici exploratores domi suæ habuerat, eos allocuta, Deum non suum, nec nostrum, sed quasi alienus foret, vestri nomine compellarit. Nonne ipsa etiam agnoscebat Deum Israelis supremum esse Cæli, ac terræ Dominum? ipse est Deus in Cælo sursum, & in terra deorsum. Cur igitur ait Deus vester? dicere utique debuisset Deus noster? Similiter Saul Samuelem affatus ait: Honora me, & revertere mecum, ut adorem Deum tuum. Vab Saul! quid hoc? Ergo non idem est Saulis, qui est Samuelis Deus? nonne uterque ean-*

a) Vide Calini in Samuelem tom. 1. serm. 52.

eandem profitemini fidem? eundem adoratis Deum? quam igitur ob causam ais Saul: ut adorem Deum tuum? dic: revertere mecum, ut adorem Deum nostrum.

PARS III.
CAPUT III.
ARTIC. II.
§. II.

Solvitur posterior difficultas è mente Ecclesiæ Patris. *Ad pernoscendam rei hujus rationem advertite Auditores: ab homine justo singulari quopiam jure Deum possideri, ut merito dicere queat: Deus meus, bonum meum, & omnia mea. At quamprimum peccatis offensum turpiter dereliquerit Deum, confestim hoc jure privatur, ut quamvis dicere queat Deus; haud tamen dicere potest: Deus meus. Jam percipite Auditores: cur Saul dixerit ad Samuelem: ut adorem Deum tuum; Rahab vero: Dominus Deus vester ipse est Deus. Gravissimo enim contumaciæ scelere Divinum transgressus mandatum, ne quid è præda Amalecitarum retineret, Deum tunc offenderat Saul; Rahab vero mulier erat impudica, suorum igitur criminum conscia, tametsi verum corde agnoverit Deum; haud tamen dicere audebat esse suum. Non meum, sed Cyrilli Jerosolymitani, Magni Ecclesiæ Patris, rem ita explicantis dictum est: Deum suum dicere non audebat, quia se impuram esse sentiebat.*

Resolutio accomodatur primæ difficultati. *Definite jam mirari Auditores, quod Anna Deum dixerit esse suum: exaltatum est cornu meum in Deo meo. Erat enim Anna mulier justa, mulier sancta, mulier Divino amore inflammata, & quasi in Deo absorpta; justorum igitur prærogativa, ac jure usa, dicere poterat: in*

PARS III.

CAPUT. III.

ARTIC. II.

§ II.

Deo meo, quem per gratiam, & amorem, bonum velut suum, possidebat.

Apodosis, & digressio moralis cum enumeratione, & figura repetitionis. *Felices vos Auditores! si Annæ sanctitatem, piúmque fervorem imitati dicere valeatis: exaltatum est cornu meum in Deo meo. Si enim Deum possidetis? quid est, quod amplius desideretis? Ubi Deus, ibi omnia. Deus meus, agebat Seraphicus Franciscus, & omnia mea. At quot vestrum sunt Auditores, de quibus illud Cyrilli usurpari queat: Deum suum dicere non audent, cur? quia se impuros esse sentiunt. Deum suum dicere non audent, cur? quia se avaros, & injustos esse sentiunt. Deum suum dicere non audent, cur? quia se maledicos, blasphemos, obrectatores esse sentiunt &c. O bone Deus! fac, ut vera pœnitentia tibi conciliati dicere possimus: Deus meus, tum ex vero dicere audebimus: & omnia mea.*





INSTITUTIONIS
ELOQUENTIÆ SACRÆ
GENERATIM
LIBER III.
DE REBUS POST STRUCTURAM
ORATIONIS SACRÆ.



Es, quæ Orationis Sacræ structuram consequuntur, potissimum ad eam rite ex memoria pronunciandam referuntur. Licet hæc postrema sit Eloquentiæ pars; tanti tamen momenti, ut Ciceronis (z) iudicio *in dicendo una dominetur*. Demosthenes etiam (a) Tullio, & (b) Quintiliano memorantibus, *quid esset in toto dicendi opere primum interrogatus, pronunciationi palmam dedit*, eadem-

LIBRI III.
PROLEGOME-
NON.

z.) *Libr. 3. de Oratore*, a) *Ibidem*. b) *Instit. Orat. l. 1. c. 3.*

LIBRI III.
PROLEGOME-
NON.

demque secundum, ac tertium locum, donec ab eo quæri desineret: ut eam videri possit non præcipuam; sed solam iudicasse. Ipsi quoque usu experimur (quod Fabius advertit ex Cicero- ne) mediocrem persæpe Orationem commendatam viribus actionis plus habere momenti; quam optimam eadem illa destitutam. Ut enim audimus, ita plerumque movemur: cum affectus languescant; nisi voce, vultu, totius prope corporis habitu inardescant. Huic igitur Eloquentiæ parti singularem Tiro operam navabit, si perfecti laudem Oratoris consequi velit. Cum sit autem omnis actio (ait Fabius) in duas divisa partes: vocem, gestumque; quorum alter oculos, altera aures movet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus, prius de voce, postea de gestu dicemus; utrique tamen memoriam, velut totius actionis fundamentum, præmitteremus: nam, Quintiliano teste, bene pronunciare non poterit, cui aut in scriptis memoria, aut in iis, quæ subito dicenda erunt, facilitas prompta defuerit. (t)

C A P U T I.

DE MEMORIA ORATORIS.

Memoriæ (inquit Fabius) quidam naturæ modo esse munus existimaverunt: estque in ea non dubie plurimum; sed ipsa excolendo, sicut alia omnia, augetur, & tatus

^t Hæc fere omnia libro hoc pertractata ex Cicero- ne, & Quintiliano sunt de prompta, unde ceteri etiam

totus de quolibet prioribus diximus, adhuc inanis est labor, nisi ceteræ partes hoc veluti spiritu contineantur. Unde non immerito à Cicerone *thesaurus Eloquentiæ dicitur.* Duobus de hac Articulis agam: primum de ejus natura, & legibus generatim; postea de industriis juvandæ illius speciatim.

CAPUT. I.

ARTIC. I.

§. I.

ARTICULUS I.

DE MEMORIA ORATORIS GENERATIM.

§ I.

Natura memoriæ.

MEMORIA, ut est Eloquentiæ pars, dicitur Tullio: *firma rerum, ac verborum recordatio.* Juvat singula explicare.

I. Dicitur: *Firma*, ut ea, quæ didiceris, firmiter, tenaciterque retineas. Quibusdam enim adeo debilis est memoria, ut non magis quidquam in ea, quam in aqua, imprimere valeas: aut certe velut res in arena scriptæ confestim obliterantur. Tenacem igitur papyri instar cupio esse Oratoris memoriæ, quæ rem ediscendam facile menti imprimat, impressamque fideliter conservet. Dixi: *facile imprimat*: nam quorundam ingenia adeo sunt dura, ac difficilia, ut saxo, vel marmor citius, quam eorum menti quidquam insculpere queas; licet semel incisa tenacissime postea adhærescant. Hoc tamen arduum foret Oratori, præsertim quot hebdomadis, quin etiam frequentius pro numeris

deprompsere: ut Wagner, de Colonia, Ducygue, Moine Amadeus &c.

CAPUT I.
ARTIC. I.
§ I.

neris ratione ad concionem dicenti. Quare, ut Fabius inquit, *non firme tantum continere; verum etiam cito percipere multa dicturos oportet.*

II. Dicitur: *rerum, ac verborum recordatio.* Id est: ut non partes modo majores, cujusmodi sunt: partitionis, ac suppartitionis membra; sed etiam minores, ut argumentationes, & argumentationum partes, ac illustriores amplificationes, quin ipsa verba memoriæ mandentur: nam eloquentia non in rebus tantum, sed maxime in verbis, eorumve ornatu, ordine, junctura, numero consistit.

§ II.

Leges memoriæ.

Licet graves Oratores, ut Viri Principes, ac Prælati, Reipublicæ, vel Ecclesiæ negotiis multum distenti, quorum autoritas supplet memoriæ defectum, excusari queant, ne suam de scripto concionem pronuncient; hæc tamen aliis venia promiscue dari non debet. Unde.

I. Curent SACRÆ ELOQUENTIÆ Tirones, ut dicendam concionem quam optime ediscere consuecant. Nihil turpius, & Auditori molestius est, quam memoria crebrius Oratorem vacillare, verba identidem repetere, à scripto commentario vix unquam oculos, ac vultum avertere, vel saltem frequentius illud consulere. Longe autem turpissimum foret, si penitus memoria destitueretur. Quare author sum Tironi, concionandi

di præsertim munus aggressuro, ut suæ confisus memoriæ scriptum commentarium, ne quidem sinu, multorum more, adferat in pulpitum, aut si attulerit, non illud explicet. Pariet hæc, iterata sæpius generositas, ut superata prima difficultate ingentem in dicendo audaciam, & facilitatem consequatur.

II. Nec juvat summas tantummodo partes comprehendere; cætera eventui, vel ingenii felicitati permittere. Nam præterquam, quod hac dicendi ratione nunquam præclari famam Oratoris Tiro consequetur; insuper nec eos, quos oportet, animorum motus concitabit. Consuescet enim multa impolite, ac sollicitus dicere, sæpe confuso ordine posteriora prioribus præponet, superflua addet, denique necessaria creberime omittet. Quare de periodo saltem ad periodum, sive de sensu ad sensum mente complectatur.

III. Sunt, qui ad verbum judicant ediscendam, ne collocationis, figurarum, troporum, & admirabilis illa numeri, ac totius elocutionis venustas, in verbis potissimum posita, depereat. Ita cum *Fabio* suaserim & ego, si memoria suffragatur, tempus non desit, ut nulla vel syllaba effugiat, Tironem maxime, nondum ea verborum copia præditum, ut fallenti memoriæ statim aliud sufficere queat. Accedit: adhibita hæc industria liberio rem futurum, advocem, &
actio-

CAPUT. I.

ARTIC. I.

§ II.

CAPUT I.

ARTIC. I.

§ II.

actionem ex arte moderandam. Veteranos tamen Oratores, quos longior dicendi usus ampliori verborum ubertate, & audacia instruxit, ab hoc arduo singula verba memoriæ defigendi labore censeo eximendos. Similiter, quibus natura durior est memoria, vel non suffragabitur tempus, inutile erit ad omnia se verba alligare; cum sæpe oblivio unius deformem hæsitacionem, immo silentium inducat. Tutius multo fuerit comprehensis animo rebus ipsis libertatem sibi eloquendi relinquere.

IV. Scripturæ tamen, & Sanctorum Patrum textus ad verbum sunt recitandi. Pariter cura majore præ cæteris partibus infigenda censeo verba exordii, & perorationis. *Exordii*: quoniam illud initio excipit auditor, & sententiis instructius, verbis acutius esse solet. Postea *perorationis*: in hac enim vis omnis eloquentiæ, & spes victoriæ collocata est; quanquam sæpe contingit, ut prioribus ediscendis lassatus Orator, minorem his operam impendat.

ARTICULUS II.

DE INDUSTRIIS JUVANDÆ MEMORIÆ SPECIATIM.

§. I.

De industriis juvandæ memoriæ artificiosis.

DUplex est adjuvandæ memoriæ genus: *artificiosum*, ac *naturale*. Utrumque pertractat Fabius Quintilianus memorato loco

co (c) è quo, ut de fonte, sequentia promimus. Ac primum de adjunctis artificiosis.

I. Inter industrias artificiosas referuntur loci, & imagines. Sunt autem loci spatia quædam, in quibus collocantur imagines, id est: figuræ, & effigies, quarum memores esse cupimus. Experimur enim (ut ait Fabius) cum in loca aliqua post tempus reversi sumus, non ipsa tantum agnoscimus; sed etiam, quæ in his fecerimus, reminiscimur, personæque subeunt: nonnunquam tacitæ quoque cogitationes in mentem revertuntur. Nata est igitur, ut in plerisque, ars ab hoc experimento memoriam ope locorum, & imaginum adjuvandi. Ubi loca se chartæ, aut pugillarium, vel (ut Cicero loquitur) ceræ instar habent, imagines autem sunt scripturæ instar, vel literarum. Qui ergo memoriam hac arte voluerit excultam, hæc ferme observabit. 1. Deligat animo locum quam maxime spatiosum, multa rerum, & partium varietate distinctum, cujusmodi foret ipsum templum, in quo dicenda est Oratio, vel aliud illustre quodcunque id genus ædificium. 2. Hic locus apprime sit notus, & familiaris Oratori, ut sine cunctatione, ac mora partes omnes, ac recessus cogitatione possit percurrere: plus enim quam firma (inquit Fabius) debet esse eorum memoria, quæ aliam memoriam adjuvat. 3. Has autem partes oportet esse multas, illustres, explicatas, modicis intervallis disjunctas, ne confertæ

Lz

nimis

CAPUT. I.

ARTIC. II.

§ I.

nimis pariant confusionem, aut longius dis-
 junctæ distrahant animum. Ut sunt: templi
 atrium, janua, turres, statio musicorum,
 (vulgò chorus) facella, aræ &c. 4. His er-
 go ordine credenda sunt seu scripta, seu co-
 gitata, quorum volumus meminisse, ac pri-
 mum templi atrio committatur exordii in-
 gressus, januæ descensus, choro proposi-
 tio, turribus partitio, &c. 5. Singulis ad-
 datur signum quodpiam naturale, sive ima-
 go, quæ rei *discendæ sensum saltem genera-
 tim* complexa, ejus memoriam statim, & fa-
 cile adducere queat. Hæc vero signa du-
 pliciter sumi possunt: 1. Ex re tota: ut si
 exordium Evangelicam de Christo à Dæmo-
 ne tentato narrationem complectatur: imago
 fit Dæmon lapidem manu tenens. 2. Ex
 verbo aliquo: comperimus enim sæpe nos
 vel unius verbi admonitione in memoriam
 reponi; id autem potest esse vel genericum,
 ut de agricultura dicturo spica, vel aratrum:
 de navigatione anchora &c. Aut etiam me-
 taphoricum, ut de mansuetudine ovis: de
 castitate dicenti columba &c. Imaginibus
 autem (ut Cicero monet) utendum est agen-
 tibus, acribus, insignitis, quæ occurrere,
 celeriterque percutere animum possint. 6.
 Cum memoria repetenda fuerit Oratio, in-
 cipe loca hæc recensere, &, quid cuique
 creditum est, reposcere, cujus te imago ad-
 monebit.

II. Alterum juvandæ memoriæ artificiosum industriæ genus sunt *notæ arithmeticae*, & *compendiariæ*. Fit hoc modo: I. E lituris in chartam puram describe Orationem: nam ipsa scriptio multum juvat memoriam; in describendo autem observa, ut præcipua Orationis capita, singula item argumenta, & amplificationes majores à nova linea, ac versu inchoatæ in plures sectiones dividantur. Postea in ora, sive margine cuilibet sectioni adverso apponatur numerus arithmeticus cum nota compendiaria, rem omnem ea sectione comprehensam paucis verbis, uno, vel altero complectente. Verbi causa de tentationibus dicenda foret concio, atque exordii ingressus historicam Christi tentati narrationem continens, memoriæ mandandus: scribe ad marginem numerum primum arithmeticum cum hac nota: 1. *Christus tentatur à Diabolo*. Ad alterum: 2. *Pane*. Ad tertium: 3. *Præcipitio*. Ad quartum: 4. *Ostenso mundo*. Similiter in exordii descensu: 5. *Nos etiam tentamur*. 6. *Gula*. 7. *Superbia*. 8. *Avaritia*. Sic de cæteris. Has dein notas compendiarias, cum Oratio ediscenda fuerit, secundum numeros recoque. Si libuerit, poterunt notæ memnosynæ in carmen redigi, aut in rejectaneis chartis semel, iterum, ac sæpius scribi, rescribi, in illis maxime Orationum partibus, quas præcipue velles menti impressas, aut quarum te memoria fugit, vel difficiliorem experiris. Proderit etiam à

CAPUT I.
ARTIC. II.
§ I.

CAPUT I.

ARTIC. II.

§ II.

medio, sine, vel etiam retrorsum incipiendo memoriam repetere. Vel siquid durius addiscitur, non est inutile (ut monet Fabius) quo facilius hæreat, ei loco signum aliquod (ut ante diximus) apponere, cujus recordatio commoneat, & quasi excitet memoriam. Nemo enim tam infelix est, ut quod cuique loco signum dederit, nesciat. Illud observa: vox, carmen, signum quo fuerit infulsius; eo amplius feriet memoriam: cum rerum insolitarum sensus acrior esse soleat

§ II

De industriis juvande memoriæ naturalibus.

Verum ut ingenue cum Fabio mentem edicam: tametsi allata hæc artificia prodesse queant ad rei substantiam, vel sensum saltem generatim ediscendum. *At sermonis alicujus habitus verba singula, & verborum contextus eadem arte quomodo comprehenduntur?* quærit Fabius. *Mitto: quædam nullis simulacris significari possunt, ut certæ conjunctiones.* Infinitum etiam foret quibuslibet verbis aptas, & idoneas formas, & imagines invenire, easque memoriæ mandare tam operosum, quam ipsa verba; quin multo (ut Fabius advertit) operosius, ob duplicem memoriæ curam, qua propter singula verba, ut cõpulata fluat oratio, ad singulas formas esset respiciendum. *Quare, & Charmadas, & Sceptus (de quo modo dixi) Metrodorus, quos Cicero dicit usos hac exercitatione, sibi habeant sua; nos simpliciora tradamus, inquit Fabius.*

I. *Scribatur Oratio.* Scripta enim semper altius in animum demittuntur, quam lecta, vel audita: cum scriptio sit quædam localis memoria. Ex iis autem, quibus primum Orationem scripseras, chartis ediscendum monet Fabius. Sequitur enim vestigiis quibusdam memoriam, & velut oculis intuetur non paginas modo, sed versus ipsos. Et si litura, aut adjectio aliqua, vel mutatio interveniat, hæc ipsa erunt signa quædam, quæ intuentes deerrare non possumus.

II. Verum, & in his, quæ scripsimus complectendis (inquit Fabius) multum valet, & in iis, quæ cogitamus: *divisio*, & *compositio*. Nam qui recte dividerit, nunquam poterit in rerum ordine errare. Res una ordinate excipiet alteram. Etiam quæ bene composita erunt, memoriam serie sua ducunt. Nam sicut facilius versus ediscimus, quam profam Orationem; ita profam victam, quam dissolutam: quæ enim apte cohærent inter se, ea quodammodo unum fiunt, ut ex pluribus annulis fit una catena; unum autem facilius est retinere, quam plura.

III. *Discatur per partes*, id est: tota semel, ac iterum perlegatur Oratio, postea per partes, singillatim, ac per intervalla memoriæ detur; at discendo ultra progressus, priora semper repetas. Has autem partes non debere fieri perexiguas, monet Quinctilianus, alioquin nimis multæ erunt, & Orationem distinguunt, ac concident. Opti-

CAPUT I.
ARTIC. II
§ II.

num fuerit comma unum, vel colon semel ad discendum sumpfisse.

IV. *Aptus discendo locus, & tempus deligatur.* 1. Locus, qui sit solitarius, liber à strepitu, ac interventoribus. Ubi desit oportunitas oculis aliorum evagandi, ac comode ambulari possit. sedendo enim haud ita prompte discitur, tediumque citius conciliari solet. Denique si fieri possit, ejusmodi sit, ubi clara voce, vel saltem articulata uti queas, quod ad numerum servandum, vocis, gestusque moderationem multum confert. 2. Tempus, quod omnium consensu opportunissimum est vespertinum, ac matutinum. Vespertinum: quod somnum præcedat, ut quemadmodum cibus in stomacho; ita Oratio in cerebro quasi concoquatur. Postea matutinum: mens enim diurno labore fatigata, nocte conquiescit, redditurque operi habilior. Unde in proverbium abiit: *de mane consilium.*

V. Siquis tamen unam, & maximam (ut Fabius inquit) à me artem memoriae quærat: *exercitatio est, & labor multa ediscere, multa cogitare, & (si fieri potest) quotidie, potentissimum est.* Nihil enim est, quod æque augeatur cura, & negligentia intercidat, quam memoria. Quare Tironi ad concionandi munus destinato, si per temporis intervallum licuerit, quot diebus pensum aliquod, initio parvum, sensim majus è Pauli epistolis, vel aliunde perdiscendum est,
ut

ut hac exercitatione mens convalescat ad plura, & majora quam facillime comprehendenda.

CAPUT II.

ARTIC. I.

§ I.

CAPUT II.

DE PRONUNCIATIONE ORATORIS.

Pronunciatio (teste Fabio) à plerisque etiam actio dicitur; sed prius nomen à voce; sequens à gestu videtur accipere. Namque actionem Cicero alias quasi sermonem, alias eloquentiam quamdam corporis dicit. Idem tamen duas ejus partes facit, quæ sunt eadem pronunciationis, vocem, & motum. Quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet. Nos eam usurpabimus pro voce, de qua primum generatim, postea speciatim agemus.

ARTICULUS I.

DE PRONUNCIATIONE ORATORIS

GENERATIM.

§ I.

Notes Pronunciationis.

Quintilianus, & ex eo Amadæus quatuor dotibus præditam volunt esse Oratoris pronunciationem. Non alia est (inquit ille) ratio pronunciationis, quam ipsius Orationis. Nam ut illa emendata, dilucida, ornata, apta esse debet; ita hæc quoque. Erit autem.

i. Emendata, id est (ut Quintilianus ait) Si vitio carebit, eoque triplici: oris, vocis, spiritus. i. Carebit vitio oris: si fuerit

CAPUT II.
ARTIC. I.
§. 1.

os facile, explanatum, jucundum, urbanum, id est, in quo nulla neque rusticitas, neque peregrinitas resonet. Non enim sine causa dicitur barbarum, Græcumve: nam sonis homines, ut aera tinnitu agnoscimus. 2. Vocis: ut sit ipsa vox primum (ut dicam) sana, id est, nullum eorum, de quibus modo retuli, patiatur incommodum: deinde non subsurda, rudis, immanis, dura, rigida, vasta, præpinguis, aut tenuis, acerba, pusilla, mollis, effæminata. Adde: nec sit rauca, strepera, blæsa, balba, ac per nares efflata. 3. Spiritus: qui non sit brevis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis.

II. Dilucida erit pronuntiatio: primum, si verba tota exegerit, quorum pars devorari, pars destitui solet, plerisque extremas syllabas non proferentibus, dum priorum sono indulgent. Unde huic vitando vocis cadentis syllabæ durius aliquanto sunt pronuntiandæ. Ut est autem necessaria verborum explanatio, ita omnes computare, & velut adnumerare literas molestum, & odiosum. Nam & vocales frequentissime coeunt, & consonantium quædam insequente vocali dissimulantur. Secundum: ut sit distincta, id est, ut qui dicit, & incipiat, ubi oportet, & desinat. Observandum etiam, quo loco sustinendus, & quasi suspendendus sit sermo (quam Græci ὑποδιαστολήν, vel ὑποσημασίαν, vel ὑποσημασίαν vocant) quo deponendus &c. Sed in ipsis etiam distinctionibus tempus alias brevius, alias longius dabimus: interest enim sermonem finiatur, an sensum? Suspenditur autem spiritus, id est, mora quædam sine respiratio-

ratione, saltem majori, & aperta, interponitur ad cola, & commata, sive incisa, & membra; item ad interpunctiones, & ante conjunctiones; ad puncta vero, & finem periodi, ubi sensus perfecte terminari solet, deponendus est, ac cum initio novæ periodi novus resumendus.

III. Ornata est pronuntiatio ex mente Fabii: cui suffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans aera, auribus sedens. Est enim quædam ad auditum accomodata non magnitudine, sed proprietate: ad hoc velut tractabilis, utique habens omnes in se, qui desiderantur, sonos, intentionesque, & toto (ut ajunt) organo instructa, cui aderit lateris firmitas, spiritus cum spatio pertinax, tum labori non facile cessurus. Neque gravissimus, ut in musica, sonus, nec acutissimus Orationibus convenit. Nam & hic (gravissimus nempe) parum clarus, nimiumque plenus, nullum afferre animis motum potest; & ille (nimium acutissimus) pertenuis, & immodicæ claritatis cum est ultra verum, tum neque pronuntiatione flecti, neque diutius ferre intentionem potest. Nam vox, ut nervi, quo remissior; hoc & gravior, & plenior: quo tensior; hoc tenuis, & acuta magis est. Sic ima vim non habet; summa rumpi periclitatur. Mediis igitur utendum sonis; hique cum augenda intentio est, excitandi; cum submittenda, sunt temperandi. Nam prima est observatio recte pronuntiandi æqualitas, cantui opposita, secunda: varietas est, quæ solum est pronuntiatio, non æqualitati (huic enim

CAPUT II.

ARTIC. I.

§ I.

inaequalitas sive cantus adversatur sed monotoniæ, de qua post paulo dicemus, contraria. Ita ferme Quintilianus.

IV. Quæ autem apta sit pronuntiatio? respondet Fabius: *certe ea est, quæ iis, de quibus dicimus accomodatur*, at de hoc toto consequente Articulo agemus. 2. Apta sit auditori. Sic ad agrestes paulo durior, ad nobiles suavior, ad stupidos acrior, ad doctos gravior, & decora, ad obduratos vehementior, ad pauciores remissior, ad multos contentior esse debet. 3. Sit apta loco. Et quidem, si aperto cælo dicendum fuerit: 1. Vox sit clara, distincta, aerem facile secans, & robusta. 2. observet: qua parte ventus spiraret, atque ita pulpitem locet, ut secundo aere facile vocis sonus ad Auditorem deferri queat. 3. Optimum foret, si juxta ædificium suggestu collocato, à tergo murus ventum impediret, vocemve reflecteret. Aut si id fieri nequit; saltem dicentis tergo, capiti, lateribus tabulatum quoddam, aut velum, aliudve repagulum objiciatur, quod venti flatus arceat, vocem, ne dispergatur, contineat, & facile reddat. Si vero intra parietum septa declamandum fuerit, primum exploret Orator, ac postea eo semper vocem dirigat, unde repercuti, ac in auditorem diffundi solet. Observavi ad dispensandam latius vocem multum mihi profuisse, præsertim cum affectus sciendi erant, intra sacri pulpiti tabulatum, propius murum,

me

me intimius contraxisse. Denique pronuntiatio sit conformis naturæ, & actioni, quod in gestu explicabimus.

CAPUT II.
ARTIC. I.
§ II.

§ II.

Vitia pronuntiationis.

INter vitia vulgaria pronuntiationis sex ista referuntur: cantus, monotonia, vociferatio, languor, præcipitania, lentitudo. Singula ex mente *Fabii* exponemus.

I. Vitium est *Cantus*, sive modulatio quædam ad rhytmi modum tota fere Oratione decurrens. Vel, ut *Fabius* explicat, ejusmodi inæqualitas dictæ prius æqualitati opposita, qua *sermo subsultat imparibus spatiis, ac sonis, miscens longa brevibus, gravia acutis, elata submissis, & inæqualitate horum omnium, sicut pedum, claudicat.*

II. Vitium est *monotonia*, varietati contraria, cum eodem insulso vocis tenore prope nulla flexione utitur Orator, eademque veluti chorda ad extremum decurrit. Quæ res longe molestissima Auditori evenit. Quare varianda vox est: *ars enim variandi* (quod ait *Fabius*) *cum gratiam præbet, ac renovat aures; tum dicentem ipsa laboris mutatione reficit: ut standi, ambulandi, sedendi, jacendi vices sunt, nihilque eorum pati diu possumus. Illud vero maximum, quod secundum rationem rerum, de quibus dicimus, animorumque habitus conformanda vox est, ne ab Oratione discordet. Vitemus igitur illam, quæ Græce monotonia vocatur, una quædam spiritus, ac soni intentio: non solum ne dicamus*
omnia

CAPUT II.

ARTIC. I.

§ II.

omnia clamose , quod insanum est: aut intra loquendi modum , quod motu caret : aut summisso murmure , quo etiam debilitatur omnis intentio : sed ut in iis partibus , iisdemque affectibus sint quædam non ita magnæ declinationes , prout aut verborum dignitas , aut sententiarum natura , aut depositio , aut inceptio , aut transitus postulabit , pictorum instar , qui licet singulis pinxerint coloribus ; alia tamen eminentiora , alia reductiora fecerunt , sine quo nec membris quidem suas lineas dedissent.

III. Vitium est vociferatio, sive contentio vocis immoderata, quæ dicentem fatigat, aures verberat, & Auditorem magnopere delassat. Unde vox (ut inquit Fabius) *ultra vires urgenda non est. Nam & suffocata sepe, & majore nisu minus clara est, & interim elisa in illum sonum erumpit, cui Græce κλοσµὸν nomen à Galloru nimmatureo cantu dederunt.*

IV. Vitium est languor, cum voce media, frigide, oscitanter, nihil variato sono, nihil mutato vultu, sine impressione, aut contentione ulla dicitur, quod dormitantes facit Auditores. *Præcipitantia* vero est, eorum, qui celeritate nimis volubili, vix ullo ad respirandum, vel auditoribus ad cogitandum dato intervallo, rapidi instar fluminis, præcipitem trudent Orationem, seque, & auditores adeo delassant, ut sufflamine, quod Augustus monebat, opus habeant. Fabii itaque consilio non sunt nimia volubilitate confundenda, quæ dicimus, qua & distinctio perit, & affectus, & nonnunquam etiam verba, aliqua

qua sui parte, fraudantur; sed satis erit ad laudem Oratoris, si prompta, facilis, nusquam hæsitans memoria, æquabili velut alveo, pacatam duxerit Orationem.

V. Vitium est *lentitudo*, eorum, qui ad singulas fere voculas adfistunt, guttatim quodammodo loquuntur, ut diu hiandum sit, dum ad finem periodi prorepant. Nihil hoc genere molestius, nihil quod minus in animum descendat. *Promptum igitur sit os* (quod Fabius admonet) *non præceps: moderatum, non lentum. Spiritus quoque non crebro receptus concidat sententiam; sed nec eousque trabatur, donec deficiat.*

ARTICULUS II.

DE PRONUNCIATIONE SPECIATIM.

§ I.

*De pronuntiatione thematis, & partium
Orationis.*

Dixi pronuntiationem aptam, & conformem esse oportere rebus discendis. Sicut autem res discendæ, ita pronuntiatione varie spectari potest.

I. *Ratione thematis*, sive causæ. Sic genus *Didacticum*, quo plerumque docet Orator, sicut stylum, ita pronuntiandi modum universe deposcit submissum; & quidem *Catecheticum* in genere infimo ad pueros, ac rudes, de primis fidei Christianæ rudimentis: admodum familiarem, jucundum, & quotidiano sermoni prope simillimum. In genere medio.

CAPUT II.
ARTIC. II.
§ I.

GAPUT II.
ARTIC. II.
§ I.

mediocri ad provectiores paulo gravior esse debet, familiaris tamen. Si autem grandior fit ad homines eruditiores, ac civiliores, quemadmodum ipsa Oratio, ita ejus pronuntiatio amplius affurgit. In reliquis didactici generis concionibus, ut *Paraphrasticis*, *Polemicis*, convenit quidem gravior pronuntiatio, facilis tamen, moderata, & familiaris. Genus *Panegyricum* in laudationibus, gratiarum actione postulat vocem lætam, claram, & explicatam: in vituperationibus, & infestationibus vitiorum, acriorem, & commotam: in funebribus, & consolationibus subtristem. Genus *Morale* in suasoriis, ac disuasoriis gravem: in hortationibus fortem: in precando lenem. Si de bonitate Divina sermo sit, vox adhibetur tenera, & suavis: si de justitia, & pœnis Divinis, ac peccati enormitate vehemens, & minax: in operibus autem Divinæ potentiæ mirabilibus gravis cum sono admirationis. Verbo: si res dicenda sit humilis, humilem: si mediocris, mediocre: si sublimis, sublimem exigit pronuntiandi rationem.

II. *Ratione partium Orationis.* Exordio, nisi ex abrupto ducatur (ut ait Fabius) frequentissime lenis convenit pronuntiatio, id est: modesta, tranquilla, nec intensa multum, nec multum remissa. Non intensa: ne exordientis vociferatio Oratoris, plerumque Auditori ingrata, principio statim delasset, ac tandem voce destituat dicentem.

Non

Non remissa : ne Auditori , dicta haud satis percipienti , languor , fastidiumve creetur. 2. Propositio , & partitio exigit vocem claram , & distinctam , ut Orationis fundamenta , in his potissimum partibus posita , clare ab omnibus percipi queant. In narratione adhibetur vox familiari sermoni proxima , apertior tamen. 4. In confirmatione usurpamus vocem jam acriorem , jam remissio- rem , ut ipsa Oratio pro modo affectuum acrior , ac instantior esse solet. In complexionibus , digressionibus item moralibus , & epilogo plerumque vehementior , & concitator dicendi ratio adhibetur , ob graviores , qui hoc loco exciuntur , affectus.

§ II.

De Pronunciatione periodorum , verborum , & interpunctionum.

I. *De pronunciatione periodorum.* Periodus inchoatur voce moderatiore , ac non nihil profundiore , quæ sensim attollitur , donec periodus sit absoluta. 2. In fine diligenter sunt exprimendæ ultimæ syllabæ , maxime vocalibus E. J. U. terminatæ , præsertim ad confertum , ac frequentiore audito- rem , cujus ad aures , vox , postremæ cum- primis syllabæ , semper difficilius accidere solent. 3. Periodus ad sensum est pronun- cianda , ac ne illius pronuntiatio continuo spi- ritu ita longius extrahatur , ut tandem defi- ciat , certis spatiis , ac intervallis , quæ spiri- tum morentur , est concidenda , ac distin- guen-

CAPUT II.

ARTIC. II.

§ II.

da. Pro uno autem intervallo non multæ summantur voces, sed vel una, vel duæ, vel tres, ac etiam plures, ut res, ac sensus, & cujusque spiritus postulaverit. Verbi causa pronuncianda foret hæc periodus (quam jam ante retulimus) ita eam suis intervallis distingues: *Credo ego vos mirari Auditores*, prima mora: *quid sit?* altera mora, *quod sanctum laudaturus Xaverium*, tertia mora, *insolito*, quarta, *atque hæctenus nunquam fortasse audito*, quinta, *laudationis genere*, sexta, *non Indiarum*, septima, *ut communius dicunt, Apostolum*, octava, *sed quasi omni homine superior homo foret*, nona, *ipsum Indiarum Deum audeam compellare*, decima: ubi spiritus deponitur, & pro nova periodo (ut ante dixi) novus sumitur; interposita longiori, quam in prioribus intervallis, mora.

II. *De pronuntiatione verborum.* Sunt in periodis verba quædam, quorum significatio peculiarem exigit pronuntiandi modum. Sic I. Verba magnifica, sublimitatem quandam in se continentia, efferuntur cum gravitate, & magnificentia. Ut sunt: *admirabilis, immensus, augustus, incredibilis, sublimis, majestas, omnipotentia.* 2. Particulæ affirmantes; cujusmodi sunt: *profecto, certe, enimvero, necessario* &c. petunt exprimi firmiter. 3. Voces malum aliquod significantes, quales sunt: *infelix, funestus, lugubris, deplorandus, desperatus, tristis*, pronuntiantur mœsto accentu. Quæ autem ad vituperium referuntur, voce

ce clara, commota, ac velut horrente, ut : *execrabilis, atrox, immanis, enormis, sacrilegus, sceleratus* &c. Quæ porro suavitatem significant, ut *suavis, dulcis, blandus, amœnus*, voce pariter suavi, blanda, tenera sunt exprimenda. Sic de aliis.

III. De pronuntiatione interpunctionum.

Vàlerianus Zellnerus in sua Rhetorica sacra has leges pronuntiandis interpunctionibus præstituit. 1. Si sententia commatè finiatur, tunc penultima ultimæ vocis syllaba uno (ut ajunt) tono ascendit: ultima vero syllaba descendit; consequens autem sententia eodem, ut penultima ascendit. Si sententia absolvatur semicolo, aut puncto minore, ultima, aut duæ ultimæ syllabæ uno circiter, ac dimidio tono descendunt; punctum vero majus duobus tonis completis. 3. Punctum interrogationis sensim descendit duobus; dein quatuor, aut pluribus ascendit; postea iterum uno descendit. 4. Punctum exclamationis uno descendit, ut duobus ascendat. Sed hæc Zellneri regulæ non omnibus probantur; tu fac id, quod in præstantioribus dicendi magistris optimum usu compereris; mihi videtur natura esse imitanda, ut quam vocis flexionem in communi, ac naturali pronuntiatione usurpare solemus; eandem in dicendo etiam retineamus; modo tamen haud scenico, sed graviore, ac Oratoribus sacris proprio.

CAPUT II.

ARTIC. III.

§ II.

CAPUT II.

ARTIC. II.

§ III.

§. III.

De pronuntiatione figurarum, & affectuum.

I. *De pronuntiatione figurarum.* Longum foret per singulas ire, adferam præcipuas, & usitatioras. 1. *Interrogatio* habet suam naturalem flexionem, ac in fine elationem: si sit amica, leniorem, ut illa Christi: *Juda! osculo filium hominis tradis?* Si acris, acriorem: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Usquequo gravicorde, ut quid diligitis vanitatem? & queritis mendacium?* 2. *Exclamatio* pariter altiorem in fine sonum habet; & quidem si proveniat ex lætitia, exigit vocem hilarem, sonoram: *O vos felices, & beatas animas, quibus Cælo frui contingit!* Si ex tristitia ortum ducit, sonum deposcit remissum, & interruptum: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in divitiis suis!* Si ex desperatione, vocem petit ululantem: *O æternitas! O infelix æternitas!* Si ex ira, acrem, & concitatam: *O generatio incredula, & perversa! quousque ero vobiscum?* 3. *Antithesis*, ut rem, ita sonos amat compositos: prius membrum pronuntiatum voce altiore, posteriorius remissiore, ut in illo Pauli: *Nos stulti propter Christum; vos autem prudentes in Christo: nos infirmi; vos autem fortes: vos nobiles; nos autem ignobiles.* 4. *Subjunctio* parte priori habet modum interrogationis; posteriori proferitur voce demissiori. Ut illud Eccli: *Pecora tibi sunt? attende illis--- Filii tibi sunt? erudi illos-- Filie tibi sunt? conserva corpus illarum.* 5.

Gra.

Gradatio, cum in ea res, quasi gradatim au-
geantur, vel minuantur, vox etiam sensim
increfcere debet. Ut: *magnus bello, major
pace, maximus religione*. 5. *Fusjurandum* pro-
nunciatur voce intensa, & si plura conge-
rantur, semper intensiore. Si *de meorum fi-
delitate verborum dubitatis, vos testes invoco San-
cti Caelites, te Sancta DEI Mater, te Christe JE-
SU &c.* 6. In *apostrophe* attendendum: quis,
quem, quo fine alloquatur. Si Deum, &
Sanctos precibus compellamus, vocem exi-
git supplicem. Si Dominus servum: auda-
darem, & sonoram. Si inferior superiorem:
debilem, & submissam. Si ex indignatione:
asperam, iratam. 7. In *prosopopœa* cum Orator
alium loquentem faciat, ejus personæ, quam
inducit, modum, & affectum imitetur, oportet.
Unde tria sunt diligenter consideranda:
persona, quæ loquitur; causa ob quam lo-
quitur; circumstantiæ, in quibus loquitur:
& tum vox jam est hilaris, jam tristis, jam
sonora, jam demissa, jam irata, jam tranqui-
la &c. ut res postulaverit. 8. In *prolepsi*, dum
Orator objicit, vox est remissior; dum au-
tem objecta dissolvit, est contentior. *Dice-
tis, durum est inimicis ignovisse; verum suspicite
in hanc crucem, videte Christum &c.* 9. In *opta-
tione* vox attollitur, & si fiat per *conduplica-
tionem*, sono semper altiori geminatur. *Uti-
nam, utinam homines intelligerent, ac novissima
provident.* 10. Si *instet*, & urgeat Orator,
vox est gravis, acris, & incitata. Si *obsecret*,

CAPUT II.

ARTIC. II.

§. III.

tenera, & ad motum comparata. *Per salutem vestram vos oro, & obtestor, habete rationem animarum vestrarum &c.* II. In *suspensione*, & *dubitatione* partem priorem enunciamus in modum interrogantis; posteriorem voce paulum remissa. Reliquas prætereo.

II. *De pronuntiatione affectuum.* Ad affectus rite pronuntiandos hæc universe lex esto: dispiceat Orator (quod ante monueram) quo tenore vocis utuntur homines ejusmodi affectu à natura agitati, atque hunc in se prius commovere conetur; tum ad affectum dicet. Speciatim autem. 1. In *amore*, natura sua suavi, festivo, utimur voce blanda, amœna, subridente. 2. *Odium* natura sua asperum, & severum, exprimitur pariter voce aspera, & severa. 3. In *gaudio*: suavi, hilari, sonora. 4. In *tristitia*: debili, protractata, querula. 5. In *dolore* ob acceptam maxime injuriam: ardenti, ac vehementi. 6. In *commiseratione*: flebili, & mœsta. 7. In *audacia*: vehementi, ac geminata. 8. In *timore*: dejecta, ac tremula. 9. In *ira*: acuta, incitata, crebro incidente. 10. In *desiderio*, si violentum sit, & ex amore proveniat: tenera, & urgente; si ex conatu adverso: indignante, ac inflammato. Si vero sit moderatum: vocem petit debilem. In *fuga* usurpatur vox clamosa. In *spe*: sonora. In *emulatione*: elata.

CAPUT

CAPUT III.

CAPUT. III.

ARTIC. I.

§. I.

DE ACTIONE ORATORIS.

Nunc de actione dicendum venit. Est autem actio Authori ad Herennium: *Corporis gestus, & vultus moderatio quædam, quæ pronuncianti convenit, & probabiliora reddit ea, quæ pronunciantur.* Multis de illa tractat Quintilianus; at quoniam ex antiquorum gestibus quam plurima jam sunt obsoleta, adferam solum sæculi nostri moribus accommodatiora: primum acturus generatim, postea speciatim.

ARTICULUS I.

DE ACTIONE ORATORIS

GENERATIM.

§. I.

Dotæ Actionis.

Sanctus Salesius in sua ad Concionatores instructione quibusdam dotibus præditam vult esse Sacri Oratoris actionem, quas mutatis paulum verbis referre placet.

I. Gestus sint liberi, & nobiles. 1. Liberi: *ut improbem* (inquit Salesius) *gestus quosdam affectatos, & coactos, pedibusque, & nescio, quibus mensuris, metri instar, ligatos.* Præterea, ne sint molles, exquisiti, & nimia quadam elegantia velut effæminati. 2. Nobiles: ne dum mollitiem fugimus, in duros, & agrestes, vel (ut Sanctus Salesius loquitur) *in gestus quorundam rusticos incidamus, qui so-*

CAPUT III. *lent pugnīs, pedibus, stomacho percutere cathedram, clamare, mirandumque boare, & sæpius extra propositum.*
 ARTIC. 1.
 § I.

II. Gestus sint generosi, fortes, innati. 1. Generosi: ut arguam eos, ait Salestius, qui formidolosos præferunt gestus, quasi non loquerentur discipulis, sed venerentur Magistros. 2. Dixi innatos, seu naturales: ut excludam artem, & affectationem. 3. Dixi fortes: ut improbem gestus quosdam mortuos, languidos, omni privatos efficacia.

III. Gestus sint Sancti, graves, parumper tardi. 1. Sancti: ut vitentur venusti, aulici, & politici. 2. Graves: ut absteatur à reverentiis, quibus quidam suis blandiuntur auditoribus, sicut & à quibusdam manuum agitationibus, similibusque motibus indecentibus. 3. Parumper tardi: ut quis sibi temperet à gestibus abbreviatis, & collectis, qui magis occupant oculos, quam animum movent.

§ II.

Leges Actionis.

HÆ actionis leges pleræque etiam pronuntiacioni deserviunt. Quare SACRÆ ELOQUENTIE Tiro eas non gestui tantum, sed etiam voci accommodatas esse velit.

1. *Actio materiæ consentiat, ac vocem comitetur.* Errant igitur, qui vocem alio, alio gestum, quam oporteat, convertunt. Verbi causa: Cælum nominant; manum in terram deprimunt, quod Rhetores actionis *Solæcium* merito vocare queunt. 2. *Dixi comitetur*, id est: nec vocem præeat, nec sequatur;

tur ; secus facile gestus ab ea desentiet. Sunt tamen, qui tardiori pronuntiatione, vel memoria præditi, ne hiantem faciant Orationem, consulto gestum præmittunt, ut memoriæ, vel tarditatis moram Auditori fastidiosam, hac arte celent. Alii tamen nonnihil præmittendum censent, ut jam prius Auditor, quæ dicenda sequuntur, ex gestu intelligat, eaque gratiori aure, & affectu excipiat, quæ jam ante prævidit secutura.

II. *Actio naturam imitetur*, sive ita rem in pulpito sacro voce, ac gestu exprimere conetur Orator, ut res illa, & affectus in usu, ac sermone familiari apud homines civiliores agi solet. Unde *Ludovicus Granatensis* Tirones *monotonie* vitio laborantes ad naturalem pronuntiandi artem revocaturus, binas mulierculas invicem verbis contendentes in exemplum proponit, ut earum vocis sonos, figuras, affectus, gestus observet, & suis pariter affectibus, gestibus exprimere conetur, pictorum more: qui avem manu prehensam adumbraturi, suam, vel alterius dextram, aviculam prehendentem, contemplantur. Sic affectum verbi causa *timoris* expressurus Orator, tacitus secum dispiceat, quali vocis sono, & flexione, quo oris, ac vultus habitu, quibus gestibus uti soleant homines timore correpti; atque hunc si expresserit, actio naturam imitabitur.

III. *Actio sit moderata*, id est: magno opere caveat Orator, ne nimia, & affectata

CAPUT. II. ræ imitatione mimum, vel histrionem, aut
 ARTIC. I. comœdum agat. Alia enim est theatri, alia
 § II. sacræ dictionis agendæ ratio. Multa illic to-
 lerari, immo non sine gratia spectari queunt;
 quæ tamen in pulpito sacro minime possunt
 sustineri. Unde ita naturam imitetur, ut de-
 corem, gravitatem, & Sacræ Eloquentiæ
 majestatem hæud exuat,

IV. *Gestus non sint crebri, nec iidem.* Ut
 enim in voce vitiosa est *monotonia*; sic in ac-
 tione gestus æqualitas. Quemadmodum
 vox, ita gestus variari debent, ac rebus di-
 cendis cum voce conformari. Ne vero sint
nimum crebri, hanc tibi legem præstitue: in
 qualibet sententiâ, inciso, vel membro,
 quod una mora, ac temporis intervallo (cu-
 jus ante meminimus) proferri solet, sumat-
 ur gestus unus, voci, in ea sententiâ, prin-
 cipali responsurus, totumque sententiæ sen-
 sum expressurus. Hic tandiù duret, donec
 ipsa sententiæ, aut membri, vel incisi pro-
 nunciatio duraverit. Moderaberis hac arte
 gestum, totique gravitatem actioni conci-
 liabis.

V. *Optimum fuerit gestus ad speculum ex-
 aminare.* Quod Demosthenem fecisse scri-
 bit Quintilianus: *Demosthenes grande quod-
 dam intuens speculum componere actionem solebat.*
 Idem de eo ex Demosthenis ore tradidit De-
 metrius Phalereus referente Plutarcho. A-
 pulejus vero ita testatur: *Demosthenem pri-
 marium dicendi artificem, quis est, qui non sci-
 at,*

at, semper ante speculum, quasi ante magistrum, causas meditatam?

CAPUT III.

ARTIC. II.

§ I.

ARTICULUS II.

DE ACTIONE ORATORIS
SPECIATIM.

§ I.

De actione quarundam corporis partium.

IN actione Oratoris multa sunt ratione corporis, earumve partium, ut capitis, vultus, colli, humerorum, brachiorum, præcipue autem manuum observanda, quæ singillatim prosequemur.

I. *De actione corporis.* Corpus sit erectum, media circiter superiore sui parte è pulpito prominens. Non igitur antrorsum recurvum, nec ad latus recline, minus inurbane incumbens. Nolim tamen, statuæ loquentis instar, immotus adstet; sed pro ratione materiæ suis intervallis stet, sedeat, seque in partem hanc, aut illam moveat. 1. *Stet* toto exordii, *propositionis*, ac *partitionis* decursu: post, cum acrius, ac vehementius loquendum est: denique in epilogo, & complexionibus. 2. *Sedeat*: si libuerit, initio *introductionis*, & singularum concionis partium, donec primæ periodi proferantur, nullam fere, quam manus, actionem deposcentes. Dein *Narrationis* tempore, vel si quidpiam docendo proponendum est. Aut vehementi, & acri pronunciatione lassatus Orator moderatiorem aggreditur. Duo au-

CAPUT III.
ARTIC. II.
§ 1.

tem hæc inter cavenda sunt: ne alternatim subito identidem jam sedeat, jam surgat, quod leve foret, & indecorum. Dein, cum sedet, suggestus sedile ita sit locatum, ut totam superiorem Oratoris (mediocriter ad cathedram inflexi) corporis partem Auditoribus spectandam exhibeat; Orator vero, manu parumper demissa, anteriorem pulpiti partem tangere, eique carpo, aut dextera manus palma libere, ac facile inniti queat. 3. Cum fuerit opus, se moveat (moderate tamen) ne crebris, & incompositis corporis motionibus, vel agitationibus agitam agat. *Discursare vero* (ut Fabius ait) & quod Domitius Afer de Sura Manlio dixit: *satigere, ineptissimum: urbaneque Flavius Virginius interrogavit de quodam suo antisophista: quot millia passuum declamasset.* Minus vero urinatorum more intra pulpitem jam desideat, jam subsiliat.

II. *De actione capitis* hæc regulæ præstituuntur. I. Caput sit rectum; nam dejecto humilitas, supino arrogantia, & audacia, in latus inclinato languor, præduro, ac rigente barbaria quædam mentis ostenditur. Non igitur abjecte, ac seniliter propendat, non ad latus, nisi ad languorem, tristitiam, luctum, pænitentiam, iræ divinæ placandæ studium exprimendum, sit rejectum. Nec juveniliter, vel frequenter moveatur giretur. nam frequens eju. nutus (ait Fabius) non caret vitio, jactare autem, & comas excuti-

cutientem rotare, fanaticum est; sed & eo solo facere gestum scenici quoque doctores vitiosum putaverunt. Haud tamen dedecet caput decenter inclinare, cum annuimus, confirmamus, approbamus, gratias agimus: leniter abnuere, cum negamus: in latus avertere cum averfamur, indignamur: paululum erigere, cum admiramur, & dubitamus. *Detegitur*: cum Orator conscenso pulpito Auditores reverenter primum salutatur. 2. Cum Sacra JESU, Mariæ, vel Sancti nomina, cujus panegyrica laudatio agitur, pronunciantur, vel si apostrophe ad Deum, & Sanctos habeatur.

III. *De actione vultus, frontis, oris.* I.

In actione dominatur maxime vultus. *Hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc summissi sumus. Hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant, etiam antequam dicamus. Hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus. Hic est sæpe pro omnibus verbis.* Unde aspectus, qui semper eo vertitur, quo gestus, argumento est conformandus: in rebus tristibus fit tristis: in lætis exporrectus: in ira severus: in amore blandus: in comminatione torvus. 2. *Frons exporrecta, ac diffusa hilaritatis indicium est. Corrugata, & caperata cum superciliis contractis, vel inæqualibus, iram, ac severitatem indicat, cum elatis superbiam, cum diductis tristitiam, cum remissis hilaritatem.* Annuendi quoque, & renuendi ratio-

CAPUT. III.

ARTIC. II.

§ I.

tione supercilia demittuntur, aut allevantur. 3. *Naribus, labrisque non fere quidquam decenter ostendimus; tametsi derisus, contemptus, fastidium significari soleat. Corrugare nares, ut Horatius ait, & inflare, & movere, & digito inquietare, & plana manu resupinare indecorum est, cum emunctio etiam, frequentior non sine causa reprehendatur.* 3. Os renidentibus labiis amorem, lætitiā, suavitatem exhibet. Ejus vitia sunt: labra porrigere, scindere, adstringere, diducere, dentes nudare. Lambere quoque, & mordere deforme est: in efficiendis etiam vocibus modicus eorum esse debet motus: ore enim magis, quam labris, loquendum est.

IV. *De actione colli, humerorum, & brachiorum.* 1. *Collum nec sit contractum, nec protensum, nec rigidum, & immobile.* 2. *Humeros jactare, attollere, deprimere, vel contrahere vitiosum est.* 3. *Brachia nec deorsum in composita propendeant, nec immodice projiciantur, nisi in affectu vehementiori; brachia tamen brachiis innectere, aut decussatim componere fas est, dum prostrati Deum oramus; exporrigere autem, vel protendere potentiam, auctoritatem, robur indicat; continere vero, ac prohibere pudoris, ac verecundiæ signum est.* 4. *Cubitis nunquam cathedræ innitendum: nec pedibus supplodendum.*

V. *De actione oculorum.* 1. In ipso vultu plurimum valent oculi, per quos maxime ani-

animus emanat. Sic elati indicant superbi-
am, arrogantiam: demissi pudorem, mo-
destiam, submissionem, tristitiam: in cælum
sublati indicant orantem, ac Deum depre-
cantem: averfi sunt signa animi fastidientis,
averfantis, vel negantis: clausi meditantem:
immoti abreptum: defixi notant admiran-
tem. 2. Oculus semper gestum consequatur,
cæterisque motibus vitam præstet. 3. Qui
oculis dicunt clausis, vel unum in locum de-
fixis, non tam agunt, quam recitant Oratio-
nem. 4. Non sint vagi; sed modesti, me-
diocriter aperti, ad eam cætus partem,
quam Orator alloquitur, converfi.

§ II.

De actione manuum seorsim.

Manus sine quibus (ut ait Fabius) *trunca es-
set actio, ac debilis, vix dici potest, quos
motus habeant, cum pæne ipsam verborum copiam
prosequantur. Nam cæteræ partes loquentem ad-
juvant: hæc, prope est, ut dicam, ipse loquuntur.
An non his poscimus, abominamur, amamus, in-
terrogamus, negamus? Gaudium, tristitiam, du-
bitationem, confessionem, pænitentiam, modum,
copiam, numerum, tempus ostendimus. Sunt au-
tem certæ, ac definitæ illius leges: aliæ ge-
nerales, aliæ speciales.*

1. *Generales.* Manus sinistra nunquam
sola gestum recte facit, dextræ se frequen-
ter accommodat. 2. Mota dextra quiescit
sinistra super pulpitem posita, nisi moveri
debeat. 3. Gestus à sinistro incipit latere,

ac

CAPUT. III.

ARTIC. II.

§ II.

CAPUT. III.

ARTIC. II.

§ II.

ac dextro deponitur. 4. Vitiosum est manum ultra caput attollere, vel infra pectus demittere, præterquam in summis affectibus. 5. Non statim cum initio Orationis gestus est faciendus; sed manus parumper quiete supra pulpitem sunt tenendæ, dum pronunciata prima periodo, vel illius parte, Oratio effervescat, ac tum cum ea exeratur, ac finita deponatur. 6. Motus manuum sæpe rei dicendæ, aut verborum significationi exprimendæ conformandus est. Ejusmodi sunt: *caelum, terra, attrabo, repello, extollo, deprimio, unio, separo, misceo, divido, scando, descendo, verto, teneo, tumeo, rumpo* &c. 7. Cavendum ne in rebus quibusdam exprimendis peccetur contra judicium. Ut si Christum, pro inimicis in Cruce deprecantem, manibus invicem conjunctis orantem induceres. 8. Similiter curandum ne digiti sint distracti, aut tribus extremis in volam contractis solo indice, & pollice à se disjunctis, vel conjunctis, gestus peragatur. 9. Multis non probatur manus complodere, cathedram ferire, strophio naves crebrius extergere, superpelliceum, stolam, aut quadratum (ut ajunt) dirigere inurbane screeare, tussire &c.

II. *Actiões manuum speciales*, quas in ordinem alphabeti libet disponere. 1. *Admiramur*: capite, & oculis sublatis, manibus autem elatis, vola utraque ad populum versa. 2. *Alloquimur nos*: manu ad nos inflexa; alios vero ad eos porrecta. 3. *Asseveramus*:
dex-

dextra vel pectori admota, aut manibus leniter complofis. 4. *Aversamur, excramur*: caput in sinistram, manum vero utramque sublata in dextram vertendo. 5. *Confirmamus*: manum dextram pronam gravi quodam, & decenti motu deprimendo. 6. *Dimittimus*: averfa manu celeriter mota. 7. *Distinguimus contraria, antitheta*: dextram supinam in finistrum latus; dein pronam in dextram transferendo. 8. *Dolemus*: complicatis inter digitos manibus, vel ad pectus sublatis, vel infra pectus dejectis. Idem præstamus dextra manu pectori admota. 9. *Exclamamus*: brachiis fursum decenter extentis, utraque manu non nihil explicata, & ad invicem conversa, qua rei magnitudo ostenditur. 10. *Exprobramus*: tribus digitis pressis, & indice explicato. 11. *Hortamur*: manu aliquantum cava, & aperta, ac identidem sublata. 12. *Interrogamus*: dextram modice sublevando, ut vola dicentem respiciat. 13. *Iraſcimur*: manu alias in pugnum contracta, alias porrecta, & ad latus extenta. 14. *Ironiam exprimit*: vultus paulum averſus, os subridens, caput leniter annuens, indice in latus protenſo. 15. *Minamur*: ſuſpenſo ſupercilio, indice elato, & aliquoties moto. 16. *Mitigamus*: manu aliquoties leniter elata, & cum quadam gravitate demiffa. 17. *Multitudo* manibus diſjunctis; *paucitas* conjunctis, & cavis ſignificatur. 18. *Negamus*: dextram manum averſam in latus dextrum removendo. 19. *Narramus*,

expo-

CAPUT. III.

ARTIC. II.

§ II.

CAPUT III.

ARTIC. II.

§ II.

exponimus; docemus: dextro indice ad pollicem applicato, cæteris digitis mediocriter diductis, & inflexis. 20. Numeramus, distribuimus, partimur: dextræ digitis: primum pollice, postea indice, medio, ordine sublatis; reliquis interea ad volam inflexis. Vel sinistrae digitis inflexis, ac per ordinem, primum pollice, dein indice, demum medio, ordine sublatis, ac per indicem manus dextræ compressis. 21. Penituntiam ostendimus: manibus ante pectus decussatim positis, capite paulum ad latus declinante. 22. Prohibemus: manu elata & quiescente. 23. Permittimus: dextra conversa, & porrecta. 24. Silentium indicimus, vel, ut audiamur, poscimus: manu prona ad auditores extensa; index autem ori ad motus tacentis, ac silentium suadentis signum est. 25. Supplicamus: junctis manibus, vel elatis, vel ante pectus positis. 26. Timemus: manibus sublatis, aliquantum palpitantibus, ac sensim versus pectus recedentibus. 27. Urgemus: brachio liberalius prolato, & manuum alterno motu impressionem crebriorem faciente.

Atque hic *Eloquentiæ Sacræ generatim* finem imponimus; daturi propediem tomulo altero *Institutionem Eloquentiæ Sacræ speciatim*, modo vitam, vires, & impendia boni dederint Superi. Interea utere hoc primo tenui conatu nostro *Eloquentiæ Tiro*, quem ad Dei Optimi, Maximi gloriam, animarum salutem, atque tuam ad utilitatem suscepimus.

CON-



CONSPECTUS TOMULI PRIORIS

LIBER I.

*De rebus ante Structuram Orationis
Sacrae.*

5

CAPUT I. De rebus ipsius artis Eloquen-
tiæ Sacrae. 6

ARTICUL. I. De natura Eloquentiæ Sacrae,
& artificio in ea consecrando. 6

§ I. De natura Eloquentiæ Sacrae. 6

§ II. De artificio in Eloquentia Sacra consecran-
do. 7

ARTICUL. II. De fine, & officio Eloquentiæ
Sacrae. 11

§ I. De fine Eloquentiæ Sacrae. 11

§ II. De officio Eloquentiæ Sacrae. 12

B b b

AR.

I N D E X

ARTICUL. III. De materia, & partibus Elo-	16
quentiæ Sacræ.	
§ I. De materia Eloquentiæ Sacræ.	16
§ II. De partibus Eloquentiæ Sacræ.	18
CAPU I II De rebus Sacri Oratoris	20
ARTICUL. I. De munere Oratoris Sacri eccui	
conveniat?	20
§ I. Munus Oratoris Sacri præcipuum est Epi-	
scoporum.	20
§ II. Est etiam Presbyterorum.	24
§ III. Concessum est Diaconis.	25
§ IV. Incumbit Sacris Curionibus.	26
ARTICUL. II. De dotibus Oratoris Sacri.	28
§ I. De dotibus naturæ.	28
§ II. De dotibus scientiæ.	31
§ III. De dotibus virtutum.	33
ARTICUL. III. De vitiis Sacrorum Oratorum	
in scribenda Oratione Sacra.	38
§ I. De vitiis in delectu materiæ.	39
§ II. De vitiis in rerum deductione.	46
§ III. De vitiis in elocutione.	52
CAPU I III. De rebus ad Eloquentiæ Sa-	
cræ adjuncta spectantibus.	56
ARTICUL. I. De lectione Librorum.	56
§ I. De numero legendorum.	57
§ II. De delectu legendorum.	58
§ III. De modo legendi.	76
ARTICUL. II. De ratione excerpti ex Li-	
bris.	78
§ I. Utilitas excerpti.	78
§ II. Leges excerpti.	80

TOMULI PRIORIS.

§ III. <i>Methodi excerpenti.</i>	81
ARTICUL. II. De <i>Scriptione.</i>	86
§ I. <i>Scriptio sit meditata.</i>	86
§ II. <i>Scriptio sit emendata.</i>	88
§ III. <i>Scriptio sit ordinata.</i>	90
ARTICUL. IV. De <i>auditione, ac dictione.</i>	92
§ I. <i>De auditione</i>	92
§ II. <i>De dictione.</i>	93
ARTICUL. V. De <i>imitatione.</i>	94
§ I. <i>Qui sint imitandi?</i>	94
§ II. <i>Qua in re sint imitandi?</i>	99
§ III. <i>Qua ratione sint imitandi?</i>	101

LIBER II.

<i>De rebus in Structura Orationis Sacrae generatim.</i>	109
----------------------------------------------------------	-----

P A R S I.

<i>De Inventione Orationis Sacrae generatim.</i>	110
--------------------------------------------------	-----

CAPUT I. De <i>Inventione materiae.</i>	110
-----------------------------------------	-----

ARTICUL I. De <i>Textu Sacro.</i>	111
-----------------------------------	-----

§ I. <i>Origo usurpandi sacrum textum.</i>	111
--------------------------------------------	-----

§ II. <i>Leges sacrum textum usurpandi.</i>	112
---------------------------------------------	-----

ARTICUL. II. De <i>themate sacro.</i>	115
---------------------------------------	-----

§ I. <i>Leges inveniendi thematis sacri.</i>	115
----------------------------------------------	-----

§ II. <i>Fontes inveniendi thema sacrum.</i>	122
----------------------------------------------	-----

§ III. <i>Modi elevandi sacrum thema.</i>	134
-------------------------------------------	-----

ARTICUL. III. De <i>partitione sacra.</i>	144
-------------------------------------------	-----

§ I. <i>Dotes partitionis sacrae.</i>	146
---------------------------------------	-----

§ II. <i>Fontes partitionis sacrae.</i>	149
-----------------------------------------	-----

I N D E X

§ III. <i>Elegantiae sacrarum partitionum.</i>	160
ARTICUL. IV. De subdivisione sacra.	166
§ I. <i>Leges subdivisionis sacrae.</i>	167
§ II. <i>Fontes, & Paradigmata sacrarum subdivisionum.</i>	170

CAPUT II De Inventione argumentorum
ex Locis Oratoriis. 172

ARTICUL. I. Locus à definitione.	174
§ I. <i>Præcepta hujus loci.</i>	174
§ II. <i>Paradigmata hujus loci.</i>	177
ARTICUL. II. Locus à notatione, & conjugatis.	184
§ I. <i>Præcepta hujus loci.</i>	184
§ II. <i>Paradigmata hujus loci.</i>	188
ARTICUL. III. Locus ab enumeratione partium.	192
§ I. <i>Præcepta hujus loci.</i>	192
§ II. <i>Paradigmata hujus loci.</i>	196
ARTICUL. IV. Locus à genere, & forma.	199
§ I. <i>Præcepta hujus loci.</i>	199
§ II. <i>Paradigmata hujus loci.</i>	203
ARTICUL. V. Locus à similitudine, ac dissimilitudine.	207
§ I. <i>Præcepta hujus loci.</i>	207
§ II. <i>Paradigmata hujus loci.</i>	218
ARTICUL. VI. Locus ab Oppositis.	226
§ I. <i>Præcepta hujus loci.</i>	226
§ II. <i>Paradigma hujus loci.</i>	233
ARTICUL. VII. Locus ab adjunctis.	242
§ I. <i>Præcepta hujus loci.</i>	242
§ II. <i>Paradigmata hujus loci.</i>	251

17

TOMULI PRIORIS.

ARTICUL. VIII. Locus à causis.	259
§ I. <i>Præcepta hujus loci.</i>	259
§ II. <i>Paradigmata hujus loci.</i>	263
ARTICUL. IX. Locus ab effectis.	267
§ I. <i>Præcepta hujus loci.</i>	267
§ II. <i>Paradigmata hujus loci.</i>	272
ARTICUL. X. Locus à comparatione.	275
§ I. <i>Præcepta hujus loci.</i>	275
§ II. <i>Paradigmata hujus loci.</i>	279
ARTICUL. XI. De locis generalibus, & usu locorum.	283
§. I. <i>De locis generalibus.</i>	283
§ II. <i>De usu locorum.</i>	288

CAPUT III. De Inventione argumentorum
ex locis Concionatoriis. 291

ARTICUL. I. De Scriptura Sacra.	292
§ I. <i>Leges utendi Scriptura Sacra.</i>	292
§ II. <i>Modi Scripturæ Sacræ sententias usur-</i> <i>pandi.</i>	299
§ III. <i>Praxis inveniendi argumentum ex Scri-</i> <i>ptura.</i>	303
§ IV. <i>Modi conceptuum è Scriptura formando-</i> <i>rum.</i>	306
ARTICUL. II. De Sanctis Patribus.	312
§ I. <i>Leges utendi SS. Patrum testimoniis.</i>	312
§ II. <i>Modi argumenta depromendi è Patribus.</i>	316
ARTICUL. III. De Theologia.	321
§ I. <i>Leges utendi Theologia.</i>	321
§ II. <i>Usus Theologiæ.</i>	323
ARTICUL. IV. De Historia.	326

I N D E X

§ I. <i>Leges utendi Historia.</i>	326
§ II. <i>Modi historiam usurpandi.</i>	329
CAPUT IV. De Inventione affectuum. 332	
ARTICUL. I. De affectibus generatim. 333	
§ I. <i>Leges tractandorum universe affectuum.</i>	333
§ II. <i>Fontes ciendi affectus universe</i>	336
§ III. <i>Paradigmata ciendorum universe affectuum.</i>	341
ARTICUL. II. De affectibus speciatim. 346	
§ I. <i>De præcipuis affectuum speciebus theoretice.</i>	346
§ II. <i>De quibusdam affectuum speciebus practice.</i>	355

P A R S II.

De Dispositione Orationis Sacrae generatim. 368

CAPUT I. De Dispositione Exordii. 368	
ARTICUL. I. De legibus, & partibus exordiorum. 369	
§ I. <i>De legibus exordiorum.</i>	369
§ II. <i>De partibus exordiorum.</i>	373
ARTICUL. II. De fontibus, ac modis exordiorum. 382	
§ I. <i>Fontes exordiorum communes.</i>	383
§ II. <i>Modi exordiorum Orationi Sacrae proprii.</i>	410
CAPUT II. De Dispositione confirmationis. 432	
ARTICUL. I. Modus confirmationis per chriam. 433	
	§

TOMULI PRIORIS.

326	§ I. <i>Præcepta hujus modi.</i>	433
329	§ II. <i>Paradigma hujus modi.</i>	436
332	ARTICUL. II. Modus confirmationis per syllo-	
	gismum.	446
333	§ I. <i>Præcepta hujus modi.</i>	446
333	§ II. <i>Paradigma hujus modi.</i>	450
336	ARTICUL. III. Modus confirmationis per en-	
uffe-	thymema.	457
341	§ I. <i>Præcepta hujus modi.</i>	457
346	§ II. <i>Paradigma hujus modi.</i>	459
346	ARTICUL. IV. Modus confirmationis per col-	
pra-	lectionem Oratoriam.	464
355	§ I. <i>Præcepta hujus modi.</i>	464
	§ II. <i>Paradigma hujus modi.</i>	467
	ARTICUL. V. Modus confirmationis per dile-	
	ma.	473
368	§ I. <i>Præcepta hujus modi.</i>	473
368	§ II. <i>Paradigma hujus modi.</i>	474
369	ARTICUL. VI. Modus confirmationis per so-	
369	riten.	480
373	§ I. <i>Præcepta hujus modi.</i>	480
373	§ II. <i>Paradigma hujus modi.</i>	480
381	ARTICUL. VII. Modus confirmationis per in-	
381	ductionem.	488
383	§ I. <i>Præcepta hujus modi.</i>	488
383	§ II. <i>Paradigma hujus modi.</i>	489
410	ARTICUL. VIII. Modus confirmationis per	
410	exemplum.	495
432	§ I. <i>Præcepta hujus modi.</i>	495
432	§ II. <i>Paradigma hujus modi.</i>	495
433	ARTICUL. IX. Modus confirmationis per sub-	
	divilionem.	500

I N D E X.

§ I. <i>Præcepta hujus modi.</i>	500
§ II. <i>Paradigma hujus modi.</i>	502
CAPUT III. De Dispositione reliquarum partium Orationis.	511
ARTICUL. I. De confutatione.	511
§ I. <i>Leges confutationis.</i>	511
§ II. <i>Modi confutationis.</i>	513
§ III. <i>Formulæ confutationis.</i>	518
ARTICUL. II. De narratione.	521
§ I. <i>Leges narrationis.</i>	521
§ II. <i>Paradigmata narrationis.</i>	523
ARTICUL. III. De digressione morali.	529
§ I. <i>Leges digressionis moralis.</i>	529
§ II. <i>Paradigmata digressionis moralis.</i>	534
ARTICUL. IV. De Peroratione.	536
§ I. <i>Leges perorationis.</i>	536
§ II. <i>Partes perorationis.</i>	538
§ III. <i>Modi perorationum.</i>	544
CAPUT IV. De Dispositione totius Sacræ Orationis.	551
ARTICUL. I. De formanda prima Concionis idea.	551
§ I. <i>Leges formandi primam Concionis ide- am.</i>	551
§ II. <i>Paradigmata formandi primam Concionis ideam,</i>	553
ARTICUL. II. De varianda dispositione Ora- tionis Sacræ.	558
§ I. <i>Modi variandi Orationem Sacram.</i>	558
§ II. <i>Paradigma variandæ Orationis Sacræ.</i>	561

De Elocutione Orationis Sacrae. 565

CAPUT I. De Stylo in Elocutione. 566

ARTICUL. I. De Stylo Oratorio generatim. 566

§ I. *Natura styli Oratorii.* 566

§ II. *Dotes styli Oratorii.* 568

§ III. *Vitia styli Oratorii.* 570

ARTICUL. II. De tribus styli Oratorii speciebus ratione materiae. 574

§ I. *Natura hujus triplicis specie styli.* 574

§ II. *Usus triplicis hujus styli.* 577

§ III. *Paradigmata in hac triplici specie styli.* 580

ARTICUL. III. De aliis styli speciebus ratione formae. 587

§ I. *De stylo periodico, & conciso.* 587

§ II. *Paradigmata styli periodici, & concisi.* 589

ARTICUL. De stylo arguto speciatim. 593 V IV.

§ I. *Leges styli arguti.* 593

§ II. *Fontes styli arguti.* 597

§ III. *Paradigmata styli arguti.* 614

CAPUT II. De Ornatu Elocutionis. 620

ARTICUL. I. De Tropis. 620

§ I. *De tropis speciatim.* 620

§ II. *Paradigma per tropos.* 623

ARTICUL. II. De figuris verborum. 625

§ I. *De figuris verborum per additionem.* 625

§ II. *De figuris verborum per detractionem.* 630

§ III. *De figuris verborum per similitudinem.* 631

I N D E X

§ IV. <i>Paradigma per figuras verborum.</i>	633
ARTICUL. III. <i>De figuris sententiarum.</i>	637
§ I. <i>Prima decas sententiæ figurarum.</i>	637
§ II. <i>Altera decas sententiæ figurarum.</i>	646
§ III. <i>Tertia decas sententiæ figurarum.</i>	654
ARTICUL. IV. <i>De Sententiis.</i>	661
§ I. <i>Natura sententiarum.</i>	661
§ II. <i>Leges usurpandi sententias.</i>	664
§ III. <i>Fontes, & modi sententiarum.</i>	666
ARTICUL. V. <i>De Transitionibus.</i>	670
§ I. <i>Natura, & species transitionum.</i>	670
§ II. <i>Modi transitionum toti Orationi communes.</i>	672
§ III. <i>Modi transitionum cuiusvis parti speciales.</i>	676
CAPUT III. <i>De copia in Elocutione.</i>	680
ARTICUL. I. <i>De amplificatione verborum.</i>	681
§ I. <i>De amplificatione verborum per additionem.</i>	681
§ II. <i>De amplificatione verborum per mutationem.</i>	683
§ III. <i>De amplificatione verborum per dilationem sententiæ.</i>	685
ARTICUL. II. <i>De amplificatione rerum.</i>	691
§ I. <i>De amplificatione rerum per modos communes.</i>	691
§ II. <i>De amplificatione rerum per modos speciales.</i>	699



LIBER III.

*De rebus post structuram Orationis
Sacrae*

715

CAPUT I. De Memoria Oratoris. 716

ARTICUL. I. De memoria Oratoris genera-
tim. 717

§ I. *Natura memoriae.* 717

§ II. *Leges memoriae.* 718

ARTICUL. II. De industriis adjuvandaememo-
riae speciatim. 720

§ I. *De industriis juvandaememoriae artificio-
sis.* 720

§ II. *De industriis juvandaememoriae naturali-
bus.* 724

CAPUT II. De Pronunciatione Orato-
ris. 727

ARTICUL. I. De pronunciatione Oratoris ge-
neratim. 727

§ I. *Notes pronunciationis.* 727

§ II. *Vitia pronunciationis.* 731

ARTICUL. II. De pronunciatione specia-
tim. 733

§ I. *De pronunciatione thematis, & partium O-
rationis.* 733

§ II. *De pronunciatione periodorum, verborum,
& interpunctionum.* 735

§ III. *De pronunciatione figurarum, & affe-
ctuum.* 738

INDEX TOMULI PRIORIS.

CAPUT III. De actione Oratoris.	741
ARTICUL. I. De actione Oratoris generatim.	741
§ I. <i>Dotes actionis.</i>	741
§ II. <i>Leges actionis.</i>	742
ARTICUL. II. De actione Oratoris speciatim.	745
§ I. <i>De actione quarundam corporis partium.</i>	745
§ II. <i>De actione manuum seorsim.</i>	749



MENDA TYPOGRAPHICA.

Pag.	Vers.	Mendum	Corrige.
17	15	ὑπὸ θεοῖς	ὑπὸ θεοῖς
46	24	σκελετον	σκελετόν
61	29	Gottscheden	Gottsched
70	10	Cariolani	Coriolani
70	26	Delaubruffel	Delabruffel
73	9	Bonnefons	Bonnefon, & Baillet
73	19	Steph. Illys	Andreas Illys
74	10	Antonius Boucat	NE. non fuit Scotista, sed Ordinis Minimorum.
74	17	Ludovicus Abelli adde	Episcopus Rhutenensis.
74	18	Presbyteri	Presbyter
96	31	Dunaeau	DunEAU
115	11	rhemata elevandi	rhemata (ut vulgo ajunt) elevandi.
121	11	inim cis	inimicis
121	12	&ic.	&c.
134	16	ut Rhetores dicere solent	ut Rhetores vulgo dicere solent
136	16	five	&
143	27	templi Dei	templum Dei
158	28	diceres Sanctum: Aloysium	diceres: Sanctum Aloysium.
159	24	sint tamen aliqua	sint rursus aliqua
169	10	subdivisionibus	subdivisionibus
171	27	Divisio: adde	Luxuria in veterata nocet corpori, nocet animæ. Subdivisio
182	31	t) apud Segneri	u) apud Segneri.
182	32	s) Matth. 21	x) Matth. 21.
184	30	Ÿ. 31.	Ÿ. 21.
192	26	feminaverit	seminar
194	12	ma dici	maledici
195	22	in usu loci	in modo argumentandi
223	7	(i)	(k)
223	19	(k)	(l)
233	32	c) Eccli 10.	d) Eccli 10.
234	33	d) Luca	e) Luca
283	25	adde post vocem: agemus	§. I. De locis generalibus

Pag.	Verf.	Mendum	Corrige.
287	15	disfluadeir	disfluaderi
358	9	adde ante vocem <i>Superi</i> ,	Aperte.
398	21	<i>utrumquo</i>	<i>utrumque</i>
415	30	Primi vero dat	Primi vero idēam dat
442	14	Exemplnm	Exemplum
455	23	Consilium	Concilium
462	29	<i>ambigaris s</i>	<i>ambigaris</i>
462	30	<i>Christu'</i>	<i>Christus</i>
462	31	<i>a</i>	<i>ac</i>
465	24	distinguntur	distinguuntur
465	27	<i>distincto</i>	<i>distinctivo</i>
465	30	monetæ nomine	monetæ nomine Principis notatæ :
466	12	prorofitio	propositio
466	32	vel in	vel ita
473	5	<i>triste factum</i>	<i>triste fatum</i>
475	13	<i>Respondite</i>	<i>Respondere</i>
477	11	<i>recipiepicimus</i>	<i>recipiemus</i>
482	15	bibit	bibat
485	20	derelinquimus	derelinquamus
486	26	<i>Desperationani</i>	<i>Desperationem</i>
514	32	<i>demns</i>	<i>demus</i>
515	21	<i>notate,</i>	<i>notate,</i>
526	5	<i>pstea</i>	<i>postea</i>
559	13	Orator	Auditor
563	29	<i>aut in rogam</i>	<i>aut qui in rogam</i>
616	7	<i>ca'dibus ve</i>	<i>ca'dibusve</i>
634	32	<i>An non defuerinz</i>	<i>An non adfuerint</i>
639	3	plerumqs	plerumque
681	11	explicare	& explicare
723	18	marginem	marginem
733	21	discendis	dicendis
733	22	discendæ	dicendæ
736	2	summantur	sumantur
740	27	inflammiato	inflammata
743	1	dessentiet	dis dissentiet.
748	7	<i>cum emunctio,</i>	<i>cum emunctio</i>

Reliqua hic præterita benevolus Lector facile corriget.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR

Lelt.

15.272-1955

dat

Princ

get.

